



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

KW2117
F1

P. ogge 2034

17340

15



XVIII 76²

E. C. B. Juan José Com. de Thom



HUGONIS GROTII

LIBRI TRES

2117
F1

DE
**JURE BELLI
ET PACIS,**

Observationibus

Theologicis, Moralibus
& Politicis illustrati,

AUCTORE
JOH. WOLFGANGO JÄGERO,

Cancellario & Primario Theol. Prof. Tub,
Generali Superintendente & Abbate
Adelbergenfi.



Sumptibus **JOH. GEORGI COTTÆ,**

Anno **M DCC X.**




*Serenissimo ac Potentissimo Principi
ac Domino,*

DOMINO
EBERHARDO
LUDOVICO,
Duci Wirtembergiæ
& Tecciæ,

Comiti Montisbeligardi, Dynastæ in
Heidenheim, &c,

SS. Cæsareæ Majestatis, Im-
perii & Circuli Suevici Resp.
Campi Marschallo & Generali
Equitatus.

*Principi ac Domino suo Clemen-
tissimo.*



DEDICATIO.

Dum inter belli
 tempestatem, & *Se-*
rena pacis spem ado-
 levit hic *ingenii par-*
tus, necesse non fuit diu quærere,
 cui nam *Protectori* illum dicarem.
 Nam sicut Grotius, Vir in Re-
 publica literaria vere *Magnus*,
 ausus est, licet exul, librum suum

DEDICATIO.

de Jure Belli & Pacis Ludovico XIII. Galliarum Regi sacrificare; eo quod in exilio protectionem in Gallia invenit: cur non ego Serenissime Princeps Librum hunc Augusto Tuo NOMINI inscriberem, qui hactenus summis beneficiis gratiose me cumulasti; In qua Clementia excelsa Majorum Tuorum vestigia pressisti. Etenim Gloriosissimus Avus Tuus Eberhardus, jam ab anno præteriti seculi septuagesimo, me in aulam Suam vocavit, magnisque gratiis adfecit, cum Juventuti me Principali ejusque *spei* admoveret. Successit postea Piissimæ memoriæ Princeps Wilhelmus Ludovicus, Parens Tuus, de cujus

jus rara Clementia non ego tantum, sed tota patria adhuc gratam fovet memoriam. Sed Tu, Princeps Benignissime, adeo secutus es summa illa benignitatis exempla, ut ingratus mortaliū forem, si ea publice non deprædicarem.

Accedit, quod hic Liber materiam Belli & Pacis sub examen vocet, quam dum Grotius in *umbra* tractavit, Tu in aperto Martis Campo & in oculis totius Europæ, non calamo, sed gladio & opere expedivisti. Difficile alias est in Sago & Toga paricum gloria versari; Illud elogium, *ex utroque, Cesar*, paucis hæctenus contigit: sed Tibi, Serenissime Princeps, pa-

cis artes & Martis negotia perinde hæctenus fuere. Loquetur fama, dum vocalis, aut grata posteritas erit, quid in ancipiti illo statu pro COMMUNI LIBERTATE feceris, dum apud Schellenbergium, ubi res Germaniæ in ultimo articulo steterit, cum Cæsare, cum Anglia & Hollandia amico foedere junctus inimicas vires attrivisti. Quam gloriose & intrepidè inter mille pericula apud Donavverdam stetisti, atque hostium impetum non sustinuisti tantum, sed & fregisti.

Successit non multo post prælium apud *Höchstett* cruentissimum, quale priora secula vix audivere. Ibi non de Provinciis, sed

Im-

DEDICATIO.

Imperio in Europam dimicatum est. Devoraverat jam spe Germaniam Gallia: Tallardus, illud fulmen belli, non putarat tot victoriis assuetum exercitum vinci posse: In media Germania tamquam Triumphabundus steterat exercitus Gallicus: Tota Hispania & Italia cum Sicilia in manibus & potestate erant Philippi Andegavensium Ducis: Ventum erat eo, ut vel turpia servitutis vincula induceret Europa, vel vinceret exercitus foederatus.

Hic vero Tu, *Serenissime Princeps*, cum fortissima illa & ad Immortalitatem Nominis nata Heroum Biga, Principe Eugenio & Marleburgio, veluti totidem

) (5

Euro

DEDICATIO.

Europæ Clypei, stetitistis: Vos trepidantem & jam inclinantem ex una parte aciem stitistis, & de fuga jam cogitantes verbis & factis retraxistis, ac gloriosissimam Victoriã, quæ in Annalibus parem non habet, reportastis. Neque enim cum hoste imbelli pugnastis; sed cum Ducibus Fortissimis, & exercitu victoriis innutrito: nec simplex vestra Victoria fuit; nam in audito exemplo ultra tredecim millia Gallorum, abjectis armis, sese in captivitatem dederunt, ut Rex ipse Galliæ, licet alias Fortissimus, & in adversa quoque fortuna Constans, ad nuncium cladis ac jacturæ tantæ gemitus non habuerit in potestate.

Sed

DEDICATIO.

Sed non fatis fuit Tibi, *Serenissime Princeps*, triumphus in Suevia; in Alsatiam penetrafti, ac Landavium, Vaubanii opus, propugnaculum antea invincibile creditum, spectante exercitu Gallico expugnasti. Imo tantus fuit victoriæ illius fructus, ut hostis ultra centum milliaria retro cedere coactus, & ex visceribus Imperii ejectus, ad fines suos fuerit compulsus.

Quid ergo mirum, si Liber, de Juribus Belli loquens, *Serenissimis Tuis* pedibus subjiciatur, qui fortitudinem animi ac bellicas artes in maximo & periculosissimo bello gloriose exhibuisti. Et cur gratitudinis Tributum Tibi non persolvant subditi Tui, quos

DEDICATIO.

quos inter me quoque profiteor; dum Patriam à summo periculo liberaſti : quando etiam Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus, cujus memoria ſit in ſempiterna benedictione, gratias Tuæ Serenitati per literas ob præſtitam Imperio operam egit.

Et quid non in TOGA quotidie præſtas? Quantæ ſunt illæ Curæ, quas ſuſtines, ut Paupertas triftis ac pallida Solamen habeat, & ſuſtentetur? ſub Tuis auſpiciis FISCUS, ut vocatur Charitatis, erectus eſt pro Viduis Paſtorum, Opus ſane omni laude digniſſimum : ſub Tuo Regimine Orphanis etiam gementibus proſpicietur. Ambroſii vox eſt: *Nihil magis commendat Chriſtia-*

DEDICATIO.

stianum Principem, quam misericordia. Et Casiodorus ait: Sola misericordia est, cui reliquæ omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. Maeste Princeps Auguste, & rem DEO gratissimam ad finem per fidos ministros perduc. Perduces autem felicissime, si nullum tali negotio præficies, quem vel infidelitas fallacem, vel avaritia rapacem, vel supercilium mordacem facit. Ad Orphanos enim cibandos & ad paupertatem solandam, fides, misericordia & humilis, non cristata, charitas requiritur. Sic & laudatissime facis, quod ad domanda ferocia ingenia Domum exstruis; Nullum convenientius frenum effrenibus talibus

DEDICATIO.

libus imponi potest, quam quatuor muri, intra quos dediscant otiosi & male agere.


Quare, Serenissime Princeps, non Tibi tantum gratulamur, sed & nobis; quod Principem habemus, in SAGO Magnis suis Majoribus Majorem; in TOGA felicem & Clementem; In SACRIS vero JURA sua gloriose observantem. Vive ergo Auguste Princeps, & Ætatis Tuæ annos ad innumeros extende. Vive columna Imperii, Clypeus Germaniæ, Scutum Patriæ.

Ita ex imo corde vovet

Serenitatis Tuæ

Devotissimus apud DEUM
intercessor

JOH. WOLFGANG JÆGER.



PRÆFATIO.



Uanquam Campus Juris
 Universalis, quod alias
 JUS NATURÆ ET GEN-
 TIUM appellari consuevit,
 per multa secula sine cul-
 tura jacuerit; nisi quod
 semina quædam, tum in Platone, tum
 in Schola Peripatetica, fuerint jacta: ea
 tamen felicitas præterito seculo, inge-
 niorum feracissimo, contigit, ut plures
 in illo campo excolendo industriam su-
 am collocarint.

Hos inter duo inprimis eminent,
 nempe Hugo Grotius, & Sam. Pufen-
 dorffius, PAR virorum sine PARI, qui
 publicis imò æternis scriptis osten-
 dere, quanta sit & dignitas & utilitas
 studii hujus. Neque id sine solida ra-
 tione. Quid enim nobilius est illo Ju-

A

re,

re, quod non intra angustias alicujus Regni vel Provinciæ clauditur, prout alia jura & Leges, ac jus ipsum Romanum; sed universale est tam latè patens, quam ipsum Naturæ rationalis Regnum, ac vasta illa Gentium Societas? Et quid convenientius est homini quam rationem excolere? *Qualiter colis agrum tuum, taliter cole animam Tuam Casarei Arel.* monitum est: at jus hoc universale Animæ nostræ rationali insculptum est. Quod etiam *Tullius*, Romanæ Reipublicæ Consul, vidit; sic enim in *Oratione pro Milone* ait: *Lex hac non scripta, sed nata est; ad quam non docti, sed facti; non præceptis instituti, sed à Natura imbuti sumus.* Et in *Libro 3. de Republ.*, citante *Lactantio*, idem inquit: *Vera est hac Lex, Natura congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, qua vocat ad officium jubendo, & vetando deterrere.* Et quid est eminentius, quàm evidenter cernere, quomodo Legislator supremus diversissimos populos, ingeniis, moribus, aere & cœlo ipso longe distitos, una eademque Lege con-

strin-

strinxerit? Quod iterum Tullius, licet Gentilis, vidit, & penè stylo Christiano ita expressit: *Non est, inquit, hac Lex (Naturæ) alia Roma, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed omnes Gentes omni tempore una hac Lex sempiterna & immutabilis continebit. Unus nempe omnium Imperator DEUS est: ille Legis hujus Inventor & Lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, atque naturam hominis aspernabitur.*

Hæc ergo universalis, & omnibus connata Lex, sive Jus, præsens campus est, in quo nobis desudandum; & in quo laudatus Grotius ingenium suum incomparabile impendit, & quidem tanta felicitate, ut liber ejus, quem præ manibus habemus, Compendium pulcherrimæ eruditionis dici queat. Nam tota elegans literatura ibi est expressa. Quicquid apud veteres Philosophos pulchrum sed dispersum, hîc in justo ordine reperitur. Quicquid Historici nobile tradidere, id à Grotio mira dexteritate est applicatum. Et quod Caput, gemini JURIS & ÆQUITATIS FONTES tam limpide a-

periuntur, ut Juris civilis cultores invenire ibi queant, quæ ratio fit Legum, quas tanto numero terunt; quænam ex mero arbitrio tantum Legislatoris ortum traxerint; vel quid radicem habeat in Natura rationali & sociali; & quid pro certo casu ÆQUITAS, Temperatrix illa rigoris legalis, suadeat.

Unum est, quod Auctori haud levem maculam apud Theologos dedit; nempe sinistra quandoque Scripturæ interpretatio, & doctrinalia, quæ Socini potius & Arminii, quam Veritatis divinæ scholam sapiunt. Ex quo fit, ut Lector, qui non instructus est solida eruditione Theologica, facile in errores abripiatur, nisi à Viris in illa palæstra exercitatis se patiatur duci.

Ex quo ipso patet, qualem Lectorem Grotius noster requirat; nempe primò, qui non levem habeat tincturam in Philosophia veteri & nova; non hospes sit in moralibus, sed Principia moralitatis habeat perspecta; & familiaritatem contrahat cum Scriptoribus moralistis. Nam, ut rectè *Rachelius* scripsit, nihil illis ingeniis sublimius, ac plus est

acuminis in uno aliquo Thoma Aquinate, cum moralia tractat, quam in mille aliis. Prout *Covarruvias* quoque subtilis Hispanus advertit. Ut proinde ignorantiam suam prodant, qui illos homines sine discrimine rejiciunt vel fastidiunt. Sanè Grotio Lessius, Molina, Dom. Sotus, Aquinas, Cajetanus, frequentes sunt in margine; & D. Lauterbachio Juris Rom. interpreti Illustrissimo Clavis Sayri Regia in precio fuit maximo; sicut Frantzkió J Cro clarissimo Lud. Molina de Justit. & Jure.

Equidem non ignoro, quod forte haud immerito in illo hominum genere carpitur, nempe in contum illud dicendi genus & Metaphysicales spinæ, quæ quandoque lectorem suum plus sauciant quam erudiunt: verum si Maroni non grave fuit, ex Ennii stercoreibus aurum colligere: cur non idem faciamus in Moralistis, quorum Ratiocinia sæpe aurea sunt, licet termini sint spinosi.

Denique Theologiam requiri ad intelligendum nostrum Grotium, jam diximus, non levem, sed accuratam: aut qui sibi infirmitatis suæ conscius est, no-

stros Theologos consulat, atque in primis *Osiandrum*, qui si Tibi prolixus nimis videtur, breviores lineas in nostro hoc Opusculo invenies. Nec mirare, quod quandoq; à Viro maximo abeam. Nunquam secedo à fide: sed quandoque mitior sum in explicanda Authoris mente, sed sine *præjudicia* Veritatis.

Interea ut de scopo & methodo mea aliquid dicam, scias; constituisse me primò totum Grotium in Compendium redigere; non tantum ad juvandam Auditorum memoriam, sed & ut lucem afferam; negari enim non potest, quod stylus quandoque Grotianus tenebras habeat Lectori molestas.

Secundò Dubia & Controversias, quæ hinc inde in Grotio occurrunt, per Rationes exposui breves. Plus enim rebus tribuo, quam turgidis sed inanibus verbis: magis mihi placent nervi, sine mole; quam moles sine nervis.

Tertiò subjunxi etiam quandoque Authores, quos pro lubitu B. Lector consulere potest, si uberiores materiarum explicationem desiderat.

Denique Pufendorfium in plerisque pene

penè paginis observationum nostrarum
deprehendes; nam, ut dixi, Grotius &
Pufendorf nobile illud Par est, quos
si conjungas, haud facile te destituent.
Accedit, quod purior in rebus fidei sit Pu-
fendorf, quam Grotius; cujus quoque
specimen dedit in libello *de jure feodali*, in
quo succus & sanguis quispiam est pro-
fundæ Theologiæ; paucula enim quæ
irrepserunt vitia, eaque levia, doctissimo
Authori fraudi esse non debent.

Tu, interim Ben. Lector, fruerere hoc
labore nostro; aut, si ad palatum tuum
non est; aut censes, multa accuratius
vel verius dici potuisse: communica
tuos conceptus; semper assurgere &
cedere parati sumus meliora docentibus.
Nimis superbus est, qui putat, se nun-
quam errasse: & nimis contumax, qui
comiter revocantem in VI-

AM sequi non velle.

VALE.

Philo in Libr.


Omnem Virum bonum esse Liberum.

Lex mentiri nescia est RE-
CTA RATIO, quæ Lex non
ab hoc aut illo mortali mor-
talis; non in chartis aut colu-
mnis exanimis exanima: sed
corrumpi nescia; quippe ab
immortali Natura insculpta in
immortali intellectu.

Cicero *Epist.* XI.

Omnia sunt incerta, in Ge-
nere humano, cum à JURE
discessum est.

HUGO.



HUGONIS GROTHII
DE JURE BELLII
ET PACIS

LIBER I.

Compendium Capitis I.

I



Us universale, quod ex natura sua & ex nobilitate objecti longè eminentius & sublimius est, quam Jus civile, maximè versatur circa eas controversias & lites, quæ inter Populos, Regna & Nationes diversas versantur, ac vel Belli vel Pacis tempora respiciunt.

II, *Bellum* licet ordine nature posterius sit quam pax; est enim Augustino teste *ultimum afflicta justitia remedium*; tamen à Grothio *promissum*; quia Pacem considerat, tanquam

▲

finem

finem Belli. Non enim possunt, nec debent Bella in *infinitum* duci. Est autem Bellum *Status per vim certantium, qua tales sunt.*

III. Cum ergò quaeritur de Jure Belli, sitne bellum aliquod justum: oportet præmittere, quidnam dicatur *justum*, & quidnam sit *injustum*. Ubi sciendum JUSTUM & ejus fundamentum sive Jus *tripliciter* accipi.

Primò pro eo, quod justum est, hoc est, quod *Natura rationali & sociali non repugnat.*

Deinde pro *personali Qualitate*, quæ alicui competit ad aliquid justè habendum vel agendum.

Tertio pro *lege*, qua ratione justum dicitur, quod est Juri naturæ vel voluntario conforme.

IV. Jus *primo modo* acceptum vel est *inter aequales*, sive ex æquo inter se viventium; & dicitur novo vocabulo à Grotio *Aquatorium*: vel est *inter inaequales*, hoc est, superiores & inferiores; & sic dicitur *Reclorium*.

V. In *secundo sensu* Jus dividitur à Grotio *in facultatem & aptitudinem*, seu in actum & potentiam, qui termini sunt obscuri.

Facultas dicitur Jus strictum, qua facultate si quis utitur, dicitur uti JURE suo. Vocatur alias *potestas in res suas*.

VI. *Aptitudo* verò incompletum Jus est. Sic, si cui beneficia exhibui, ex *decencia quadam* ille alter ad gratitudinem tenetur; atque ego dicor habere aptitudinem seu actum quendam *primum Juris, sed non potestatem* seu

seu actum secundum, ad gratitudinem ejus
per viam *Juris* exigendam.

Nota. Authorem etiam distinguere inter *dominium plenum* & *minus plenum*, & pro exemplo *dominii minus pleni* afferre *usum fructum*: sed, ut observat *Obrecht & Guil: vander Müelen*, non utitur terminis in Foro & Jure civili consuetis, Nam *Dominium plenum* separatione *usufructus* non abit in duo *dominia*: sed *dominium* denudatur, & reverso *usufructu* consolidatur, quod tamen & antea *dominium* erat.

Sed hæc facile, ut opinamur, conciliari possunt; est enim potius *lis de voce* quam *de re*.

VII. Gravior est distinctio inter *Jus Eminens* & *vulgare*. Prius competit *Communitati* in *Republica*, aut ejus *Rectori* in *partes* & *res partium*, hoc est, in *bona*, *fortunas* & *vitam civium*.

Vulgare est id, quod inter *privatos* locum habet. De qua *distinctione* quid tenendum, infra *declarabitur*.

VIII. In *facultate* seu *Jure stricto* locum habet *JUSTITIA EXPLATRIX*, dicta alias à *Moralistis commutativa*; In *aptitudine* juxta *Grotium* respicitur *justitia distributiva*

Nota. Multum *spinarum* esse in *thesi octava* *Grotiana*, & lucidius longè *Moralistæ* de *Justitia Commutativa* & *Distributiva* scripsisse; quam *Grotius*.

IX. *Tertia* *Juris* est *acceptio*, cum pro sumitur, cujus *species* sunt, *Jus Na...*

Jus Gentium & Jus Positivum, quod Grotio appellatur *Voluntarium*.

X. *Jus Naturale*, quod merito pro fonte omnium aliorum Jurium habetur, est dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa Natura rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab Autore Naturæ DEO talem actum aut vetari aut præcipi.

Jus hoc Naturæ adeo est *immutabile*, ut ne à DEO quidem mutari possit; non ex defectu potentiz, sed quia sanctitatem & Justitiam suam exuere vel abnegare non potest. Non ergò est defectus, sed perfectio in DEO; quia uti Veritas ipsi essentialiter competit, ita Sanctitas & Justitia. *Tres ergo fontes sunt Juris Naturæ in DEO Sanctitas, Justitia & Veritas.*

Huic fundamento trino immutabilitatis, quod in DEO est, *accedit aliud ex parte objecti, videlicet Moralitas intrinseca & essentialis*, quæ in objectis Juris Naturæ cernitur. Sic fides in pactis, veracitas in juramento, pietas in cultu divino, intrinsecè sunt bona: uti dolus, perfidia, perjurium, contemptus supremi Numinis sunt intrinsecè mala.

Nota. Doctores, qui Moralitatem istam intrinsecam dicunt ANTECEDENTER se habere ad *Voluntatem Divinam*, non sunt tam stolidi, ut putent, dari aliquid in *Existendo* prius *Voluntate Divina*. Sed hoc volunt, quod sicut Sancti.

Sanctitas & Justitia non dependent à Voluntate Divina, sed ex modo concipiendi priora sunt: ita Lex Naturæ ejusque objecta in ratione Boni & Mali non dependent à Voluntate DEI. Non enim perjurium ideo est malum, quia DEUS vult, ut sit malum; sed quia repugnat Sanctitati & Justitiæ. Quo posito omnia argumenta Pufendorffii & Kulpisii contra Moralitatem *objectivam* abeunt in fumum, de quo in observationibus.

XI. *Juris Naturæ* propriè sic dicti non sunt *capacità Bruta*; nec accuratè satis à Do. Kulpisio dicitur, quod Bruta regantur Jure Naturæ. A Natura reguntur, sed non à JURE, quod est norma moralis justii & æqui.

XII. *Quid sit Juris Naturalis*, à Grotio probatur *ex convenientia vel disconvenientia cum Natura rationali*. Probatio, desumpta ex Natura sociali, à posteriori est, non à priori. Efficacior est illa *regula: Quod Tibi vis fieri id alteri feceris, & contra*; hæc enim ad intrinsecam Justitiam pertinet; socialitas, quæ talis, à Jure & Justitia præscindit.

XIII. Juri Naturæ opponitur *Jus Voluntarium*; quia tota ejus ratio est voluntas Legislatoris. Unde toties est mutabile, quoties Legem ferens vult. *Dividitur autem in Jus Voluntarium divinum & humanum*.

XIV. *Jus Gentium* à Grotio refertur ad Jus Voluntarium: nobis non ita videtur, ut infra videbimus.


XV. Jus

XV. Jus Voluntarium *divinum*, ut est Jus vel Lex à mera Dei Voluntate procedens, non est Ter Generi humano datum, sed bis tantum. Prædicatio autem fœderis Gratiz ter facta est, tempore Adami Gen. 3, Ætate Noæ post diluvium, & tempore Christi, ubi fœdus Gratiz titulum induit Evangelii, vel fœderis Evangelici.

XVI. Peculiare habuit Populus Israeliticus, quod ipsi cum magna solennitate promulgata est Lex moralis in monte Sinai, quæ in Substantia nihil aliud est quam Jus Natura, prout extitit in mente Adami adhuc integri. Legi Morali postmodum accessit Lex ceremonialis & forensis.

XVII. Lex moralis abrogata non est respectu infidelium; qui enim est extra Christum est sub Lege: respectu fidelium abrogata est quoad rigidam plenam obedientiz exactiorem; stat autem adhuc, ut est regula vitæ, & fœderi Gratiz subservit. Ceremonialis Lex adeo abrogata est, ut etiam sit feralis & nociva, si observetur. Forensis Lex etiam non amplius obligat, ut fuit Lex populo Israelitico lata.

Materia tamen Legis forensis, in quantum est Juris Moralis, quoad substantiam adhuc hodiè obligat, non verò quoad Circumstantias Reipublicæ Judaicæ particulares.



OBSERVATIO I.

*An fons Juris natura sit Societas
ejusque custodia?*

Hanc Quæstionem primo loco ponimus, cum ex ejus dextra resolutione & genuina intelligentia multa dependeant, non saltem ad penetrandam Grotii, sed & Pufendorffii & aliorum mentem, cum de *Jure Natura* tractant.

Advertendum autem, dictum *Grotium* in *Prolegomenis* pag. 2. expressè statuere, *Societatem fontem* esse ejus *Juris*, quod *Natura* nomine appelletur; & in *Cap. 1. §. 3.* dicit, quod injustum nihil sit aliud, quam quod *NATURÆ SOCIETATIS* ratione utentium repugnat. Sed probè notandum, *Grotium* *Jus Naturæ* non *sumere* in tota sua latitudine, quoties ejus fontem dicit *Socialitatem*, sed *partialiter* tantum. Mens ergo ejus est, *Jus NATURÆ*, in quantum præcisè pro *justitia* & *equitate* sumitur, pro *Fonte* suo habere *societatem* ejusque *custodiam*.

Ex quo ipso deducitur, interpretes & *Commentatores* *Grotianos* plerosque malè intel-

intellexisse mentem Grotii, dum putarunt, ipsum totum Jus NATURÆ in Societate ejusque custodia posuisse; unde ejus Auctoritate moti pro dicta Societate tanquam Fonte universali Juris Naturæ acriter pugnarunt.

Sans. Pufendorf. pariter pro Socialitate pugnat; sic enim sonant ejus verba: *Fundamentalis Lex Natura ista est: cuilibet homini, quantum est in se, conservanda est pacifica adversus alios SOCIALITAS; indoli & scopo generis humani in universum congruens.* Vid. *tract. de Jure Nat. & Gent. p. 208.*

Addit postea pro explicatione: *Se per Socialitatem innuere talem dispositionem hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentia, pace & charitate, mutuaque adeo obligatione conjunctus intelligatur.* Non ergo qualiscunque Societas, sed honesta & amica fons ipsi est Juris Naturæ; ut excludat Societatem furum vel latronum.

Hobbesius Malmesburiensis Anglus, Vir subtilis ingenii, sed ad novitatem prurientis, & veri Christianismi non satis ténacis, in aliud extremum abiit, & dixit, fontem Juris Naturæ esse SUI CONSERVATIONEM, ac defensionem vitæ ac membrorum. Verba ejus in *tr. de Cive pag. 11.* sunt: *Juris Naturalis fundamentum primum est, ut quisque vitam & membra sua, quantum potest, tueatur.* De Societate autem dicit, quod si homines eam colant,

id

id non esse ex fonte quodam Juris, sed ex intuitu alicujus utilitatis & commodi proprii.

Mens ejus ex verbis dignoscenda est, ita autem loquitur: *Quo consilio homines congregentur, ex his cognoscimus, quæ faciunt congregati.* Si coeunt enim commercii causa, unusquisque non socium, sed *rem suam* colit: si officii causa, nascitur *forensis* quædam *amicitia*, plus habens MUTUI METUS, quam AMORIS: si animi & hilaritatis causâ, solet maximè perplacere sibi unusquisque his rebus, quæ risum excitant, unde possit comparatione turpitudinis vel infirmitatis alienæ ipse sibi *met* commendatior evadere &c. Hæc Hobbes.

Tertiam sententiam est Bœcleri Professoris Argentinenſis celebr. qui in Annot. ad H. Grotium ex Codice sacro docet, *Jus Naturæ intra hæc tria stare FUNDAMENTA*, in AMORE DEI, in AMORE SUI & AMORE PROXIMI, quæ sententia Theologorum quoque est. Et sanè quis melius de Jure Naturæ judicare potest, quam Author & Stator NATURÆ DEUS? & quis Legis suæ sensum magis authentice explicare potest, quàm Legislator, qui iterum est DEUS? At is in Codice suo sacratissimo, non semel sed aliquoties, definit, quod tota LEGIS MORALIS, quæ quoad SUBSTANTIAM eadem est cum Lege Naturæ, SUMMA consistat in hoc: *Ama Deum tuum ex toto corde, ama Te & proximum*, hoc est,

B

homi-

hominem quemvis naturaliter Tibi cognatum, sicut teipsum. In hac ergo tria objectorum tota ratio Juris Naturæ consistit.

Societas itaque non est fons Juris Naturæ, primò quia non exhaurit ejus objectum, quod triplex est. *Secundo* quia juxta Pufendorfium hæc socialitas talis est dispositio hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi benevolentia, pace & charitate, mutuaque obligatione conjunctus intelligatur. Quæ descriptio non est societatis, quâ talis, sed amorosæ; & quæ simul obligationem inducit: at verò *Lex de amando proximo totum hoc habet*. Socialitas ergo non est fons Juris, sed Jus & Lex est fundamentum socialitatis; quia imperat pacem ac charitatem cum proximo, atque ad eam obligat.

Tertiò Jus NATURÆ est radius sanctitatis, justitiæ & veritatis divinæ: at socialitas remote se habet ad istos tres fontes. Quin & Deus admittere voluit, ut ad hanc normam in actionibus suis judicaretur, ut rectè advertit Grotius ex Gen. 18.25. Ezech. 18.v. : 5. Rom. 2. v. 6. At verò actiones DEI no. ideo sanctæ vel justæ, quia conformes sunt societati humanæ, vel quia ipsi non repugnant; sed ex INTRINSECA NATURA.

Quartò à posteriori quidem colligere possum: quicquid lædit societatem, illud ipsum est contra Jus Naturæ: sed non possum recipere

procè dicere : quicquid non lædit societatem, illud est Juri Naturæ conforme ; nam ex, gr. polygamia , concubinatus , incestus &c. non lædunt societatem , & tamen conformia non sunt Juri Naturæ.

Quinto longè fortius, universalis & divinius inferre possum : quicquid lædit amorem DEI & proximi, illud est contra Jus Naturæ, & quicquid non lædit amorem Dei & proximi, illud est conforme Juri Naturæ. Unde miror, cur tantopere Doctores laborent, ut socialitatem pro fonte juris ponant ; cum longè melius poni posset charitas, nempe erga proximum. Nam SOCIETAS sine CHARITATE est mera hypocrisis & simulatio : contra, ubi charitas est, ibi fida & vera est societas. Sincera ergo societas effectus est sinceræ charitatis, non fons Juris.

Dices cum oppositæ sententiæ Doctoribus, multa dari, quæ ad Jus Naturæ pertineant, quæ societatem necessario præsupponant : verbi gratia, alieni abstinentia, aut, si quid alieni habeamus, & lucri inde aliquid fecerimus, restitutio, promissorum implendorum obligatio, damni, culpa dati, reparatio &c. *vid. Grot. prol. §. 2.*

Respondetur : concedimus, quod quædam sint Juris Naturæ præcepta, quæ sese non exerunt, neque in actum secundum traduci possunt, nisi supposita societate; idque

probant exempla à Grotio allata: sed aliud est esse REQUISITUM ad exercitium alicujus rei, aliud est, esse fontem ejus. Sic non datur furtum, nisi supposita distinctione dominiorum: sed non exinde sequitur, quod *distinctio dominiorum* sit *fons furti*. Sic nemo potest pœnitentiam agere, nisi prius peccaverit: quis tamen sanæ mentis dixerit, quod *peccatum* sit *fons pœnitentiæ*, cum potius pœnitentia, si seria sit, deleat peccatum, adeo fons ejus non est.

Denique homo *principia Juris Nature* habet *inscripta* cordi suo, & quidem *divina manu*, *antecedenter*, quam capax est societatis. Fert enim illa *principia* secum ex utero; quæ deinceps, crescente ætate & posita societate, sese exerunt: ut sunt, *neminem ledere, suum cuique tribuere, idem alteri facere, quod quis sibi factum velit.* &c. Hæc enim ad exercitium sui supponunt societatem, prout tota justitia commutativa est ad alterum. At non rectè exinde colliges, ergò *societas* est *fons Juris* hujus: sed *fons Juris & Justitiæ* est *Justitia divina*, expressa primò in mente humana; postmodum, corruptâ illa tabulâ per lapsum, DEUS *Justitiam suam*, sicut & *Sanctitatem* redegit in *Legem Moralem*. In ea rectè *fons omnis Justitiæ* cernitur: illa appetitum hominis, qui ad societatem naturaliter inclinatur, ita dirigit, ut *societas* sit fida, amorosa, & vinculo charitatis contineatur. Omnis alia *societas*, nisi ita regatur

tur antecedenter à Jure Naturæ, est fallax, infidiosa, lucri sui cupida, commodum privatum respiciens, justitiæ non diutius serviens, quam utilitas exigit.

Quod ad *sententiam Hobbesii* attinet, illa multis modis falsa, Deoque & hominibus infesta est, quanquam in praxi sit frequentissima.

DEO est infesta; non enim DEUS nos condidit, ut in eo tota nostra cura & justitia versetur, ut nos conservemus, atque utilitatem nostram promoveamus: sed ut per nos gloria Dei reddatur illustrior, & quidem ita; ut, si necessum sit bonæ, fortunam, vitamque ipsam in gloriam DEI profundere, paratissimi simus. Sic Abrahamus à DEO evocatus è Patria sua, non regressit DEO: *Ego sequar jus Natura*, quod mihi mei conservationem & utilitatem suadet; in Patria longè melius, commòdius ac opulentiùs vivo, quàm in peregrina terra. Et *Christus* Salvator noster imperat discipulis, ut omnes *privatas utilitates derelinquant*; quin omnibus Christianis præcipit, ut omnia *abnegent*, atque unicè in DEO recumbant. Quæ sanè cum Hobbesii Jure Naturæ ejusque fundamentali principio planè non quadrant. Cui autem magis credendum est DEO, an Hobbesio?

Infesta est secundo doctrina Hobbesii hominibus; omnes enim Regiminis nervos incidit.

dit. Nam si juxta hanc hypothesin utilitas privata sive conservatio sui est fons, unde omnes Naturæ Leges scaturiunt; & in specie etiam hæc Lex, *pactum servato, quo Magistratui devincti sumus*: tum si accidat, ut obedientia erga Magistratum, & PRIVATA UTILITAS ac proprium commodum simul nequeant consistere; sequetur, quod liceat in tali casu Magistratus jussa contemnere, ac *jugum excutere*. Nam si *privatum commodum* sit unica ratio, quare Magistratui parendum sit: tum cessante hac ratione, *fas & jus est Magistratus Imperium detrectare*; quod ipsum nihil aliud est, quam quotidianam seditionibus ansam ac materiam dare, atque adeo omnia in summum discrimen & confusionem adducere.

Tertiò si propria & privata utilitas Jus dat ad omnia; & quilibet in arbitrio suo, in Jure Naturæ fundato, habet, omnibus modis & viis se conservare; sequetur, quod etiam Religionem quamvis amplecti queam, quæ commodis & utilitati, seu conservationi privatæ, quam optimè servit; Jus enim hoc juxta Hobbesium in naturali Justitia fundatur. Quis autem tam cæcus est, ut non videat, hac ratione etiam *in rebus fidei & Religionis*, ubi cuncta sancta & immota esse debent, *omnia convelli*, & nihil certi haberi.

AUCTO.

AUCTORES.

Doctores, qui societatem ejusque custodiam pro fonte juris Naturæ agnoscunt, præter Grotium sunt.

S. Pufendorf. *de Jure Nat. & Gentium.*

Guil. vander Müelen *in Comm. Grot.*

Bæclerus *in Comm. in Grot. quanquam satis existimet, si fons juris Naturæ ex Legè morali discatur.*

Dn. Chr. Thomafius *passim.*

Dn. Vicriarius *in Colleg. Msclo.*

Dn. Kulpifius *in Colleg. Msc.*

Pro Negativa pugnant

Dn. Zieglerus *in prol. Grot.*

Dn. D. Osiander *in Not. ad Grotium.*

D. Alberti *in tract. de J. N. & G.*

Dn. Buddeus *passim*

Th. Hobbesius, qui loco societatis sui conservationem substituit.

Robertus Scharrock *de finib. & Officiis. c. 2. v. 10.*

Zentgrafius *de Orig. Jur. N. art. 6.*

Timplerus Anglus *in Idea Theol. Leviath.*

Observ. II. ad Thef. 3.

*An inter Deum & homines detur
societas?*

Castigat Zieglerus p. 44. Grozium, quod societatem, licet inæqualem, statuerit inter Deum & homines. *Grotium* defendit *Tesmarus*, & probat societatem eam, quia Scriptura sacra fœderis inter Deum & homines, item pacti, & amicitiz mentionem faciat. Gen. 17. v. 2. Exod. 6. v. 4. Lev. 26. v. 15. 42. Deut. 30. v. 16.

Samuel Pufendorf in pulcherrimo tractatu de *Jure fecciali* hypothefi huic, quod detur fœdus seu societas fœderalis, multa inædificat, atque illam non levibus suffulcit rationibus. Quanquam autem hæc materia videatur extra lineam Grotianam; quia eam in hoc loco tangit tantum, non tractat: necessaria tamen omnino est, ut discutjatur, ad minimum quoad quæstionem A. Neque enim materia legis, nec materia Evangelii, de quibus Grotio toties sermo est, rectè intelligi potest, nisi hoc punctum habeatur perspectum. Accedit, quod Novi & Veteris fœderis inter Deum & homines mentionem faciat crebram Grotius.

Quod itaque quæstionem attinet: an detur societas fœderalis inter Deum & homines, *pro-negativa* *Ziegleri* sententia non infirmæ rationes videntur militare.

Nam

Nam *Imo* Deus est Ens absolutum & independens, imo non Ens tantum summum, sed etiam Dominus absolutus creaturarum omnium, quibus *pro lubitu*, si rationales sint, *leges & officia præscribere potest contra hoc*, quod ipse vicissim *obligatus sit* ad aliquod reciprocè præstandum. Unde etiam Nebucadnezar ad sanam mentem rediens Dan. 4. v. 32. de Deo ejusque Eminentia supra omnes homines ita discurrit: omnes habitatores terræ ut NIHIL apud JEHOVAM sunt, & pro voluntate sua facit in exercitu Cæli, neque est, qui prohibeat manum ejus & dicat ei, quid facis?

2do Ex homine nihil potest utilitatis Deo accrescere; est enim sibi sufficiens absolute, multò minus nocumentum ipsi inferri potest. At hoc videtur in fœderibus & mutuis pactis perpetuum quasi requisitum, ut de mutua utilitate, lucro, defensione, aut talibus utriusque parti prospiciatur. Inde fœdera & societates, si rectè sint institutæ, regulis justitiæ commutativæ superstructæ esse debent. At nec utile, nec lucrum à Creatura perit Deus; nec dari justitiam commutativam inter Deum & Creaturam suam tradunt Theologi.

3tio Homo nullo planè respectu est sui Juris, & tenetur absque omni fœdere & societate ad obsequium Deo præstandum.

Sed contra est primò quod ipsa bonitas & Φιλανθρωπία DEI talem exigat societatem fœde-

ralem; non enim illa aliter aut melius se potest exercere, quam recipiendo hominem in sui societatem & communionem. Hinc etiam primo homini ab ipso DEO impressus est appetitus fruendi Deo; qui ipse appetitus, cum rectus fuerit, à Deo quoque impleri debuit, nisi velimus dicere, Deum voluisse hominem inani desiderio pascere, vel potius ludificare.

Secundo rectè observat Pufendorf in Jure De sociali, quod in ipsa Religione sit involutum fœdus seu pactum. Nam quando Deus indicat, quomodo ab homine coli velit; & homo in se recepit, eum se cultum obire velle: tum existit consensio voluntatis divinæ & humanæ, ac homo fidem in Deum ac Religionem habere dicitur, quem ante ipsam consensionem non habebat. Etsi enim dicitur, Deum nudè præ imperio homini cultum sui injungere potuisse, ad quem etiam homo ex virtute Creationis tenebatur; placuit tamen ejus Sapientiæ ac Bonitati, istum per modum fœderis potius ac præmio ostentato stabilire, ita ut, propositione à Deo facta, hominum consensus & acceptatio accedat; atq; inde mutua velut obligatio & arctior amicitia atque conjunctio inter Deum & homines enascatur. Hactenus Pufendorf.

Tertio in fœdere Gratiæ summa est Communio inter Deum & hominem; nam ibi se nobis dat Deus in MARITUM, qui se nobis desponsavit in miserationibus æternis Hos. 2.

v. 19; in Patrem, qui nos sibi adoptat in filios 2. Cor. 9. v. 18; in Principem, qui nos in populum sibi peculiarem selegit, cum quo foedus offensivum & defensivum contrahit Es. 38. v. 6.

Ad rationes itaq; pro sententia Ziegleri allatas respondetur, & ad primam quidem, nos ultro concedere, Deum esse Ens independens & habere Creaturarum dominium absolutum, quod proinde leges potest præscribere ad placitum. At hoc Dominio absoluto Deus nisi non voluit erga hominem, sed illud miro quodam temperamento ita mitigavit, ut bonitas ejus in omni opere erga hominem pelluceat. In secunda ratione id tantum evincitur, non dari foedera seu societatem quandam aequalem inter Deum & hominem; nec talem, qualis est inter homines, ubi in societatibus aut foederibus suis de utilitate sibi prospiciunt ex utraque parte: sed non exinde sequitur, quod non detur foedus aut societas inter Deum & homines inæqualis. In tertia ratione itidem concedimus, quod homo non sit sui juris, & quod absque omni foedere Deo obsequium debeat: sed in hoc stat benignitas Dei, quod is cultum & obsequium non desideres frustra, sed promittat liberalem compensationem, quæ imprimis consistit in arctissima illa communionem, quæ obtinetur in vita æterna, ubi perennis erit societas, & ineffabilis amicitia
inter

inter Deum & hominem beatum, licet DEUS maneat Ens summum & independens.

Ad Thef. 6. Observ. III.

An detur Dominium Eminens?

& in quo fundetur?

STatuit Grotius, quod detur dominium *Seminens*, quod competat Communitati in partes & res partium boni communis causa, hoc est, quod competat Reipublicæ aut Rempublicam tenenti, in partes sibi subjectas, res, seu patrimonia subjectorum.

Dn. *Vitriarius* negat dari talem facultatem, seu, ut alias vocant, dominium *eminens*.

Primò quia dominium fit *facultas utendi & abutendi re sua*; at nulli Principi aut Regi, aut Rempublicam tenenti, competere jus abutendi bonis suorum subditorum.

Secundo hoc jus maximè vel ideò non esse asserendum; quia *latam portam aperiat principibus grassandi in bona subditorum*; illos enim semper prætere posse, se hoc agere ex Jure *eminenti*; qui autem jure suo utatur, nemini facere injuriam.

Tertio plus juris non competere Regi aut Principi, quàm quod ipsi abs populo concessum, & in electione collatum sit; at *nullum* esse tam stultum, ut Regi aut Principi *in sua bona absolutum jus velit concedere*.

Quarto in ipsa Anglia tempore Jacobi I. hoc

hoc jus à Concionatore Regi assignatum fuit : sed statim, concione finita, populus querelam ad Regem detulit, conquerens, hac ratione neminem Anglorum dicere posse, *hac res est mea*, sed dici debere, *hac res est Regis*, resque parum à tumultu communi abfuit ; sed Rex ipse Concionatorem in carcerem jussit conjicere.

Dn. Osiand. hoc jus per varias rationes defendit, atque illud deducit

Primo ex Majestate, seu Vicariatu DEI; Principes enim & Reges Vicarios esse DEI in his terris. Licet itaque DEUS concesserit dominium homini in res suas: retento tamen semper Dominio superiori & eminenti pro lubitu repetendi eas res id eum fecisse; atque hinc etiam Regem, Principem, tanquam Vicarium DEI habere jus disponendi de bonis subditorum.

Secundo qui habeat jus in vitam & sanguinem subditorum, illum etiam habere jus in bona; qui enim Imperium habeat in majus, illum etiam habere in minus.

Tertio summam potestatem non posse consistere, nisi statuatur illud jus.

Quarto fundari illud in jure Regio descripto, 1. Sam. 8. v. 11. seq.

Nos existimamus cum *Pufend.* lib. 8. c. 5. §. 7. hoc jus dominiij eminentis *neque simpliciter negari*, nec etiam simpliciter *concedi posse*.

Primo igitur dominio isti locus non est conce-

concedendus nisi *Reipublica necessitas* id postulet, atque id eò hoc jus exsurgit, necessitate surgente.

Secundo cessat, cessante iterum necessitate. Sola itaq; publica necessitas hoc Dominium fundat.

Tertio exercendum cum justitia, ut scilicet cives *ex aquo bona conferant*, nec unus præ alio gravetur.

Quarto non censemus, illud dominium simpliciter *ex Vicariatu divino* esse arcessendum; alias enim Princeps posset exercere jus illud, sive ingrueret aliqua necessitas, sive non; Vicarius enim ille uniforme jus habet. Accedit, quod Princeps quidem sit vices DEI tenens, sed in exercenda justitia. Quotiescunque ergò Rex exercet tale jus sine necessitate, & saltem pro libidine sua: toties non facit ut Vicarius DEI, nec ut exercens justitiam, sed ut Tyrannus.

Denique locus 1. Sam. 9. v. 20. adhuc est controversus, & censemus nos, non omnia, quæ ibi describuntur, ad jus Regis proprie dictum pertinere; *sed in multis factum indicari*, quanquam *cum effectu aliquo juris*, id est, ut populo non competat jus resistendi. De quo plenius infra.

Non malè *Tesmarus* ait, periculi plenas & temerarias esse disputationes, cum quæritur, an Princeps sine justa causa, ex sola potestatis plenitudine, civibus bona sua eripere, & in suum usum transferre possit. Ex una enim

enim parte periculosum est, de juribus Regum disceptare; & ex altera civium & subditorum fortuna & libertas in ancipiti est.

Rectè etiam *Obrechtus* Prætor regius Argentoratensis asserit, quod sicut hoc Jus *Dominii Eminentis* ad solam UTILITATEM PUBLICAM sit referendum: ita *compensationem*, respectu eorum Civium, qui bona sua contulere, instituendam esse *secundum proportionem* Legis Rhodix de *factu*. Quæ Lex sicut in æquitate naturali fundatissima est: ita Jure in præsentī materia à Principe, aut Magistratum tenente observatur,

AUCTORES.

Dominium Eminens, prout illud Grotius descripsit, *negarunt*

Dn. Vitriarius in *Colleg. Miscæ.*

Feldenus, qui primus Grotium impugnavit.

Ziegler in *Not. ad Grotium.*

Lyserus apud Kulp.

Affirmarunt Dn. D. Oslander in *Observ.*

Dn. Kulpisius in *Colleg. in Grot.*

Bœclerus in *Coment. in Grot.*

Pufendorf *Tr. de Jure Nat. & Gent.*

Hornius in *responsō contr. Lyser.*

OBSER.

OBSERV. IV.

*Quid sit, actum esse Moralem, si ve,
quid sit Moralitas in actibus?*

Nihil frequentius est, quàm vox ista **MORALIS**, in *Grotio*, *Pufendorfio*, & aliis scriptoribus, qui Jus Naturæ excusserunt; unde etiam *Grotius* eam in definitione Juris Naturæ posuit. Maximi etiam interest scire, quid sub voce ista involvatur. Triplex autem **MORALITAS** occurrit in illis Scriptoribus: *prima est in Lege*, ut cum Lex dicitur moralis, sub qua notione communiter intelligitur Decalogus: *secunda est in objectis*, quæ dicitur moralitas objectiva, cui opponitur indifferentia objectiva: *tertia est moralitas in actibus*, cum actus dicuntur boni vel mali moraliter. Omnes has species admittit *Grotius*: moralitatem objectivam negat *Pufend.* & cum eo *Kulpifius* & *Thomasius*: tertiam omnes admittunt, sed variè explicant. De hoc igitur in præsentia ex occasione à *Grotio* data aliquid dicemus.

Advertendum autem *Pufendorffium* in genere de Entemorali statim in vestibulo Libri sui *de Jure N. & Gent. Thef. 3.* ita discurrere, ut dicat, quod Entia moralia sint modè quidam, rebus aut motibus physicis superadditi ab Entibus intelligentibus, ad dirigendam & temperandam libertatem actuum hominis

minis voluntariorum, & ad ordinem ac decorem vitæ humanæ conciliandum.

Porro ortum eorum ita describit: Uti modus originarius producendi Entia Physica est Creatio: ita modum, quo Entia moralia producuntur, vix posse melius exprimi, quam per vocabulum IMPOSITIONIS; imponi enim rébus ex arbitrio Entium intelligentium. Et *cap. 2. thes. 6. ait*, Moralitatem actionum humanarum oriri ex mera impositione Divina; sicut tevera omnes motus & actiones hominis, remota omni Lege tam divina quam humana, sint indifferentes.

Cum Pufendorffo facit *Vitriarius Professor Leodensis celeberrimus, Szydlovius Theol. Ref. & alii*

Sed hæc Sententia prima specie innoxia, ex multis tamen titulis falsa est, & imprimis contra sanam Theologiam impingit.

Nam primo stante ea sequitur, quod *actiones Christi satisfactoria & meritoria* non haberent Valorem quendam intrinsecum sed mere extrinsecum & accidentalem, dependentem à libera impositione divina & æstimo externo. Quod ipsum quàm falsum sit, docet Scriptura, quæ comparans illum VALOREM cum illis, quæ intrinsecum valorem habent, ut cum auro & argento, nihilominus dicit, pretium ejus infinites majus esse, quàm pretium omnium istarum rerum. 1. Petr. 1. 19. Porro per meritum & Satisfactionem Christi redempti dicimus

mur per **PRETIIUM** interpositum; unde *redemptio* formaliter spectata est iterata Emptio, seu rei alienatæ pro certo pretio receptio. At non fuisset pretium verum in actionibus & passionibus Christi, sed tantum impositum ex liberali impositione & acceptatione **DEI**, si omnis earum *Moralitas* staret in dicta illa impositione *Puffendoriana*. Quo ipso cessaret necessitas Satisfactionis ad minimum quoad circumstantias illas dirissimi supplicij per mortem Crucis; potuisset enim **DEUS** primis illis passionibus, captivitate, vinculis, flagellis contentus esse, ipsisque omnem illum valorem imponere, qui fuit in morte illa dirissima. Quam autem grata sint hæc Socinianis, novit qui in Theologia aliquid novit.

Secundo ipsi actus *Divini* sunt moraliter optimi: v. gr. amor ille, quo **DEUS** seipsum amat ab æterno, sanctissimus est; item, quo **Pater** amat **Filium** in divinis, & reciproco amore **Filius** **Patrem**, uti intensissimus, ita sanctissimus est; idem dicendum de amore **Spiritus S.** Quis autem diceret, moralitatem illius amoris esse à mera impositione? Et quis imposuit eam? An **DEUS** sibi ipsi? Et quid clamant adorantes **Cherubim** & **Seraphim** Ter illud: **Sanctus, Sanctus, Sanctus**? ideo sane non, quia sanctitas illa fuit externa & imposita, sed quia *Naturæ Divinæ* & ipsius operibus ad intra est *Essentialis & Intrinseca*.

Tertio.

Tertio Si malicia in actibus malis est tantum ab Impositione divina: tum planè inanis est illa exaggeratio, quando *Pf. 5. v. 5.* dicitur, quod Deus peccatum & peccatores exhorreat & aversetur; posset enim facili negotio non averfari, si peccatis non imponeret moralitatem; nec horror ille aliunde proveniret quam à libera voluntate, non à principio intrinseco.

Quarto Tituli hac ratione *Justi & injusti*, honesti & turpis, Pietatis & malitiæ ac peccati, tituli tantum erunt, & nomina actibus imposita, non aliquid in actibus ipsis fundatum.

Quinto cur DEUS æternis suppliciis & tam rigorosa pœna citra omnem misericordiæ aut veniæ spem punit id, quod sola impositione sua malum facit; cum *ex se* sit RES vel *actus indifferens*, quique aded per oppositam Impositionem potuisset esse B O N U S.

Nostra itaq; *sententia* est, *Primo* quod quidem RADIX & ORIGO moralitatis sit transcribenda DEO, sed sub certa ratione; quod ex Legibus à DEO datis optimè cerni potest. Scilicet respectu *Legis Naturæ primariæ* RADIX SANCTITAS est & JUSTITIA, quibus perfectionibus utique non opponitur Voluntas divina, quæ MATERIALITÈR eadem est cum sanctitate & Justitia: in sensu tamen FORMALI aliud est Sanctitas, aliud Voluntas DEI; & in hoc sensu FORMALI radix moralitatis sanctitati & Justitia

tiaz divinæ transcribitur, tanquam Causæ Ideali seu Exemplari. Explicamus hoc: præceptum v. gr. de amando & colendo DEO tanquam Summo Bono utique ab eo fonte derivandum est, quem sapit: At amorem DEI sapere sanctitatem DEI, constare potest maximè etiam ex eo, quia in vita æternæ, ubi Sanctitas nostra erit perfecta, potissimum sanctitatis nostræ exercitium stabit in amore DEI, sed hic amor erit *moraliter* optimus.

Porro Justitia Divina habet se ut radix *moralitatis*; quia est radix Legis Naturæ. Uti enim DEUS neminem innocentem vi Justitiæ suæ punire potest: ita ex eodem fonte fluit præceptum Juris Naturæ, quod nemo sit lædendus. Ut vi justitiæ cuiuslibet daturus est SECUNDUM OPERA sua: ita ex eodem tenore præcipit, ut suum cuique tribuatur. Et hæc omnia pertinent ad *Moralia*.

Secundum principium Moralitatis, seu, ut potius loquamur, fundamentum *ex parte Subjecti* est, ut illud instructum sit INTELLECTU Ac VOLUNTATE, sine quibus non datur Moralitas Formalis, seu Exercita. Unde ratio, quod in brutis, aut in inanimatis non datur bonitas vel malitia, partim est defectus Intellectus & Voluntatis, seu uno vocabulo libertatis; partim Objecti Natura & Conditio, cum Moraliam longè sint alterius & sublimioris Ordinis, quam ut in ista cadant; partim est defectus Obligationis,

tionis, quod enim Obligationis propriè dictæ capax non est, id nec Moralitatis est, ut ex Legge descendens.

Tertio loco ponimus OBJECTUM IPSUM MORALE, *intrinsecè & ab æterno tale*, quod non est concipiendum, ut putat *Pufendorfius*, quasi hæc sententia statuat vel adjungat DEO principium aliquod ipsi coæternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis necessum habeat sequi. Insanz mentis esset, qui ad istos vanissimos conceptus descenderet. Sed id tantum dicitur, dari aliquid in quibusdam Objectis, quod ex vi & conditione sua nativa importet moralitatem non formalem, nec exercitam, sed in Actu signato, seu fundamentalem. Agnoscit hoc sæpe citatus *Pufendorf* in tract. de Jur. N. & Gent. libr. 8. c. 1. contra *Hobbesium*, justi & injusti titulos ex Imperio Civili derivantem, disputans. Sic enim ait: Quod ante Imperia Civilia Justum vel injustum non extiterit, per Jus naturale definitum, & Conscientias hominum stringens, ut ait *Hobbes*: id æquè falsum est, ac si asserere velim Veritatem & rectitudinem ab arbitrio hominum & non à NATURA RERUM dependere.

Sicut itaque VERITAS datur in quibusdam *Objectiva & fundamentalis*: ita etiam MORALITAS. Sic hæc propositio, omne triangulum habet tres angulos, duobus rectis æquales; vel hæc, totum est majus sua parte, VERITA-

TEM habet intrinsecam, immobilem, constantem, aut, ut Metaphysici loquuntur, æternam. Non quasi daretur principium in rerum Natura existens, cœvum Deo; sed id tantum innuitur, quod connexio prædicati cum Subiecto sit invariabilis, constans & æterna. Ita pariter in Moralibus mendacium, quia est dissimulatio oris & cordis; Furtum, quia est fraudulenta attrectatio rei alienæ invito Domino; Odium DEI, quia est malignus affectus contra DEUM tanquam Summum Bonum; hi, inquam, omnes Actus, spectati per modum objectorum, invariabilem habent moralitatem malitiæ, neque per ullam Legem, vel Imperium Superioris, ab una Moralitate possunt transire in alteram, de malitia v. gr. in bonitatem. DEUS in æternum se non potest abnegare. Unde abnegatio sui, respectu DEI, ita repugnat DEO propter intrinsecam malitiam seu Moralitatem, ut in æternum talis Actus nunquam possit in DEUM cadere.

Denique dicimus, non esse excludendam VOLUNTATEM DIVINAM ab Origine MORALITIS. Quis enim excluderet illud principium, quod dedit *Essentiam & Existentiam* homini *actualem*; formavit eum, ut Creaturam rationalem; impressit Legem Naturæ cordi humano.

Sed advertete, Voluntatem divinam dupliciter spectari posse, vel ut abstrahit à Sapien-

tia, sanctitate & iustitia Divina; atque aded ut est integrum, adæquatum & formale principium Actus sui, sicque intelligitur agere ex Libertate quadam planè absoluta, vel stante in *Equilibrio* atque indifferenti: Vel spectatur ut in Signo Rationis posterior distamine Sapientiae, Sanctitatis & Iustitiae Divinae. Priori respectu negamus Voluntatem Divinam primum esse principium moralitatis. Ac proin, quia B. Pufendorf hinc inde tum in tract. de Jur. Nat. & Gent. libr. 1. cap. 2. tum in Elem. mentionem fecit liberrimæ Voluntatis Divinae, item arbitrii Divini liberi; postea verò se explicavit dicendo, se non loqui de Voluntate simpliciter libera, & in utramque partem flexili, sed de ea ut sancta & iusta, unde constare potest, tandem ipsum se melius & clarius explicasse; prout fieri solet, ut posteriores cogitationes meliores sint, quam priores. Sanè enim prior illa sententia de liberrima Voluntate divina, quodque illa sit radix moralitatis, crudissima est, & in Szydlovio impuro communibus Dn. Reformatorum telis confixa est, de qua infra.

Maneat ergo Voluntas divina primum principium Moralitatis, sed in iis, quæ pertinent ad *Leges positivas*. Quod verò ad *Moralitatem* in *Lege Naturæ* attinet, prima Radix & principium ideale est sanctitas & Iustitia divina; Volun-

Junctas verò formaliter loquendo posterior est in signo Rationis, & substat principiis moralibus intrinsicis, ac pertinet potius ad EXECUTIONEM. Uti enim Actus omnes divini ad EXTRA pertinent ad Voluntatem divinam Executricem: ita etiam SANCTIO LEGUM.

Quod in specie ad *Szydiovinum* Theologum Batavum attinet, illi opponimus alios Theologos Batavos, isto millies saniores. Et primò quidem producimus celeberrimum *Coccejum*, in *summa Theol.* cap. 24. qui refutans sententiam eorum, qui existimant, antècedenter ad Legem nullam dari *Moralitatem* in *Objectis*, adeoq; actus omnes & *Objecta* ex se esse Indifferentia, si concipiantur ante *Voluntatem* Legislatoris, ita concludit: *Hac sententia nihil potest excogitari PESTILENTIUS, & ad omne Religionis fundamentum tollendum, ipsamque rationem justitiæ DEI & necessitatem Salvatoris interimendam, & pietatem excindendam.*

Idem docet Theologus *Moderatissimus* simulque *doctissimus* *Witsius* in *Oecon. Fæd.* p. 29. Inquirens enim in quæstionem: an omnis *Rei bonitas* & sic etiam *malitia* ab indifferenti *Numinis* arbitrio pendeat, respondet planè non, eamque multis rationibus confutat, Additque, *hac, quam impugnamus, sententia tollitur omne discrimen inter moralia & positiva præcepta. & refoditur vetus Archelai paradoxum: Τὸ δὲ*

καὶ οὐκ

καλον ειναι κη το αιχαρον ε Φυση, αλλα νομο; Cui succinit Aristippus & Theodorus ille, Athenus appellatus. Talibus elogiis laudatus Wisfius exornat Szydlovij sententiam.

Paria planè habet celebr. Heidanus in Syst. Theol. p. 157. Moses Amyraldus Professor Reformatus in Academia Salmurienti; Franciscus Turretinus Professor Genev. in Syst.

Restat, ut etiam illi Sententiæ occurramus, quæ moralitatem præcisè ex Lege deducit, in qua Sententia olim fuit Petrus ab Alliaco, Cardinalis, quem hodie nonnulli sequuntur, abutentes loco Johanneo, qui 1. Ep. c. 3. ait peccatum esse transgressionem Legis. Nam censemus cum distinctione hic procedendum esse; etenim moralitas in actibus est duplex. Quidam enim actus habent moralitatem suam primam ab intrinseco, ut v. gr. amor Dei, fides, honor parentibus exhibitus. Nam amare DEUM amore sincero, fidem præstare datam, honorare parentes, actus sunt PER SE & essentialiter, sive, ut alii loquuntur, ex objecto *moralis*, quibus deinceps si accedat Lex, Moralitas accedit ab extrinseco, quæ alias dicitur moralitas relativa. In actibus malis id pariter cernitur; perjurium, blasphemia, Sodomia sunt actus per se mali, & malitia ipsis competit essentialiter; qui deinde actus, si etiam lege prohibeantur, dicuntur peccata, hoc est, accipiunt novam mo-

ralitatem ab extrinseco principio, videlicet à Lege.

Alii verò actus habent moralitatem *merè extrinsecam* tantum ex Lege dependentem, unde quam primum cessat Lex, tam primum cessat etiam moralitas. Sic de præsentì *venatio* est prohibita, & actus dicitur malus moraliter, pœnæ quoque subjacet: at quam primum cessat Lex, tam primum cessat quoque moralitas. In Legibus divinis res adhuc clarior est. *Comestio certorum ciborum* in *Vet. Test.* sanè fuit actus moraliter malus; quia à Lege prohibitus: cessante in novo Testamento ea Lege, cessat quoque moralitas. At si per impossibile nulla Lex daretur de blasphemia, perjurio, Sodomia, &c: actus illi tamen essent intrinsece turpes, & moraliter pessimi; si non moralitate relativa, tamen objectiva, seu fundamentali.

Denique quia hæc profunda non omnes capiunt, & maximè ii non, qui ignorantia Metaphysicâ laborant: unde non de nihilo censemus illud monitum *Obrechtii* Prof. quondam *Argentoratensis*, & postmodum *Prætoris Regii*, qui in *Collegio msc.* suadet, ut ii, qui principia hæc subtiliora non intelligunt, assumant Sententiam *Pufendorffii*, quod Voluntas Divina Legislativa inducat *Moralitatem* boni & mali, liciti & prohibiti; id quod de *formali* etiam concedimus, modo *Indifferentismus* non introducatur.

Observ.

Observ. V. ad Thes. 10.

In quo consistat Jus Naturæ?

Circa hoc punctum magna est dissonantia authorum; *Hugo Grotius* illud definit, quod sit dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia vel disconvenientia cum natura rationali inesse moralem turpitudinem vel necessitatem moralem.

Hanc definitionem *rejecit Dr. Oslander*

Primo, quia genus sit ambiguum & terminus obscurior, quàm terminus Juris aut legis. *Secundo*, quia sit terminus inconveniens, nam dictatum importare actum transcurrentem. At verò Legem naturæ esse Ens quoddam fixum, constans, & perpetuum, digito Dei menti humanæ impressum, quod, teste Augustino, ne ipsa quidem delet iniquitas. *Tertio* plus requiritur ad rationem tantæ Legis, quæ omnes alias perfectione sua superat, quàm saltem dictitare; id enim est actus intellectus, qui non legaliter imperat, sed tantum dicit, ostendit, insinuat. *Quarto* convenientia aut disconvenientia cum natura rationali non est Lex ipsa naturæ, sed potius affectio quædam actus Boni vel mali, circa quem Lex naturæ versatur vel præcipiendo vel prohibendo. *Quinto* in illa definitione omissa est Causa efficiens, seu Legis-

tor.

tor, qui Jure poni deberet ob Universalitatem & Eminentiam talis Legis. *Sexto* denique deficit ratio ejus formalis, videlicet vis Obligativa, sine qua Lex nulla vim Legis habere potest. Equidem *Obrechtus* censet in voce dictati vim obligativam includi: verum gratis id dicitur; cum formales rationes non ponantur in conceptibus genericis sed specificis; neque audiens aliquis vocem dictaminis statim sibi concipit Obligativam vim.

Vitriarius in Instit. Jur. Nature & Gent. p. 5. aliam adornat definitionem, & ait, quod sit Jus, quod Deus per rectam rationem inter omnes homines constituerit propter honestatem & turpitudinem. In explicatione deinde *Honesti* & *turpis* ait, quod illud sit id, quod cum natura Societatis humanæ conveniat, & ad ejus conservationem requiratur: *Turpe* autem esse, quod cum natura Societatis humanæ non conveniat, sed ordinem ejus tollat. Denique ait, Jus naturæ esse propter conservationem Societatis humanæ latum.

Sed illa Vitriarii definitio cum ejus explicatione etiam non procedit, sed falsa est.

Nam Primo absonum est, quod genus Juris naturæ faciat ipsum Jus; Cum Genus latius debeat esse, quam sua species; Nihil autem seipso potest esse latius.

Secundo inepte dicitur, quod Deus per rectam

Etiam rationem constituerit Jus Naturæ. Nam Recta ratio *vel* sumitur pro actu primo, & sic est ipsa vis ratiocinativa, atque adeo nihil aliud est, quàm Intellectus hominis, & ita antecedenter se habet ad Jus Naturæ; quia est potentia Animæ, vel ipsi superaddita, vel, ut communior & melior est sententia, ipsi identificata: *Vel* sumitur pro actuali judicio, & sic non est aut esse potest Jus Naturæ, sed potius illud judicium est præco quidam Legis Naturæ, & ostendit, quid illa jubeat aut veter. *Accedit*, quod *Paulus Rom. 2.* tanquàm habituale quid describat illam Legem; dicit enim quod sit *inscripta Cordi*, seu animæ hominis; caractere constanti, ne diffluat; impresso, non ernatur; aperto, ut legatur; conspicuo, ut dirigat & spectetur.

Tertio malè assignat objectum hujus Juris, videlicet honestatem & turpitudinem, quas tantum determinat ex natura Societatis humanæ. Sane Honestas & turpitudinis determinationem suam non accipiunt ex natura Societatis humanæ; angusta nimis est honestas, quæ tantum respicit Societatem humanam. *Seneca de brev. vit.* ait nihil opinionis causa, omnia conscientie faciam. Pariter dicimus: omnia potius propter conscientiam quàm propter Societatem faciendæ. *Conscientia primo loco est ponenda, Societas secundo.* Multa sunt, quæ habent turpitudinem
sum-

summam sine hoc, quod lædant societatem, ut supra insinuavimus: ex, gr. Sodomia, odium Dei, cogitationes venereæ non erumpentes in actum secundum. Quin apud multos populos usitata & permessa esse lupanaria ad conservationem societatis, certum est: quis tamen in iis non summam agnoscat turpitudinem?

Denique Vitriarius sibi ipsi est contrarius; Nam *in Collegio Manuscripto* ait, aliquid non ideò esse injustum, hoc est, juri naturæ repugnans, quia societati repugnet, sed quia à Deo sit prohibitum.

Nostra itaque *Sententia* est, Jus naturæ seu Legem Naturæ stylo *Scriptura* & inprimis Paulino esse REGULAM menti nostra divinitus inscriptam, obligantem ad AMOREM DEI, SUI ET PROXIMI.

Aut, si consideretur ratione externa promulgationis, est JUSSUM Supremi Numinis in Monte Sinai tabulis lapideis post tabulas cordis violatas inscriptum, obligans ad cultum & amorem Dei & proximi ex toto corde, tota anima & totis viribus.

Aut Philosophicè est NORMA vivendi ab Authore Naturæ præscripta, obligans ad id, quod intrinsecè bonum est, amplectendum, & malum fugiendum.

Has definitiones, quæ in Re ipsa non differunt, licet in modo loquendi videatur aliqua

qua esse differentia, demonstramus. *Primo* quia habent legitimum suum genus, quod nec nimis remotum est, nec idem prorsus cum sua specie. *Secundo* assignamus Legislatorem seu Causam efficientem, qui est naturæ totius ordinatissime in genere morali & physico productæ Author, Deus. *Tertio* ponimus rationem formalem, vim scilicet obligativam. *Quarto* positum etiam est Objectum, nempe Amor Dei, sui & proximi, aut quæ intrinsicè bona vel mala sunt; Nihil enim est, quod non illuc referri possit. *Denique* addidissimus libenter finem: verum quia Lex naturæ, sicut & Lex moralis, planè primævum suum finem, videlicet acquisitionem vitæ æternæ, amisit, & nunc ex ea parte aliam planè faciem induit: consulto illum omisimus; redibit tamen, de eo ut plenius dicamus.

Planè itaque *absensum est*, quod hodierni Juris Naturæ Interpretes, *Pufendorf, Vuriarius, Thomafius*, & alii volunt, quasi illud primariò societatem respiciat; aut ex illa ceu fonte quoddam pullulet; aut ab ea determinationem accipiat. Quemadmodum enim Lex Sinaitica, quæ est repetitio Legis Naturæ primitus datæ, non respicit pro fonte societatem, sed illam remote demum tangit; uti porro absurdissimum est dicere, legem illam sanctissimam à societate humana in ratione honesti & turpis determinationem accipere: ita de Lege naturæ pariter est
 pro

pronunciandum. Optimè *Bœclerus comment. in Grot. p. 4.* jus naturæ, prout primo homini con-
 creatum, egregiè in Decalogo est expressum; at-
 que ita quidem accuratè perfectèque, ut pro-
 fus existimem, Ethnicos hanc methodum unice
 amplexuros fuisse, si ab ipso Deo promulgatam
 tabulisque comprehensam legem naturæ cre-
 didissent. E quo tandem *laudatus Vir* concludit:
 multum certè minueretur de labore inquiren-
 di & exprimendi capita naturalis Juris, eademq;
 à Jure gentium distinguendi, si præmonstra-
 tam ab ipso Deo disciplinam sequeremur. Ve-
 rum in hoc sapientia humana plerumque con-
 tendere vult cum divina, & putat se multo
 subtilius ista excogitare posse.

Observ. VI. ad Th. 10. n. 5.

*An & quomodo Lex natura sit
 immutabilis, & qua sit radix
 ejus immutabilitatis?*

Circa hoc punctum notandum est, quod
 licet pauci admodum sint, qui mutabili-
 tatem in Lege naturæ admittant; sed omnes
 fere in hoc conveniant, quod constantiam
 & perpetuitatem habeat, adeoque mutari
 non possit: diversis tamen viis eam immuta-
 bilitatem explicant.

Vitriarius in Coll. msc. immutabilitatem Le-
 gis naturæ refundit in immutabilitatem Volun-
 tatis

tatis Divina; ait enim imperfectionis fore, si Deus voluntatem suam mutaret. Unde ad exempla, quæ videntur mutationem inferre: v. gr. in conjugio fratrum & sororum, in spoliis, quæ Israelitæ Ægyptiis abstulerant, & similibus, ait, tales casus per primordiale exceptionem à Deo Lege exemptos fuisse.

Pasendorf alium modum habet, putat enim, ideo Legem Naturæ immutabilem esse; quia, quamdiu *Deus non mutare velit naturam hominis*, tam diu etiam Lex Naturæ futura sit immutabilis.

Theſmarius censet, Immutabilitatem eam rectissimè ex *Justitia & Sanctitate Dei*, quæ, sicut essentialia DEO, ita immutabilia in eo sunt, derivari; Legem enim naturæ rivulum esse ex illo fonte, qui constans sit ac æternus.

Grotius noster hanc Immutabilitatem querit in ipso *Objecto* Legis naturæ, & tria profert argumenta. Primum desumit ex *Mathesi*, alterum ex *Metaphysicis*, tertium ex *Scripturis*.

Primi robur stat in eo: quia sicut dantur veritates *Mathematicæ*, quæ non sunt *Objectum potentia Divina*, nec mutari ulla ratione possunt; nisi velimus contradictoria admittere: ita dantur etiam moralitates intrinsecæ, quæ nulla ratione mutationem subire possunt. Prius probat, quia in *Arithmetis* Deus nulla ratione facere potest, ut bis duo non sint quatuor, & bis tria non sint sex.

D

rali.

talibus facere non potest, ut, quod intrinsece malum est; v. gr. perjurium, perfidia, non sint mala; implicat enim non minus contradictionem, perfidiam non esse malum moraliter, quàm implicat, bis duo non esse quatuor.

Alterum argumentum ex *Metaphysicis* desumptum vim habet in eo: Quia sicut *essentia rerum secundum se spectata in statu illo essentiali sunt independentes*, immutabiles, & æternæ veritatis, ita ut ne à Deo quidem mutari queant; v. gr. hæc propositio, homo est rationalis, ab æterno & in æternum vera est, independenter ab omni voluntate & principio extraneo; & ex ea consequuntur certæ proprietates, ut quod homo sit risibilis, admirativus, &c; ita etiam moralitates quædam sunt, quæ mutationem non admittunt; v. gr. Amor DEI, honor parentibus exhibitus eam moralitatem habent, ut non possint dici actus aut Objecta moraliter mala; sicuti Odium DEI, contemptus Parentum in æternum non possunt evadere bona. Ex quo exurgit ea proprietas, quod tales actus necessariò convenient, vel disconvenient rectæ rationi. Nam convenientia illa vel disconvenientia talium actuum cum recta ratione non est ipsa moralitas, sed ejus aliqua proprietas, quæ consequitur essentiam.

Tertium argumentum, ex *Scripturis* desumptum, non exiguum pondus habet; nam *secundum quam normam Deus ipse de se judicari patitur,*

patitur, illa norma debet utique esse immutabilis, constans, non subjacens Divino arbitrio, ut ipse eam mutare velit, aut possit. At secundum hanc normam Deus se judicari patitur ab Abrahamo *Gen. 18. v. 25. in actibus justitia*, qui tamen longè magis in Exercitio mutationem, relaxationem, intensionem & remissionem admittunt, quàm in Legibus ipsis, ubi omnis dispensatio, relaxatio, aut mutatio vulnus legis & Legislatoris est, ad minimum, quoad æstimum constantiæ.

Nos existimamus, quod uti argumenta *Grotij* non invalida sunt: ita *Tesmarij* sententiam, si illi juncta sit, eo fortius immutabilitatem Legis naturæ stringere.

Nam *primo* uti Lex quævis dupliciter intelligi potest, primo ex parte Legislatoris, secundo ex parte materiæ: ita si Lex Naturæ ex parte Summi Legislatoris ex ejus fuit Sanctitate & justitia immutabili, necessariò Lex quoque immutabilis erit. Porro si materia talis Legis sit ita comparata, ut impossibile sit, ut de illicita transeat in licitam, de mala in bonam: necessum quoque erit, ut ex illo titulo habeat immutabilitatem.

Sententia itaque *Vitriarij* falsa est non uno ex titulo. Nam *Primo*, si ideò Lex naturæ est immutabilis; quia voluntas divina est immutabilis: tum hæc immutabilitas non erit intrin-

seca Legi & absoluta, sed *hypothetica*, *suspensa* à Decreto voluntatis divinæ.

Secundo quid dicendum erit de *Legibus Dei positivis*; nam & illæ processerunt ex voluntate Divina? quis tamen negaret, eas Leges, v. gr. forensem & ceremonialem Vet. Testamenti, mutatas & abrogatas esse. Voluntas divina non mutatur, etiamsi quædam à se disposita mutet; non enim voluit, ut semper illæ Leges subsisterent; Item mutatio est in *Objecto*, non in ipsa Voluntate Divina.

Tertio unde constabit Dn. Vitriario, *Deum non velle Legem naturæ mutare*, prout mutavit Leges positivas, si Voluntas ejus quoque fons est. Nam qui potest mutare unum, potest etiam mutare alterum, si utrumque ab eodem principio fluat. Quod de exceptione primordiali dicit Vitriarius, *infra* examinabimus.

Quod porro concernit *Sententiam Pufendorfij*, dicimus eam *insufficientem* esse; non enim ob hoc solum est immutabilis Lex naturæ, quia Deus naturam hominis non immutat; sed quia Sanctitatem & Justitiam suam abnegare non potest, *2. Tim. 2. v. 13.* Non enim Deus officium Judicis, quod gerit, examinari ad hanc normam passus fuisset ab Abrahamo *Gen. 18.* nisi agnovisset, eam conformem esse Justitiæ & Sanctitati suæ. Neque Paulus, *Rom. 2. v. 6.* provocasset ad hanc ipsam justitiam in præmiorum & pœnarum distributione pro qualitate

tate Operum, nisi in Operibus moralitas esset, quæ ex se mereretur retributionem præmiorum vel pœnarum.

Sunt tamen aliqua, quæ videntur mutationem in Lege Natura inferre. Primo Christus videret Legem Naturæ, quæ præcipit Parentes esse honorandos, mutasse; iussit enim *Luc. 14. v. 26. odisse parentes*; odium autem erga eos, à quibus accepimus vitam, repugnat non Juri tantum, sed ipsi etiam instinctui naturali.

Secundo inquirunt, qui hanc sententiam tenent, vim vi repellere Juris esse confessi, defensionem sui Naturæ Jure licitam esse: & tamen Christum *Math. 5. v. 39.* præcipere, ut percutienti maxillam dextram etiam sinistram porrigamus, eripienti tunicam insuper demus pallium.

Tertio Deum præcepisse Abrahamo *Gen. 22. v. 2.* ut occideret unicum filium; hoc autem contra naturalem amorem, & instinctum omnem militare. Deum itaque ex vi domini sui & potestate, qua gaudeat, Legislatoria Leges omnes suas immutare posse.

Verum in his omnibus exemplis non est facta mutatio aliqua in Lege NATURÆ. Non in primo; nam Christus potius in eo loco exponit, quomodo inter se comparandæ sint Leges, nempe ut eæ, quæ respiciunt Deum, præferendæ sint iis, quæ respiciunt hominem; sive quod in tabula legis moralis, quæ quoad substantiam eadem

est cum Lege naturæ, secunda cedere debeat primæ. Secundo odium, illud non est intelligendum formaliter & absolute spectatum, pro ut malus est erga parentes affectus, sic enim utique vitiosus est; sed respective, pro amore minori. Atque adeò hoc tantum vult Christus, nihil nobis in mundo debere tam esse acceptum & charum, ut illud præferamus amori divino; Deum enim super omnia esse amandum.

Ad alterum exemplum dicimus, illud non probare mutationem Legis Naturæ; Christus enim ibi nihil de illa immutat, neque simpliciter prohibet, ut quis injuriam à se repellat; sed modum tantum ostendit, quid is facere debeat sine peccato, nempe ad sui defensionem non esse jungendam ultionem privatam. Christus enim ipse non præbuit maxillam alteram percutienti *Joh. 18.* nec Paulus *Actor. 23.* Sensus ergò loci est, satius esse paratum se ostendere ad novam injuriam perferendam, quam ad parem inferendam ex vindicta.

Ad Tertium dicitur, nec in illo exemplo mutationem Legis naturæ contineri. Lex enim hæc, non occides, perpetua manet, nempe non occides, vel ut latro, vel ex privata vindicta. Interim quia Deus est absolutus vitæ nostræ dominus, ille potest pro lubitu & eo modo, quo vult, & iis administris, qui placent, vitam concessam à nobis repetere. Minister

nister igitur Dei Abrahamus fuit, & homicidium illud, si in actum fuisset deductum, materiale tantum, non formale respectu Abrahami fuisset.

Observ. VII. ad Thes. II.

*An in animantia bruta cadat Jus
Natura?*

Taxat in Thesi II. Grotius definitionem Juris Naturæ Ulpianam, cum illud definiuit, quod sit id, quod natura omnia animalia docuit: increpat eandem Laurentius Valla, & alii: cum Grotio sentit etiam æmulus ejus Seldenus de J. N. & G. l. 1. c. 4.

At contra eam defendit Hugo de Roy his rationibus:

Primo quia deprehendantur in brutis principia, quæ certò ad Jus Naturæ pertineant: ex. gr. primum illud, ex quo deinceps multa alia sequantur: SEET SUA DILIGERE. Hoc enim sub se continere defensionem vitæ, appetitum procreandæ sobolis, conjunctionem maris & fœminæ, curam ejus, quod procreatum est: huc pertinere, quod studiose sequantur Bona, vitent mala, declinent nocitura, Quæ omnia hominibus sint communia, & ex Juris naturæ principiis fluant.

Secundo quia inter bruta dentur adulteria; nam Ambrosio teste in Hexæm. lib. 5. asinorum & equarum coitus vera naturæ adulteria sunt.

Unde ad hominem, cujus cura ista perpetrantur, ita loquitur : ad vitios coitus plerumque cogis invitos, & hoc industriam vocas.

Tertio ait, cerni inter bruta amorem, ordinem &c. & societatem inter se & in suo genere perfectam coli : *deinde* etiam Rempublicam in iis observari : cum Reges & Duces suos sæpè habeant, quibus pareant : *Quin* hæud exigua vitigia deprehendi Obligationis, officiorum & pœnarum.

Verum *hac sententia* licet speciosè a suo Auctore proponatur : *veratamen non est*. Nam *primo* ubi nulla in actionibus dari potest moralitas, ibi etiam Jus, aut Lex, obtinere non potest : at talis non datur in brutis ; nam inter principia moralitatis ex parte Subjecti sunt Intellectus & Voluntas, quæ in brutis deficere de Roy negare non potest.

Secundo Jus naturæ accuratissime explicatum est in Lege Morali Decalogica, ut rectè ex *Calixto* docet *Bœclerus*, & mox etiam nos dicemus, in Monte Sinai ; at in ea nihil de brutorum Jure Naturæ habetur.

Tertio legis naturæ præco est conscientia, teste Gentium doctore *Paulo Rom. 2*. Tam ergò in bruta non cadit Lex aut Jus, quàm non cadit conscientia ejusque dictamen.

Rationes itaque *Hugonis de Roy* plus non probant, quàm ductus & stimulos ac instinctus quosdam naturæ inditos à primo naturæ statore

tore DEO brutis ; item vestigia quædam & simulacra Juris aut Legis alicujus: non verum Jus aut Legem propriè dictam, quæ dari non potest nisi Creaturæ rationali, possenti libertate.

Observ. VIII. ad Thef. 12.

*Quomodo probetur, quod sit aliquid
Juris Naturæ?*

Grotius duas ponit probationes, alteram dicit esse à priori, alteram à posteriori. *A priori* asserit esse eam, si ostendatur rei alicujus *convenientia aut disconvenientia cum natura rationali & sociali.*

At Nos existimamus *eam probationem non esse à priori, sed potius à posteriori.* Nam *primo* quod actus est conveniens vel disconveniens cum recta ratione, aut cum natura rationali, illud est in actu consequenter, non à priori. Quod ut melius pateat, sciendum, *probationes à priori debere esse desumptas à Causa proxima.* Sic qui à priori probare vellet hominem esse admirativum, deberet id probare ex rationalitate, tanquam Causa proxima *res* admirativi; nam ex illo principio proximo fluit admirativitas. At ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali & sociali non fluunt tanquam à Causa proxima Juris naturæ præcepta: ad minimum Legislator non feret, ut mandata sua examinentur ad convenientiam aut disconvenientiam cum natura

D s

cura

tura subditorum: nec ex convenientia illa vel disconvenientia nasci potest obligatio, quæ tamen anima & forma est omnis Legis.

Porrò natura rationalis & socialis sumitur vel in abstracto, & sine relatione ad subjectum, in quo est; vel in concreto, ut est in homine, sicuti is pro præsentis constitutus est. Priori modo si accipiatur, tum talis convenientia aut disconvenientia in actu ostendi non potest; quia nullibi datur ista natura in abstracto: Posteriori autem ratione si capiatur, tum hæc regula planè erit incerta & lubrica, sicut ipsa nostra ratio jam post lapsum lubrica est. Sic v. gr. Thomafius putat se etiam habere naturam rationalem, & tamen ait, Sodomiam & bestialitatem non esse contra Jus naturæ: Vivianus etiam censet se pollere ratione, seu habere naturam rationalem & sociale, neque tamen is censet, aliam dari rationem à priori Juris naturæ, quàm voluntatem Divinam, vid. Coll. Msc. Et sic de aliis.

Tertiò actus, antequàm referatur ad naturam rationalem et sociale, tanquam ad normam suam, jam est Jure natura præceptus vel prohibitus, & moralitatem suam habet; nec à convenientia illa & disconvenientia demum mutuo accipit. Igitur ea convenientia non se habet ut ratio à priori, sed demum à posteriori.

Hobbesius in tract. de Civ. c. 8. & Lev. c. 15.

Re-

Regulam eam commendat, *ut*, cum quis dubitet, an id, quod facturus est in alterum, sit Juri naturæ adversum, nec ne, *putet se esse in alterius loco*. Hoc enim modo, ubi amor proprius & perturbationes, quæ unam lancis partem vehementer premebant, velut in alteram lancem translata fuerint, faciliè appariturum, quo ratio vergat.

Eadem Regula est SALVATORIS nostri. *Matth 7. v. 12. Lactantius* eam regulam *lib. 6.* ita laudat, ut dicat in ea stare RADICEM JUSTITIÆ ET FUNDAMENTUM ÆQUITATIS. Et *Chrysostomus homil. 12.* ad populum inquit: Christus post multas illas beatitudines dicebat: Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hoc & vos facite ipsis. Non est opus multis sermonibus aut legibus; Voluntas Tua sit Lex. Vis beneficia capere, beneficium confer alteri: Vis misericordiam consequi, miserere proximi: Vis amari, ama. Tu sis judex, tu sis vitæ Tuæ legislator.

Et *hec regula* multò *firmior* est, quàm illa Grotij; cum in illa *tacita contineatur obligatio*, quæ in Grotio non habetur. Nam quod debitum, & quam obligationem in alio erga me statuo, eam pariter mihi incumbere ignorare non possum; obligatio autem est de ratione Legis. *Id unum* est in ea regula, quod *non exhan-*
riat totam latitudinem legis naturæ; sed eam tantum partem, quæ respicit proximum.

Pufendorf Lib. 2. cap. 3. putat, omnium optimè posse Jus Naturæ erui ex ipsa hominis natura, conditione & inclinatione. Ibi deprehendi, quod homo sit animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, auxilio indigum alieno, ad multa commoda promovenda aptum: idem tamen sæpe malitiosum, petulans, atque ad noxam alteri inferendam promptum ac validum. Ejusmodi animali, ut salvum sit, opus esse, ut sit sociabile, id est, ut conjungi cum sui similibus velit, & erga illos ita se gerat, ut rationem habeant ejus commoda promovendi. Inde legem fundamentalem Juris Naturæ esse: cui libet homini colendam esse adversus alios Sociabilitatem, indoli & scopo generis humani congruentem.

Verum *hec sententia* utut speciosa nobis non satisfacit. Nam primo quis inquirens in in aliquam legem ejusque tenorem, mallet eam legere in tabulis confractis, in quibus literæ magna sui parte oblitteratæ, ut amplius legi nequeant; quam in tabulis integris, ubi omnes literæ & literæ legis clarè extant. At sic comparatum est cum natura nostra post lapsum. Sane illæ *lineæ*, quas cordi nostro primitus inscripsit legislator Deus, ita *per lapsum sunt corruptæ*, ut in multis vix vestigia amplius adsint; in aliis planè oblitterata sint omnia. Cur ergò non malumus renovatas tabulas per illum ipsum
Legis-

Legislatorem in Lege morali inspicere; LEX enim MORALIS quoad Substantiam suam, ut supra diximus, nihil aliud est, quam Lex naturæ.

Unde optimè *Bæclerius* loco supra citato, Jus, inquit, naturæ egregiè in Decalogò est expressum, atque ita quidem accuratè perfectèque, ut prorsus existimem, Ethnicos hanc methodum unicè amplexuros fuisse, si ab ipso Deo promulgatam, tabulisque comprehensam Legem naturæ credidissent. Ex quo tandem concludit: multum certè minueretur de labore inquirendi & exprimendi capita Juris Naturalis, si præmonstratam ab ipso Deo disciplinam citra ambages sequeremur.

Secundo falsa est Pufendorffii sententia ex eo, nam *primi nostri Parentes* procul dubio etiam *sub Jure Natura ejusque directione vixeret*. At illi nec fuere egeni, nec auxilio indigi, multo minus *malitiosi*, & ad noxam alteri inferendam proclives. Cur ergò ex hoc impuro fonte Jus naturæ, quod tam sanctum est, deducit Pufendorff? Cur non ex natura integra, ubi nulla egestas, nulla proclivitas ad malum, nulla propensio ad noxam alteri inferendam, & ubi tenor Legis naturæ stetit in perfecto amore Dei, in puro amore sui, in sincero amore proximi? Cur non subsistimus in his tribus fundamentalibus principiis.

Tertio Lex Natura perennabit etiam post Consummationem Seculi, ubi tituli omnes

Pu-

Pufendorfsani *expirabunt* ratione beatorum, ut per se patet. At ratione damnatorum permanebit quidem Lex Naturæ tamdiu, quamdiu permanebit Conscientia; at nullum ibi erit auxilium, nulla societas, quæ sese mutuo juvaret.

Quarto Ipse *Pufendorf* lib. 2. cap. 3. § 12 fatetur *divinas literas plurimam lucem affundere* Juri naturali cognoscendo: cur ergò non sequitur eam lucem, quæ nullas habet tenebras, cum densissimæ contra reperiantur in Intellectu seu ratione nostra. SACRÆ LITERÆ docent, Jus Naturæ in his tribus, ut sæpè diximus, fundari principiis, IN AMORE DEI, IN AMORE LEGITIMO SUI, ET IN AMORE PROXIMI. Hi primi sunt fontes: Societas planè se habet consequenter.

Denique quis melius de Lege & Jure Naturæ judicare, ejusque primam intentionem indicare potest, quàm Legislator ejus? at is suam Legem explicans, non semel, sed aliquoties rotundis verbis fatetur, in his totum ejus ambitum, omnem ejus vim concludi: DILIGE DEUM EX TOTO CORDE, ET PROXIMUM SICUT TE IPSUM, *Math. 22. v. 37. 38.* Ut proinde Lege Morali, quæ repetitio Legis naturæ est, ut sæpè dictum, rectè dicere possimus, quod *Cicero de Legibus XII. tab. fremant omnes licet, dicam quod sentio. Bibliothecas, me hercule, omnium Philosophorum unus mihi videtur libellus*

bellus duodecim tabellarum, si quis Legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.

Observ. IX. ad Thef. 15.

An Deus Ter Jura dederit Generi Humano, & quomodo illa Jura fuerint distincta?

Grotius in hoc puncto indistinctè nimium procedit, & caligine se quasi quadam involvit, ut vix cerni satis possit, quomodo verba sua velit Intellecta.

Nos, ut in re gravissimi momenti clarè procedamus, *presupponimus primo*, quod juxta Scripturam S. quoties DEUS jura proposuit homini, & leges dedit, toties id fecerit per modum FOEDERIS, ut Grotius ipse agnoscere videtur Thef. 16. & nos infra probabimus.

Prænot. secundo, quod consequenter loquendo, toties DEUS Jura dederit, quoties novum fœdus erexit cum Genere Humano. Unde numerus Jurium divinorum, universaliter omnes homines obligantium, nullus potest certior haberi, quàm si investigemus, quot fœdera pepigerit DEUS cum genere humano.

Prænot. tertio, ex genio talium fœderum postea facile patere, quem respectum habuerint Leges divinæ adjectæ: An fuerint *Conditio quadam sub qua fœderum?* An verò tanquàm pertinuerint tanquàm quædam *appendi-*

ces ad œconomiam talis fœderis? aut quis earum scopus fuerit respectu Legislatoris supremi?

Duplex autem hîc principalis est *Sententia*. Nam *Camero*, *Amyraldus*, *Placcus*, celeberrimi inter Reformatos Viri, existimarunt, *Tria* DEUM fœdera pepigisse cum Genere humano, *distincta quoad fines, Leges & promissiones. Primum* fuisse NATURÆ, initum CUM ADAMO, & in eo cum genere humano, in quo DEUS promiserit vitam perpetuam in Paradiso peragendam sub conditione præstitæ obedientiæ, quàm conditionem acceperit primus homo *Gen. 3. v. 3.* Et hoc fœdus viguisse usque ad peccatum primum. *Secundum* fuisse fœdus LEGALE in monte Sinai promulgatum, & CUM POPULO ISRAELITICO initum, cujus etiam meminit *Grotius in cit. Tbes. 16.* ubi DEUS servantibus Legem promiserit possessionem terræ opulentæ Canaan, & defensionem contra hostes. Hoc viguisse usque ad ascensum Christi in Cœlum, & effusionem Spir. Sanct. in Apostolos; quàm à prædicatione Johannis relanguescere, & per totum vitæ Christi decursum admodum inveterascere cœperit. *Tertium* fuisse EVANGELICUM, sancitum IN CHRISTO, tanquàm Vade & Sponsore Generis humani, in quo omnibus offeratur gratia DEI, remissio peccatorum, Justificatio, & vita æter-

na in cœlo peragenda sub conditione fidei. Quod fœdus promulgari cœptum fuerit à tempore effusionis Spiritus S., quem Christus è cœlo miserit, & suum vigorem habiturum sit usque ad consummationem seculi. Et hoc fœdus à Grotio vocatur sublimior reparatio per Christum.

Secunda sententia dicit, duo tantùm esse fœdera: nempe fœdus *Legale* cum Adamo primo nostro parente initum; alterum gratiæ seu *Evangelicum*, rupto fœdere Adamitico, initum cum Christo, Adamo secundo.

Samuel Pufendorf in *eleganti tractatu de Jure Dei feciali* pariter asserit, DEUM bis tantùm cum genere humano fœdus pepigisse, nempe cum Adamo primo, & cum Adamo secundo, Reparatore generis humani; & in istis duobus fœderibus geminam fuisse fundatam religionem, alteram Paradisiacam, alteram extra Paradisum. Hoc tantùm in secundo fœdere observandum, quod DEUS, ne notitia istius fœderis interiret, peculiare fœdus iniverit cum Abrahamo, & postea ad montem Sinai cum populo Israelitico Mediatore Mose, quod tamen *non fuerit re ipsa & in substantia distinctum ab Evangelico*, quod in Semine benedicto sancitum fuit. *Gen. 3. v. 15.*

Noster Grotius tria Jura fuisse data generi humano dicit, quæ etiam sæpe pacta & fœdera vocat; *Primo* cum Adamo statim, postquam

E

quam

quam conditus est; *Secundo* cum Noacho in reparatione generis humani post diluuium; *postremo* per Christum in sublimiore reparatione. Quod attinet ad fœdus cum populo Israelitico ad montem Sinai, illud putat tantum particulare esse, non universale.

Nos existimamus secundam sententiam Scripturæ S. esse conformem, ut *duo tantum fœdera* statuatur, nempe FOEDUS LEGALE, seu Paradisiacum, & EVANGELICUM, idque ostenditur *primò*. Nam *totidem* & non plura fœdera esse possunt, quàm sunt *viæ & modi perveniendi ad salutem æternam*, & communionem cum DEO; hic enim finis proprius fuit ex parte DEI pactorum suorum, ut hominem ad sui communionem perduceret. At duo saltem tales sunt modi, vel per obedientiam propriam & inherentem, vel per imputatam; vel per opera, vel per fidem. Prior per Legem, cujus clausula est: *Fac hoc & vivas*; posterior per Evangelium, cujus est propositio: *Crede & Salvaberis*, nec ulla dari potest media via ad felicitatem æternam.

Secundo quicquid Noacho, aut *Abrahamo* promissum est sub titulo fœderis, illud ipsum vim suam habuit ex fœdere gratiæ seu Evangelico, cujus tenor paucis quidem verbis, sed in æternum valituris, conceptus est *Gen. 3. v. 15*. Hinc etiam Noachi Sacrificium ideo DEO gratum fuit, & odorem habuit fragrantia, quia ad

ad Messiam respexit, fundatorem fœderis Gratia.

Tertio Scriptura duorum tantum fœderum meminit sub allegoria HAGARIS ET SARÆ Gal. 4. v. 24. nempe Legalis & Evangelici, ubi Legale dicitur ad servitutem generare; Evangelicum verò ad libertatem. Sicut ergò duo tantum sunt status, nempe vel Libertatis vel Servitutis; intermedius impossibilis est: ita etiam duo tantum dantur fœdera.

Quarto fœdus SINAITICUM, cuius Grotius meminit, si spectetur quoad intentionem & finem Legislatoris est fœdus non peculiare aut Legale novum; Deus enim pactus est cum Israelitis ut Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, qui sunt tituli ad fœdus gratiæ spectantes. Item circumstantiâ plerumque Evangelicum fœdus spirant, quia Moses, prælecto libro fœderis, populum conspersit sanguine, additis his verbis: hic est sanguis fœderis, quod Deus fecit vobiscum Exod. 24. v. 8. quod mysterio non caruisse docet Apostolus Hebr. 9. v. 20. ad denotandum videlicet sanguinem Christi.

Sententia itaque Cameronis & Amyraldi multis titulis falsa est; primo quia præter omnino fundamentum tria excogitavit fœdera; deinde quia statuit Adamo non fuisse promissam vitam æternam in cælo peragendam, contra manifestam scripturam Lev. 18. v. 5. ubi Deus præmium perfectè observanti Legem promittit

tit, vitam æternam: *qui fecerit ista, vivet in eis.* Et Salvator noster *Matth. 19. v. 16. 17. ait: Si vis intrare in vitam, nempe cœlestem, serva mandata. vid. S Rom. 7. v. 10.* Tertio quia Legem Sinaiticam *contra distinctum fœdus pacto Legali & Evangelico* facit; hac enim ratione Israelitæ sub duplici opposito fœdere fuissent; sub gratiæ enim fœdere illos fuisse constat, sic verò etiam fuissent sub legali.

Grotii verò sententia etiam exinde *falsa est; quia duplicem reparationem generis humani* facit, unam post diluvium, alteram sublimiorem per Christum. At verò *uti unus tantum est Mediator: ita unus est tantum reparator generis humani. Porro uti una est fides salvans: ita est una tantum reparatio, quæ consequenter etiam gradus non admittit, ut altera sit debilior, altera sublimior. Tertio promissiones inde à prima promissione Gen. 3. v. 15. IN CHRISTO SUNT OMNES NÆ ET AMEN.* Quicquid ergò Noacho & posteritati ejus promissum est, id suum complementum habuit per Christum & in Christo. Unde *Act. 4. v. 12.* Petrus pronunciat, quod in nullo alio sit salus, quam in nomine Christi.

De sententia *Pnsendorffii* alibi dicemus, licet enim in se bona sit, habet tamen nonnulla admixta obelo digna.

Observ.

Observ. X. ad Thef. 15. n. 2.

An Lex Adamo præscripta obligaverit omnes homines?

DUcit porro nos Author ad profundissimam illam quæstionem, an Lex Adamo præscripta obligaverit etiam posteros; nam ex hujus puncti decisione dependet illa altera quæstio, an violatio illius Legis, ab Adamo facta, posteritati jure possit imputari.

Dua autem hic iterum sunt sententia. Prima est supra citati Placei, Amyraldi, &c. qui putant Legem illam Paradisiacam de non comedendo ab arbore vetita obligasse tantum personas tum existentes, ADAMUM ET EVAM. Unde etiam peccatum illud fuisse merè personale, cujus reatus non possit derivari in posteros, utpote qui tum temporis nondum extiterint, atque adeo etiam non consenserint in illam Legis transgressionem.

Altera sententia est, Legem illam obligasse etiam POSTEROS Adami; atque inde etiam esse, quod toti posteritati lapsus ille imputetur.

Et hæc sententia etiam vero consona est.

Nam primò Lex illa data est Adamo, non in quantum fuit individuum & Persona singularis, sed in quantum fuit CAPUT FOEDERALE & morale totius generis humani: ergò in eo & cum eo obligata fuit tota posteritas.

Uti enim aliàs actus Syndici pro Republica agentis non Syndicum tantum obligant, sed totam Rempublicam; ita etiam hic sese res habet cum Adamo.

Secundo si posteritas Adami non fuisset obligata per eam legem, male dixisset Paulus Rom. 5: v. 12 13, quod in Adamo omnes peccavissimus; nemo enim potest peccare contra Legem, nisi ad eam obligatus sit. Cum ergò dicamur in Adamo peccasse tum, cum nondum essemus in rerum natura: utique peccavimus in Adamo, ut repræsentante totum genus humanum: atque ut in Capite nostro federali.

Tertio hoc constat ex pœnâ propter primum peccatum illata, quæ non tantum afflixit primum nostrum parentem, sed etiam totam ejus posteritatem. Nam quod generamur mortales id est pœnalis effectus primi peccati; ablatio enim Justitiæ originalis facta est meritorie propter demeritum primi peccati, ut latè probat D. Bajerus. Ubi verò pœna est, ibi quoque est culpa; hæc enim duo sese muruo inferunt.

Sed inquit Placcus prima, si nemo in commissis dedit Adamo, ut is gereret personam totius generis humani; si *secunda posteritas* extremè detestatur inobedientiam Adamiticam, ex qua tantum mali in totum genus humanum defluxit, adeoque planè nullum consensum dedit ad illum actum;

si tertio nulla Lex obligare potest nondum existentem in rerum natura: tñm consequitur, quod nec reatus, ex violatione ab Adamo contractus, nos possit stringere.

Quarto Lex illa de non comedendo ab arbore vetita statim abrogata est post lapsum, neque ullum amplius hominem obligat. Absurdum autem est dicere, legem aliquam tum obligare, cum homo nondum existit, prout nondum existimus cum Adamo; & tum, cum existimus, abrogatam esse eam Legem.

Sed respondetur ad primum, non fuisse necessum, ut in commissis daremus proto-parenti nostro, ut personam generis humani sustineret; sufficere justissimam & sanctissimam Dei ordinationem, secundum quam voluit, ut Adam esset Caput non seminale tantum, sed etiam morale generis humani.

Ad secundum respondet P. Musæus, DEUM in Lumine omniscientiæ prævidisse, quod si omnes homines ad arborem vetitam steterint, omnes eodem modo violaturas illud præceptum: consensum ergò esse virtualem, licet non formalem. Sed hæc responsio, licet subtilis videatur, tuta tamen non est. Unde porro respondemus, etiam primos nostras parentes peccatum suum, postquam videre magnitudinem mali exin surgentis, detestatos fuisse: nec tamen est consequens, ergò an-

recedenter non consentire. Ad hæc sufficit in nobis *consensus interpretativus*.

Ad *tertium* dicimus, quod quanquam non extiterimus tum temporis in persona propria: *extitimus tamen in aliena*, hoc est, in capite nostro *fœderali*, imò etiam in *naturali*. Sane etiam Levi decimatus fuisse dicitur à Melechisedeço in Abrahami persona, quatenus in lumbis adhuc ejus erat potentialiter *Hebr. 7. v. 9.*

Ad *quartum* respondetur, mirum non esse, quod Lex illa jam non amplius obliget; *rupto* enim *fœdere* primò, etiam *conditio* ejus *rupta* est: primaria autem erat, ut *Pufendorf* inquit, abstinentia ab arbore vetita.

Observ. XI. ad Thef. 16.

An Lex Mosaica tantum data fuerit Populo Judaico?

Grotius in hoc puncto *affirmativam* tenet, eamque probat *primò*; quia Lex ipsa satis loquatur & indicet, quibus data fuerit, nam in primordio ejus dici, *audi Israel Dent. 6. v. 4.* idemque patere ex *Ps. 147. v. 20.* ubi à pertis verbis dicatur: *non fecit taliter omni nationi.*

Secundo ob hanc ipsam Legem dici; *istam esse fœdus cum Populo Israelitico.*

Tertio quia *Profelyti non fuerint obligati ad eas Leges*, v. gr. ad legem de non comedendo à bestiis suo fato functis.

Quar-

Quarto Prophetarum nullum obligasse alios, ut legibus illis se subjicerent. Elisæum nihil de hoc Naamano Syro præcepisse, neque Jonam Ninivitis, neque Danielem Nebucadnezari.

Verum probè advertendum est, Legem Mosaicam esse duplicis generis; alia enim est Moralis, alia merè positiva, quæ rursus dividitur in ceremoniam & forensam. Quod legem Moralem attinet, ad eam suscipiendam omnes gentes fuere obligata.

Hoc ipsum ostenditur ex principiis supra jactis; nam *Lex moralis Mosaica quoad substantiam est eadem cum lege natura.* Sicut ergò *Lex Naturæ omnes & omnium conscientias obligat teste Paulo Rom. 2:* ita etiam à fortiori *Lex moralis, quæ ejus est repetitio. Lex enim quo sapius & clarius repetitur, eo magis eripit excusationem, quod non sufficienter promulgata fuerit.*

Secundo Lex Moralis intra hos duos cardines versatur, inter amorem DEI & inter amorem proximi. Quam autem absolum est dicere, hominem seu gentes non fuisse obligatas ad amandum Deum: tam absolum est dicere, quod Lex moralis Mosaica non obligaverit omnes gentes.

Tertio Paulus dicit Rom. 3. v. 19. totum mundum esse obnoxium Deo ob violationem scil. Legis moralis. Quam latè ergo patet mundus

us, tam latè patet obligatio Legis moralis.

Unde *quarto* Salvator noster Christus *Matth. 5. v. 17. 18.* perpetuam obligationem hujus legis in eo satis ostendit; cum dicit, se non venisse, ut solveret Legem, sed ut eam adimpleret.

*Ad rationes itaque Grotij facile est responde-
re, nempe ad primam:* aliud esse allocutio-
nem, aliud esse obligationem Legis. Allocutio
directa fuit ad populum præsentem: *obligatio
tamen ad alios, & ad absentes quoque pertinet.*

Ad *secundam* dicitur, fœdus istud, quod
Deus cum Populo Israelitico pepigit, accuratè
loquendo non fuisse superstructum Legi mor-
rali, sic ut illa Lex fuerit fundamentum il-
lius fœderis; sed *intrinseca fœderis illius ratio
fuit Evangelica.* Sicut ergò fœdus Evangeli-
cum ad omnes gentes pertinet; ita etiam Lex
moralis, quæ per modum pædagogi ad Evan-
gelium ducit *Gal. 3. v. 24.*

*Tertia ratio tantùm probat, quod Profelyti
non fuerint obligati ad Legem ceremoniale;*
verum ab hac *ad moralem non valet sequela.*

Denique *quarta ratio contrarium potius
probat.* Nam ipse Naamanus agnovit se obli-
gatum esse ad colendum DEUM, & ad abstinend-
um ab Idololatria, ut constat. Sic & *Ninivites
agnoverunt ex impulsu conscientiæ se violas-
se legem DEI moralem, atque adeo commerit-
os esse pœnas temporales & æternas.* Et *Da-
niel*

niel precipit Nebucadnezari, ut charitatem erga proximum exerceat, quæ portio altera legis est moralis.

Observ. XII. ad Theſ. 16.

An extra Judaiſmum ſalus fuerit?

Aſſerit Grotius, quod prava olim apud Judæos fuerit opinio, quod extra Judaiſmum ſalus non ſit. Grotio adſtipulatur *Testamarius*, & ait Romanæ Eccleſiæ Doctores imitari in hoc Judæos, quia exiſtiment extra Eccleſiam Romanam non eſſe ſalutem.

Verum, ſi res probè examinetur, apparebit, verum eſſe, quod extra Judaiſmum non fuerit ſalus, ſumto Judaiſmo pro Religione Judaica & Eccleſia vet. *Testamenti*.

Nam primo ſi extra Judaiſmum ſeu Judaicam religionem *nulla alia fuit quam falſa illa Gentilium*, in qua ſalus non datur: tum neceſſario conſequitur, quod extra Judaiſmum non fuerit data ſalus.

Secundo Deus Eccleſiam ſuam in V. *Testamento* ſolum *incluſit pomeriis populi Judaici*, ut conſtat ex Paulo *Ephes. 2. v. 12*. Sicut ergo jam extra Eccleſiam Chriſtianam univerſaliter ſpectatam non datur ſalus: ita etiam tempore V. *Testamenti* non data fuit ſalus extra Eccleſiam Iſraeliticam ſeu Judaicam.

Tertio Apoſtolus *Rom. 9. v. 4*. de Judaica Eccleſia ait, quod *illuſtribus illis privilegiiſ*

gaudeat, nempe quod ad Judæos pertineat adoptio, atque adeo jus habeant tanquam filii ad hæreditatem æternam; quod ad ipsos spectet fœdus seu pactum gratiæ *Exod 24*; quod *λατρεία*, seu vera religio, apud ipsos sit plantata; quod denique eloquia Dei ipsis sint concredita. At nemo salutem habere potest extra adoptionem, extra fœdus, & citra eloquia Dei, hoc est, verbum divinum, quod unicum est medium generandi finem.

Quarto Grotii sententia Indifferentismum Religionis sapit, quem socii ejus *Arminiani* modis omnibus propugnare fategerunt, quasi temporibus V. Testamenti indifferens fuisset, vel Religioni Judaicæ se associare, vel in alia quadam vivere. Unde etiam in superioribus producit exemplum Cornelii Centurionis, qui vixerit piè & Deum colens, licet non fuerit membrum Ecclesiæ Judaicæ. Verum Indifferentismus iste Religionis propriè nulla est Religio.

Quinto Paulus Eph. 4. v. 5. ait, quod *unatum sit fides*, nempe salvificans, & unus Deus salvans. Aut igitur extra Ecclesiam Judaicam constituti eandem fidem habuere cum Ecclesia Judaica, & in Messium unicum salutis fundamentum credidere: aut habuere diversam. Si eandem: ergo fuere etiam ipsi membra illius Ecclesiæ interna communionem propter consanguinitatem fidei, ut loquitur Tertullianus.

tullianus. Si diversam habuere: ergo non una, sed diversis viis itur ad cœlum; aut sine fide in Christum datur salus, contra id, quod dicitur *Act. 4. v. 12.*

Observ. XIII. ad Theſ. 16.

Quid in Lege Mosaica sit abrogatum?

IN hac materia *obscurè versatur Grotius.* Ut itaque lucem affundamus negotio, *distinguenda nobis ante omnia erunt, quæ confusionem aut tenebras facere possunt.*

Primo ergò notandum, quod, ut jam in antecedentibus tetigimus, Lex Mosaica in triplici sit differentia; est enim Moralis, Ceremonialis & Forensis.

LEX MORALIS secundum se spectata abrogari non potest, tam non, quam non tolli potest ab homine obligatio, ut Deum & proximum diligit: abrogata tamen est quoad certos respectus & usus, quos habuit tempore V. Test. Nam primo durissima illa Oeconomia legalis abrogata est, qua patres V. Testamenti sub Lege erant tanquam sub severo Pædagogo, aut quasi carceri inclusi usque ad adventum Christi Gal. 3. v. 23. 24. Quo sensu juxta quosdam Paulus dicit Rom. 6. v. 14. nos non esse sub Lege, sed sub gratia; & Christus ait Legem durasse usque

usq; ad Johannem, videlicet ratione illius Oeconomix: *Mat. 11, 13. Secund.* sublatum est dominium illud in conscientias, quas tenebat, unde natus erat in V. Testamento *Spiritus servientis*. Hinc jam dicitur, quod Lex non sit posita iusto *1. Tim. 1. v. 9.* videlicet Lex minans, cogens; quia fideles N. Testamenti ultro jam officium faciunt. *Tertio* cum à Christo jam impleta sit Lex, legisque postulationi satisfactum sit: hinc jam ministerium mortis amisit, & facta est ministra Christi & gratiæ; qui enim Spiritu Christi aguntur, non amplius sunt sub lege *Gal. 5. v. 18.* cogente scilicet & maledicente.

Quod ad LEGEM CEREMONIALEM attinet, illa abrogata est. Nam primo Christo exhibitio non amplius opus est *Padagogus Gal. 3. v. 24. Secund.* sublato per Christum Gentium discrimine sublatus quoque est *paries intergerinus Eph. 2. v. 14. Tertio* veniente veritate, cessant merito figurae. *Quarto* facta solutione per Christum deletum est *Chirographum Col. 2. v. 14.*

Facta est autem abrogatio non uno actu, sed per moram. Nam primo languescere cepit Christo nato & Evangelium prædicante. Quamquam enim ipse eam tota vita observavit, aliosque observare iusserit; leproso enim dixit: *abi, ostende te Sacerdoti Math. 8. v. 4.* tamen imperfectionem illius non dissimulavit, dum dixit, non imputare hominem, quod per os intret *Math. 15. v. 11.*

Secund.

Secundo moriente Christo simul mortua est, & præstito vero Sacrificio, Chirographum nostrum deletum, cumque ipso cruci affixum est, Col. 2. v. 14. Tertio everso denique templo, cum ejus ruderibus sepulta quoque sunt ceremoniarum, ipsoque facto Deus Ecclesiam suam in libertatem asseruit, eamque ipsis quoque Judæis ostendit & obtulit, cum sine Saturnario illæ exerceri non possent. Hi ergo abrogationis hujus gradus fuerunt.

Fidelium autem, quod prætinet, duplex hic est distinguendum tempus, vel ante destruetum templum, vel post illud. Ac illi quidem demum post eversum templum libertatis suæ bona plenissime degustarunt: ante illud tempus autem, stante adhuc illa æde, & manentibus pristinae servitutis reliquiis, libertas illorum longè restrictior erat. Multi autem ex charitate Christiana, ut infirmioribus, libertatis adhuc impatientibus, sese accommodarent, se ipsos quoque pleno libertatis usu ad tempus privarunt; idque vel ex privata prudentia, ut exemplo Pauli liquet, qui Judæis fiebat ut Judæus, ut Judæos lucrificeret 1. Cor. 9. v. 20; vel publico Ecclesie judicio, quæ ut scandalis occurreret canonem illum de Lege cibaria ad tempus observandum dedit Act. 15. v. 28.

Nemini ergo fas jam est Ceremonias illas

in Ecclesiam *revocare*; nam maximam partem Christum respiciebant. Sic tabernaculum fuit typus Christi *Job. 1. v. 14*: Sacrificia figuræ Sacrificii Christi expiatorii *Hebr. 10. v. 5. 6*: Sacerdotes Christum repræsentarunt, tanquam summum Sacerdotem N. T. *Hebr. 9*. Contra Christum itaque jam militarent, si juxta Solem justitiæ hæ umbræ ponerentur.

OBSERVATIO XIV.

An Lex forensis Hebræorum sit abrogata simpliciter?

Lex forensis spectavit Gubernationem civilem populi Israelitici, adeoque pertinuit ad regimen ejus politicum. Quæstio itaque est, an illa sit abrogata simpliciter, vel an adhuc ejus aliqua vis sit obligativa.

Tres hic sunt sententia. Prima asserit Legem forenssem Judaicam simpliciter esse abrogatam, pro qua sententia militat *Dn. Oslander in observ. ad Grotium, citatque pro se Lutherum.*

Altera huic opposita est *Brochmandi & Calixti Th. M. p. 73* inter nostros: *Maccovii, Piscatoris & aliorum* inter Reformatos: ex *Jct. Schneidewini & Brunnewanni*, qui censent eam retineri posse, quin & debere; quia sit à Deo tanquam sapientissimo Legislatore perfecta; sicque jure Romanis Legibus præferri, quæ ab hominibus latæ multos nexos habeant.

Ter-

Tertia ait: materiam earum legum revocari posse, sed non ipsas leges, ut forenses & Judaicas.

Non salva aliorum autoritate *existimamus* distinctionibus & *cautelis* hic opus esse.

Nam *primo* quædam in Lege forensi deprehenduntur, quæ sunt *Juris universalis ac communis*, atque adeo, quæ fundantur in Lege Naturæ, v. gr. Leges de viduis, de orphanis, peregrinis &c. item de judiciis & pœnis, hæc sanè non possunt dici abrogata. *Alia* verò sunt *Juris particularis*, & spectare solos Judæos, qualis fuit lex de Leviratu, de libello repudii, de spicilegio &c. Hæ leges sine dubio abrogatæ sunt, quia specialiter respexere Gentem Hebræam.

Porrò in Legibus, quæ fundantur in Jure communi, seu Lege Naturæ, *distinguenda est substantia Legis ab ejus circumstantiis*. Quædam secundum substantiam & circumstantias sunt *Juris communis*: alia vero tantum quoad Substantiam ad Jus commune pertinent, quoad circumstantias verò ad Jus particulare. Sic in Legibus de pœnis scelerum *Juris naturalis est pœnæ substantia*: sed *modus & gradus pœnæ Juris est particularis*, atque ideo mutabilis.

Tertio quædam Leges *specialiter respexere Politiam Judaicam*; quædam ad universalem politiam generis humani pertinent. Abolita

F

ergò

ergò politia Judaica, necesse fuit aboleri Leges, quibus illa politia nititur; quæ utique Juris sunt positivi. Sed ea, quæ politicam totius generis humani spectant, fundantur in Legge morali, & tam abolita non sunt, quam adhuc viget Politia ista universalis.

Ut verò dignoscatur, quæ sint *Juris communis*, tria criteria adhiberi possunt. Primo quæ non tantum inter Judæos, sed etiam inter gentes, rectæ rationis ductum sequentes, obtinent, illa sunt Juris communis.

Secundo quæ præceptis Decalogi conformia deprehenduntur, & illi explicando & confirmando inserviunt; quod facile colligitur, si vel objectum & materia Legum, vel causæ eas sancienti attendantur.

Tertio quæ in Novo Test. ita repetuntur, ut eorum observatio Christianis commendetur.

OBSERVATIO. I. ad Cap. II.

Thes. 1. n. 1.

*An & quo sensu admitti possint
πρώτη τῆς Φύσεως seu prima natura?*

Postquam fontes Juris *Grotius* adaperuit, porro nunc progreditur & probat, quod bellum in certis casibus sit licitum; idque ostendit primo ex illis primis naturæ, secundo ex Jure Naturæ, tertio ex Jure Gentium, quarto ex Legibus positivis divinis tum in V. tum in N. Te-

N. Testamento occurrentibus, quinto ex *Praxi Veterum Christianorum.* Disputat autem contra *Anabaptistas*, item *Johannem Ferum & Erasmus*, quos in prolegomenis citaverat. Huc referri quoque possunt *Brownista & Tremmentes seu Quackeri* in Anglia, quæ omnis turba bellum, utpote contra Christianam caritatem militans, omne illicitum censet.

Circa primam autem probationem his etiam mota est *Grotio*, videlicet circa prima illa *Natura*, an exin probari possit, bellum esse licitum? Nam *Zieglerus, Feldenus & Dn. Osiander* plane illam tanquam *Papisticam, Calixtinam & absouam* rejiciunt. Contra pro *Grotio* stant *Gassendus* in *Philosophia Epicurea*, parte morali pag. 1555. *Pufendorf.* Jur. univ. Lib. 2. Obs 4. Num. 9. *Bæclerus* in *Comment.* pag. 176. *Dn. Kulpis.* in *Coll. Grot.* *Obrechtus* in *observ.* ad *Grot.* pag. 1045. illumque excusant partim ex eo, quod prima illa *Naturæ Grotius* non posuerit per modum normæ, ut ad eam examinari possit: An bellum sit licitum nec ne? sed tantum ut principium ducens ad *ius Naturæ*; partim exinde, quia concursus hic sit primorum *natura & rationis naturalis seu socialis*, sic ut sola cogitatione separari queant. Imò, inquit *Bæclerus* loco citato, ratio prima *Natura* in homine in eum habitum format, ut hominis esse videantur.

NOBIS sane sententia *Grotij* optima videtur.

Nam *primo* illa prima naturæ à sanctissimo *Auctore natura implantata nobis sunt*. Nam qui amorem vitæ nostræ implantavit, ille haud dubie in sevit etiam studium se conservandi; cum conservatio sui nihil aliud sit, quàm conservatio vitæ, ut ex terminis patet. *Secundo* hæc prima Naturæ *in statu Integritatis*, qui perfectissimus erat, Adamo tam verè *concreata fuere*, quam verè hæc tria amoris objecta ipsi fuere impressa, amor videlicet DEI, amor sui & amor proximi. *Tertio* hæc prima naturæ non sunt bruta, aut brutis communia, prout communis pæne est error: sed *radicantur in anima hominis*, quæ licet etiam det gradum animalitatis, hæc tamen animalitas longè est superioris ordinis, quàm in brutis. Est enim animalitas radicata in natura *Spirituali & Intellectuali*; imò realiter eadem est, cum spiritu substantiali, qui anima hominis dicitur. Quantum ergò differunt anima spiritualis & materialis: tantum differunt prima naturæ in homine & bruto. *Denique horror mortis*, quem optimi etiam in extremo illo articulo sentiunt, & qui Sanctissimo Salvatore in monte Oliveti, sanguineum illum imbrem expressit, ex eo vel maxime etiam est, *quia prima illa natura evertit*, & hominem, qui in sui conservationem nativo pondere inclinatur, destruit. *Nisi ergò velimus dicere omnem horrorem mortis esse brutalem, dicendum nobis erit prima natura uno esse merè bruta.*

Ad

*Ad rationes itaque dissentientium responde-
tur, ad primam quidem, cum dicunt, prima il-
la Naturæ fundare statum purorum naturalium,
quem Scholastici confinxerint, & Calixtus
defenderit: planè aliud esse statum illum pu-
rorum naturalium, & hæc prima natura. Nam
hæc, ut audivimus, in statu integro locum ha-
buere: at status naturæ puræ nunquam fuit,
ut agnoscunt Scholastici & in primis Calix-
tus. Deinde in illis primis natura, prout à
Grotio ponuntur, planè nihil est vitii, imò illa
fundamentum sunt, ad minimum remotum,
Legis sanctissima, qua quisque obligatus est,
ut se amet: at status Naturæ puræ est vitio-
sus, quia rebellis. Tertio nec Cicero, nec Stoi-
ci unquam de Scholasticis aut Calixto som-
niarunt, & tamen hæc prima Naturæ statue-
runt.*

*Secundo arguunt, prima illa Naturæ, si cum
secundis conferantur, ita se habere, ut prima
& secunda inter se pugnent; prima enim con-
venire homini secundum appetitum sensiti-
vum, secunda autem juxta rationem, sicque
pugnam & rebellionem esse. Respondetur, in-
ter hæc prima Naturæ & secunda planè non esse
pugnam, sed optimum consensum. Nam ut
illa dicitant sui conservationem, ita hæc
omnino quoque eam suadent. Potius itaque
recta ratio prima natura perficit, juvat, & varia
se conservandi consilia & auxilia confert,*

quam quod cum iis pugnet; non enim minus se conservare studet homo ut rationalis, quam ut sensitivus.

Tertio inquirunt: Aut illa prima natura considerantur, prout in primo homine fuisse censentur: aut prout nunc sunt in homine corrupto. Si priori modo: non habuerunt locum in illo; neque enim talia fuere in illo, quibus recta ratio debuit prævalere, cum omnia fuerint integra. Si verò, prout nunc sunt in homine, considerentur: vitiosissima sunt, neque regulam præbere possunt, ad quam Jus Naturæ dijudicetur. Respondetur, illa prima Naturæ nec in statu integro prævaluisse rationi rectæ, neque illi repugnasse. Nihil enim fuere aliud, quam radicaliter amor sui, qui & rectissimus est, & planè non contra rationem; imò potius contra rationem esset, si tale studium sui, seque conservandi non fuisset in homine? Quod verò attinet præsentem statum, illa secundum se spectata non sunt vitiosa, licet in vitium verti possint. Sicut v. gr. innata est omnibus notitia supremi Numinis, & illa notitia secundum se spectata falsa non est, imò à Paulo ipso veritatis nomine commendatur Rom. 1. v. 25; at in applicatione falsa evadere potest, cum videlicet ad idola applicata est, aut cum supremum illud Numem ratio corrupta putat esse tantum unum in Essentia & in Persona: idem dicimus de Primis illis naturæ. Adhuc Lex ipsa

ipsa Naturæ, cordi nostro inscripta, post lapsum equidem etiam est corrupta; multa enim in ea sunt oblitterata: nihilominus Gentilibus Lex est, & norma vivendi. Denique non statuit Grotius, quod *Prima illa natura* norma sine Juris, ex quibus decidi debeat, an bellum Juris Naturæ sit, sive licitum; sed tantum habentur pro principiis ducentibus ad Jus Naturæ, ut tradit *Baclarus, & Kulpisius*.

Obf. II. ad eand. Thes. 1. n. 3. G. II.

Quomodo honestum pro diversitate materiae modo in puncto consistat, modo habeat latitudinem aliquam?

T *Esmerius* in observationibus suis per hoc punctum intelligit punctum temporis; unde pro eo explicando quatuor affert exempla. *Primo* inquit, si me latro invadat, licitum mihi est eum mactare, & justè facio; pecco autem, quando elapso hoc puncto, id est, cessante periculo eum interficio. *Secundo* Jus & fas mihi est, ex oriente incendio, vicini ædes destruere in eo scilicet puncto, ubi periculum est: at, cessante periculo, impie & injuste facerem, si tantum damni inferrem vicino meo. *Tertio* Lege divina, quando fur in puncto noctis & effossionis deprehendatur, impunè cædebat: si elapso eo puncto, id est, ex oriente Sole cædebat, reus cædis erat interfector.

fectior *Exod. 22. v. 2. 3.* Quarto, in Jure Romano hoc punctum, ait, in materia retorsionis & cæde adulteri in adulterio deprehensi necessarium erat, ut constet ex *Lege Jul. de adult.*

Verum, quod pace Dn. Tesmarii, Viri aliàs eruditissimi, dixerim, profundior longè sensus est Grotii. Non enim ille de puncto temporis loquitur; sed de puncto in materia honesti aut *juris*, quod constare potest ex exemplis.

Sic primo *Lex illa, qua præcipit cultum & amorem DEI*, ita in puncto consistit, ut & ratione *incentionis* debeat esse summus ex toto corde, ubi vel minima remissio est peccaminosa juxta tenorem Legis: porro requirit *perfectiorem parium*, ut sit ex toto corde, tota anima, atque omnibus *viribus*, ut nihil sit in homine; quod non ad amandum Deum tendat: tertio postulat *perseverantiam*, ut nunquam interrumpatur.

Diabolica enim est sententia Moralistæ illius celebris Tamburini expl. decal. libr. 2. c. 3. p. 194. qui, cum recensuisset sententias eorum, qui dicunt Deum esse amandum *primò* veniente usu rationis, *deinde* si magnum beneficium à DEO accipiamus, *tertio* diebus festis, *quarto* in fine vitæ &c. tandem suam sententiam promit & ait: probabilem & tutissimam esse sententiam illorum, qui censent, hominem nec initio usus rationis, nec per vitam, nec in fine vitæ obligatum esse ad amandum DEUM; ponere enim

enim ejusmodi obligationem, nihil aliud esse, quàm scrupulos facere in conscientia. Sed hæc
 ὡς ἐν παροίῳ.

Secundo Grotius mentem suam explicat ex doctrina contradictoriorum & contrariorum, ubi in illis non datur latitudo, sed in his, non ratione temporis præcisè, sed ratione materiæ. Sic inter τὸ amare DEUM, & non amare DEUM; inter fidem servare, & fidem non servare, non datur latitudo: at in contrariis. Sic fortiter pro Patria pugnare, res est honesta & laudabilis: sed propter imbecillitatem corporis aut propter alias causas domi manere, aut officio suo, si quod aliud quispiam habet, defungi, non propterea statim est inhonestum & illaudabile.

Et hæc latitudo moralis maxime in Virtutibus locum habet. Sic summam moderationem in cibo & potu laudat Scriptura S. in Johanne: alius, si sobrietatem & abstinentiam à cibis melioribus in eo gradu non habeat, non propterea dicendus est intemperans. In ea honestate, quam pleræque virtutes præscribunt, intensiones & remissiones haberi possunt, sine læsione honestatis. Et hæc est illa latitudo moralis, fundata non præcisè in tempore sed in ipsa materia, sicut & punctum morale.

Observ. III. Th. I. n. 5. Cap. II.

*An dominium & dominiorum
distinctio demum post lapsum sit
introducenda?*

HÆc quæstio sæpè tangitur, aut supponitur ab Authore nostro; ideoque è re censemus, ut examinetur.

Habet autem Grotius pro adversario Dn. Cancellarium *Osiandrum*, item Celeberrimum Jesuitam *Martinum Esparzam* ac *Caramuelem* Abbatem *Tranensem*, qui existimant etiam in *statu Integritatis distinctioem dominiorum obtinuisse*.

Rationes Dn. Cancell. *Osiandri* sunt: *Primo* quia ipsa *Lex de non furando*, Adamo data & cordi inscripta, *supponat dominiorum distinctioem*. Quomodo enim, inquit, potest juberi, ut aliquis non furetur, si non supponatur rerum proprietas. *Secundo* in Adamo fuisse *virtutes Justitia & liberalitatis*: sed harum virtutum exercitium non posse dari, nisi supponatur distinctio dominiorum. *Tertia* ait *Esparza*, in *statu Integritatis* fuisset ordo à *Deo* institutus: v. gr. *familiarum distinctio* & alia: sed hæc non posse subsistere sine distinctioem dominiorum.

Sed Nos existimamus *has rationes* haud difficulter *solvi posse*. Nam quod *primam* attinet,

net, nititur illa *primo* hypothefi quadam, quæ mihi nunquam viſa fuit abſolutè vera, *quæſt* verò *præcepta Legis Moralis totidem verbis*, quot leguntur in duabus Moſiſtabulis, *inſcripta fuiſſent cordi Adami*. Contrarium evidenter patet *ex decimo præcepto*, ubi Deus prohibet, nequis concupiſcat vel domum, vel ſervum, vel ancillam proximi ſui: at in domicilio illo pulcherrimo, in horto illo innocentiffimæ voluptatis, Paradifo, nulla fuiſſet domus manibus conſtructa humanis; nulla fuiſſet ſervitus, quæ planè ſtatui illi perfectiffimæ libertatis repugnat, inprimis ſervitus V. Teſtam. quæ erat cum ſumma moleſtia. Concedimus equidem *Legem Moralem in generalibus ſuis præceptis Adamo fuiſſe inſcriptam*; quia eſt eadem cum Lege Naturæ quoad ſubſtantiam; generalia autem illa præcepta fuere, *ut amet Deum, ſe & proximum*: quod autem ſpecialia illa fuerint inſcripta, ratio nulla ſolida adduci poteſt. *Secundo* in Lege Morali prohibetur adulterium; at verò *Adamus adulterium formaliter tale committere non potuiſſet*; partim, quia in illo ſtatu aliena uxor nondum fuit; partim, ſi dicatur, quod cum filiabus adulterium committere potuiſſet, tum id non tam fuiſſet adulterium, quàm ſummi ſcleris inceſtus. *Tertio concupiſcentia*, quæ in nono præcepto prohibetur, *reſpectum habet ad peccatum originale*, quod

quod impurus est ille fons, ex quo motus illi inordinati proficiscuntur, qui in Adamo non fuerunt.

Ad secundum respondetur, etiam misericordiam esse inter pulcherrimas virtutes: aut ergo & illa fuit in Adamo, aut non. Si fuit, quomodo exerceri potuit, ubi nullum erat obiectum miserabile. Si non fuit, ergo non necesse est omnes virtutes formaliter fuisse in Adamo. Sufficientibus virtutibus fuit instructus, qui potuit amare Deum ex toto corde, tota anima atque omnibus viribus, & proximum sicut seipsum. In his perfectio omnium virtutum stat.

Ad tertium Martini Esparza argumentum respondemus, etiam in altera vita fore ordinem, eumque exactissimum & pulcherrimum, ita ut, teste Christo, etiam habitationes & mansiones variaz sint futuræ: quis autem diceret, ibi fore distinctionem dominiorum.

Brevissimis videtur rem expedivisse Guilielmus Grotius, qui ait, dominium rerum quoad concessionem esse *Juris divini*, divisionem esse *Juris Gentium*. *Addimus*, si in statu illo perfectionis primæ permansisset homo, non necessariam fuisse talem distinctionem. Ubi enim perfectus amor, ibi omnia sunt communicata: & ubi nulla est indigentia, sed rerum omnium copia, ibi nemo cogitasset de re aliqua sibi vindicanda in perpetuum aliquem usum

usum. Sane infausta illa pronomina MEUM ET TUUM, quæ nihil aliud quam *invidia materia* sunt, ab eo statu abfuisse, ubi non fuit *invidia*.

Observ. IV. ad Thef. 6. C. II.

An fides præcepta in Lege, vel in Evangelio; sive an obligatio credendi pertineat ad Legem vel ad Evangelium?

HÆc quæstio est ex vexatissimis in Theologia, eamque Author aliquibus in locis tanquam principium supponit. Ut verò clarius pateat, quæ sit mens Grotii, & quid de hoc puncto sanè gravissimo sentiendum: rationes pro affirmativa & negativa producemus.

Pro affirmativa sententia, quæ cum Grotio & Zieglero asserit, fidem præcipi in Evangelio, & non in Lege, sunt. Primo quia si fides præcepta esset in Lege: tum sequeretur, quod Adamus etiam in statu integro habuerit præceptum de fide seu credendi in Christum; at posterius est absurdissimum asserere. Secundo arguit D. Wölflin ex Rom 3, v. 27. Ubi igitur gloriatio? exclusa est: per quam legem? Operum? Non: Imo per Legem fidei. Unde concludit; Quæ Lex in sua formali

formali ratione Legi operum opponitur, & est exclusiva omnis gloriationis coram foro Divino, illa Lex non est factorum, quo titulo Lex Moralis intelligitur: at Lex fidei ita opponitur: Ergò. *Tertio* Fides in Christum est *conditio fœderis Evangelici*, & dispositio ex parte Subjecti, quod in societatem fœderis admittitur: at vero absurdum est asserere, quod in Lege præcepta fuerit conditio fœderis Evangelici. *Quarto* Paulus *Rom. 4 v. 5.* ait, ei, *qui non operatur*, sed credit in eum, qui impium justificat, *imputatur fides* sua ad Justitiam. Unde colligitur: si ideò obligati sumus ad credendum in Christum, ut nobis non operantibus fides imputeretur ad justitiam: tum consequens est, obligationem credendi in Christum non nasci ex legali præcepto, nec includere formaliter opus ex lege Deo debitum. *Quinto* id ipsum patet *ex analogia Sacramentorum*, quæ in se spectata non dicunt cultum aliquem, vel opus in se & absolute Deo debitum; cum Sacramenta sint media salutis à Deo ordinata, per quæ gratiam nobis Evangelicam dispensat: at verò obligatio ad ea percipienda habetur in verbis præceptivis *Matth. 28. v. 19.*

Pro Negativa sententia, quæ in primis est *Dn. Oslandri*, stant etiam validæ rationes. Nam *primo vis* omnis *obligativa* pertinet ad Legem; cum ejus sit *formalis ratio*. Nam

ubi

ubi est Lex, ibi est obligatio: & ubi non est obligatio, ibi etiam Lex non est. *Secundo* fides pertinet *ad primum* Legis moralis *præceptum*; nam in illo præcipitur, ut Creatura rationalis Deo in omnibus suis dictis fidem adhibeat.; imò *primum peccatum in infidelitate* constituisse, communis Theologorum est sententia. *Tertio* sicut *fructus fidei*, videlicet *charitas*, in Lege est præcepta: ita etiam arbor eius, fides videlicet. *Quarto* licet fidei objectum, videlicet Christus, monstretur in Evangelio; licet etiam Evangelium det vires ad credendum: *obligatio tamen est ex Lege.*

Nos in hoc sententiarum divortio, ubi difficile est veritatis viam invenire, existimamus, sententiam primam, si sumatur in sensu *Grotij*, esse falsam; at legitimam & justam habere posse sensum.

Falsa itaque est in eo sensu, quem *Grotius*, ut *Arminianus*, haud dubie intendit, nempe *fidem esse præceptam in Evangelio, tanquam conditionem pacti Evangelici, ex parte nostræ præstandam*, ubi Deus scilicet in locum perfectæ obedientiæ, quam Lex vetus requirat, postulet jam tantum in pacto Evangelico fidem; uti alias ab exhausto debitore *per acceptilationem* quondam creditor quandoque accipit *decem pro centum*. *Secundo* supponit semper *Grotius*, quasi Lex fidei & Sacramentorum inter eas pertineat, quas *Christus*,

ut novus Legislator, dederit; cum tamen obligatio credendi in Christum cœperit statim post primam promissionem Evangelicam de semine mulieris. Unde per fidem in illud semen salvatus est Adam; & sacrificium Abelis idè DEO gratum fuit, quia ex fide in Messiam processit.

Interim argumenta prima sententia rectè concludunt, quod si fides sumatur in sua ratione formali, ut est *medium applicandi sibi meritum Christi*; & ut est *Instrumentum quasi passivum*, acceptans gratiam in Evangelio oblatam; & ut *importat fiduciam* in eum, qui est finis Legis, quia per obedientiam activam & passivam pro nobis adimplevit legem, & sic justificare dicitur: in tantum non possit pertinere ad Legem, nec obligationem exinde habere.

Unde *ad rationes adversas respondetur*, ad primam quidem, utiq; obligativam vim esse formalem rationem Legis, videlicet ad aliquid agendum vel omittendum, id scilicet, quod Lex exigit, tanquam debitum & opus: at fides in presenti neque spectari potest ut opus, nec ut debitum legale; sed ut est instrumentum applicans sibi meritum & opus alienum.

Ad secundam respondetur; fidem illam generalem utique præcipi in primo Legis moralis præcepto; & per modum operis Deo ejusque veracitati debiti: at hic fides spectari debet ut instrumentum applicans sibi alienam obe-

obedientiam, cum Lex requirat propriam. Hinc etiam communiter dicitur, quod fides Evangelica justificet, non ut est vel in prædicamento qualitatis, nec ut in prædicamento actionis; sed ut in prædicamento *relationis*, cum contra, quicquid Lex præcipit, vel ad actus, vel ad qualitates pertineat.

Tertium argumentum *retorqueri* potest. Nam sicut in Lege charitas non præcipitur, ut est fructus fidei; sed primo & per se, imò antecedenter ad fidem: ita diversa est ratio fidei in Lege præcepti, & in Evangelio obligantis. In charitate tota est impletio Legis: at non in fide, prout est in Lege præscripta; tantum enim ejus aliqua est portio.

Ad quartum dicimus, *supponi* non probari, obligationem ad credendum esse ex Lege, objectum autem ex Evangelio; nisi velimus dicere, verbum Evangelii non aliter distingui à Lege, quam merè ex objecto, cum tamen *intrinsecas* habeant differentias.

Observ. V. ad Th. 2. n. 1.

An Abrahamus proprio motu arma sumserit sine Jussu Divino?

Grotius affirmat ob silentium textus. Nos, quanquam jussum nullum in scripturis extet, tamen existimamus institutum adfuisse divinum. Nam *prime* nulla probabilis

babilis ratio esset, cur Vir, Deum enixè colens, tale factum proprio motu sine instinctu divino suscipere; cum faciliè conijcere potuisset, rem *sine consilio Dei* susceptam male *cessuram* esse.

Secundo actus ille *Heroicus* planè fuit, qui sine motu & impulsu divino non fit; quem etiam agnoscit *Chrysostronus Homil. 35. in Gen.* inquit, quod Abraham absque isthoc facto impulsu non potuisset tanta potentia munitos vincere: à Deo iste est instinctus, qui tantam tibi virtutem concessit.

Tertio testis ejus rei *Melchisedech*, qui divinam & auxiliatricem manum & assistentiam deprædicavit, inquit: laus sit Deo altissimo, qui tradidit hostes tuos in manum tuam. Ac procul dubio tam memorabili & præsentis auxilio divino gavisus non fuisset Abraham, si ex motu proprio, & sic temerè, bellum illud suscepisset.

Observ. VI. ad eandem Thesin.

Quis fuerit Melchisedech?

Quamquam hoc punctum *non tractet Grotius*: tamen quia *Tesmarus* in notis ad hunc locum illud *desinit*, paucis in illud inquiramus.

Existimat laudatus *Tesmarus*, quod iste *Melchisedech* fuerit **IPSE FILIUS DEI**, quam
senten-

sententiam hausit ex celebri Jurisconsulto *Petro Cunao*, qui libellum scripsit *de Republica Hebraeorum*. Ubi eam sententiam defendit primo ex eo, quia dicatur a Paulo *Hebr. 7. v. 3. ἀπάτωρ ἔ ἀύνταρ*, qui sit character non hominis mortalis, sed immortalis DEI; non enim post Adam dari hominem, qui sit sine Patre & Matre. *Secundo* dici, quod sit sacerdos in aeternum, nec successorem habeat; sed hos titulos in neminem quadrare quam in filium DEI. *Tertio* Patrem omnium credentium ipsi decimas persolvisse tanquam superiori; sed Abrahamo, nec in fide, nec in æstimo, apud DEUM ullum tum temporis mortaliū extitisse majorem aut superiorem.

Sed *hac sententia*, utut speciosa, *subsistere nequit*. Nam primo si Christus per illum Melchisedechum intelligeretur: tum non posset dici, quod sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech; debet enim esse ab illo distinctus. Nec secundo Melchisedechus à Paulo dici posset filio Dei assimilatus *Hebr. 7. 3.* nisi à Christo ut typus & antitypus differret. *Tertio* Moses omne dubium eximit, quia ipsum à nomine, à sede, à loco in Palæstina notissimo, ab officio & actionibus tam expresse describit, quæ circumstantia individuantur non quadrant in Filium DEI.

Alii purant, quod fuerit SEMUS Noachi Filius, ut *Epiphanius* quoque & *Hieronimus* cen-

sent; illum enim tempora Abrahami attigisse, certum videtur; nec mirum, quod ipsi Abraham, tanquam abnepos, decimas obtulerit.

Verum nec hac sententia arridet; stante enim illa, non posset dici, *sine Patre, sine Matre, & sine Genealogia*, cum tota ejus Genealogia, ortus & obitus tam accurate recensentur. Nec ulla ratio reddi posset, *cur Moses nomen mutasset, & pro Semo Melchisedech posuisset*. Deinde *non Semo cessit Canaan in hereditatem*, sed Canaani *Gen. 10. v. 15. 16.*

Unde melius dicitur, quod Melchisedech iste verus homo fuerit, ex hominibus ortus, Rex in Salem, qui tempore Abrahami vixit, & regium munus cum Sacerdotali conjunxit. Ulterius verò quærere, quis ille fuerit, est in illud inquirere, quod à nobis sciri Deus non voluit.

Observ. VII. ad Thef. 6. n. 2.

An in Evangelio vetentur concubinatus, divortium, polygamia, an verò in Jure Naturæ?

A *firmativam tenet Grotius, & putat illos maxime ludare, qui putent, hæc extra Evangelium jure Naturæ esse illicita.*

Samuel Pufendorf in tract. de Jur. N. & G. lib. 6. c. 1. th. 17. 18. in materia de Polygamia utriusque partis seu sententiæ argumenta profert, & rem postea relinquit indecisam.

Nos

Nos pariter *rationes sententia utriusque*, & maximè eas, quas Pufendorf omisit, in medium afferemus, *sed decisionem subjungemus.*

Non videtur autem, quod Concubinitus aut Polygamia in Lege nature sint prohibita; quia primo alias sequeretur, quod Patriarcha, quorum pietas maximè in Scriptura laudatur, in perpetuo peccato mortali contra Legem nature vixerint. Nam *Abrahamum* concubinarium fuisse negari non potest; quia cum Agare ancilla concubuit. De *Jacobo* constat, quod non tantum cum ancillis rem habuerit, sed quod Polygamus fuerit; dum duas sorores *Leam* & *Rachelem* duxit. Quis autem diceret, *Viros* tam sanctos tam graviter contra Jus Naturæ voluisse peccare? aut quis crederet, ipsos ignorasse, quod concubinitus & polygamia militent contra Jus Naturæ, si revera contra illud Jus militarent. *Accedit, quod Deus familiariter cum Abrahamo locutus, imò etiam cum Agare, nihil de illo peccato monuit.* Sic & *Jacob* multas in aliis rebus revelationes à DEO habuit; de hoc verò, quod in peccato contra Jus Naturæ vivat, nunquam. *Quin Abrahamus* titulum à DEO accepit pulcherrimum, quod Pater sit credentium *Rom. 4. v. 11:* & *Jacobus* DEO dilectus dicitur *Rom. 9. v. 13:* *David* verò, Polygamus, Vir dicitur secundum *COR DEI Act. 13. v. 22.* Qui sane tituli da-

ei non fuissent à Deo Viris in perpetuo peccato mortali viventibus.

Secundo DEUS liberos ex Concubinato & Polygamia ortos admisit ad hereditatem paternam, tanquam filios legitimos; ut constat ex exemplo Jacobi, cujus duodecim filii ad hereditatem admissi fuere. Unde jure colligitur, quod DEUS eos non pro spuris, sed pro legitimis liberis habuerit; nam in hereditate terræ Canaan æqualis omnium ratio fuit habita.

Tertio est non nemo, qui putat Naturam ipsam Polygamie patrocinari. Nam si *Vir* robustæ sit Naturæ, ut pluribus Uxoribus par sit; atque in una uxore vis prolifica mariti non possit sese sufficienter exercere: naturæ intentioni adversum videri, vel vim eam cohibere, vel inutiliter in una consumere.

Quarto vis ea prolifica ortum habet à benedictione divina: Crescite & multiplicamini. Quæ benedictio & multiplicatio locum habere sæpe non possit, si vir uni affixus sit uxori; quæ sæpè sterilis; aut si omnino fœcunda, unum saltem intra anni spatium partum edat; cum à Polygamo plures possint imprægnari, & genus humanum juxta intentionem authoris naturæ multiplicari.

Pro adversa sententia nihilominus militante non minus speciosæ rationes. Nam *primo* quid juris Naturæ sit, omnium optime videtur colligi

ligi posse à primo naturæ exordio ex ejus institutione; ibi autem juxta infallibilem & authenticam interpretationem Filii Dei, qui institutioni primæ ut Author & Legislator interfuit, præfuit, & benedictionem addidit, *duo tantum*, mas scilicet & fœmina, *fuere in una carne*, ut constat ex *Matth. 19. v. 4. seqq. Marc. 10. v. 6.* *Lyserus* equidem, famosus *Polygamia defensor*, excipit, in institutione matrimonij *prima non regulam poni, sed tantum historiam recenseri*: sed hæc exceptio eò vanior est, quod Pharisæi, contra quos Salvator disputat, eam non ausi fuerunt afferre. Nam & illi potuissent Christo dicere: provocas ad institutionem primam, quæ tamen matrimonij regula non est, ergo frustra disputas. At Pharisæi, satis alias procaces, nihil tale attulere: unde facilè liquet, longè magis temerarium & impudentem fuisse Lyserum quam Pharisæos.

Secundum argumentum desumitur ex tabulis Legis moralis, de qua aliquoties dictum est, quod in substantia eadem sit cum Lege seu Jure Naturæ: At in *Lege morali* dicitur: *non mœchaberis Exod. 20. v. 14.* ubi Concubinatus & Polygamia intelliguntur. Perfidia enim appellatur, si Vir aliam uxori suæ superinducat *Malach. 2. v. 11.* &c; perfidiam autem esse contra Jus naturæ, nemo nisi contra Jus Naturæ perfidus negare potest.

Tertio per matrimonium Vir accipit potestatem in corpus uxoris, & uxor accipit potestatem in corpus mariti, non demum in novo testamento, sed à prima statim matrimonij institutione: itaque Vir non potest corpus suum in plures uxores per Polygamiam dividere; quia prima conjux adæquatam potestatem in corpus mariti, eamque indivisibilem, accepit 1. Cor. 7. v. 4. Neque hic obstat, quod quidam dicunt, uxorem primam per voluntariam Juris sui cessionem posse marito facultatem in corpus alterius concedere; talis enim cessio locum non habet, ubi contraria intercedit Legis divinæ dispositio.

Denique contra omnem naturalem equitatem militat, quod Uxor deterioris longè conditionis debeat esse, quam maritus; si enim Vir poterit plures uxores ducere, cur non etiam mulier poterit plures Viros.

Nos, his ita positis pro utraque sententia rationibus, dicimus. *Primo* sententiam Grotij in eo à Veritate & sana Theologia abire, quod putat, concubinatum, divortium & Polygamiam in Evangelio tantum prohiberi. At verò Evangelium planè tale nihil habet pro suo objecto; versatur enim tantum circa media salutis nostræ, unde dicitur potentia ad salutem omni credenti Rom. 1. v. 16; concubinatum, divortium, polygamiam & talia relinquit Legi. *Fundamentalis* autem Grotij hypo-

pothesis falsa est, quod ille putat, Evangelij nomine univocè sic dicti omne id comprehendi, quod Christus dixit, aut quod in libris N. Testamenti extat. Sanè etiam in V. Testamento Evangelium sonuit, & quotquot in eo salvati fuere, per Evangelium salutem acceperunt: in novo verò Testamento sæpè etiam Legalia occurrunt, quæ non majorem vim habent obligandi, quam in veteri. Utrobique enim unus est Legislator, qui sicut à se ipso diversus non est, ita Leges suas non corrigit, aut ex imperfectis perfectiores facit. In Legislatore humano id quidem contingere potest: sed non in eo, qui est essentialiter immutabilis, in iis maximè, quæ sanctitatem & justitiam ejus tangunt, aut ab iis profluunt.

Secundum, quod dicimus, est, quod si Juris Naturæ Fundamentum sumatur SOCIALITAS, ut facit Pufendorf & alij: tum nulla ratione aut specie probabilitatis dici potest, quod vel concubinatus vel polygamia sit contra illud Jus: quin potius illi favent; nam fœcundior procul dubio & extensior per illa societas redditur. Nec obstat, quod in Polygamia frequentes sint contentiones; nam etiam illæ in Monogamiâ sæpè obtinent. Accidentaria illa status à statu ipso probè discernenda sunt.

Tertio dicimus, si Jus naturæ accipiamus pro Legge morali in Decalogo expressa, quod & concubinatus & polygamia adversa sint illi. Va-

gas enim libidines, uti sunt in concubinato, ibi prohiberi certum est; et primævam institutionem matrimonij in sexto præcepto contineri nobis planè indubium est.

Denique, quod PATRIARCHAS attinet, de illis dici potest, quod alias dici solet, *non Exemplis sed Legibus esse certandum*. Exempla ista sunt ad emendationem, sed non ad imitationem. *Accedit*, quod nimius Patriarcharum *ad maturandam* Messix nativitatem *Zelus* rem alias PER SE illicitam fecerit quodammodo *excusatam*. *Aut*, si magis placeat, dici poterit, quod DEUS apud ipsos *dispensarit*, vel potestatem maritalem extenderrit, ut, quæ erat in unius conjugis corpus, fuerit postea in plura; in talibus enim DEUM dispensare posse, non videtur negandum esse.

Observ. VIII. ad eand. Th. 6. n. 3.

An Christus novus fuerit Legislator.

HOc punctum magni est momenti, & in fine thesæos hujus sextæ ab Authore nostro pro momentoso agnoscitur. Ut autem status quæstionis rectè intelligatur advertendum est *primo*, *non esse quæstionem*, an Christus aliqua ratione possit dici Legislator; nam id certum, quod *in monte Sinai* Legem moralem dederit, Mose ministeriales partes tenente,

nente, ubi Angeli Satellites fuere Monarchæ illius & Legislatoris sup̄remi. Nec *secundo* est in quæstione, *an* Christus *interpretem* egerit Legis; nam & hoc *Grotio* concedimus. Sed hoc *tertio* est quæstionis, *an* *novas Leges dederit*, quas alias vocant Evangelicas; item *an* virtutes, populo Hebraico præceptas, in maiore latitudine & perfectione præceperit; et sic legem ex imperfecta perfectiorem reddiderit.

His præmissis *dicimus*, *Christum non fuisse novum Legislatorem*; nec Legem ex imperfecta perfectiorem reddidisse, sive eam intendisse.

Hoc ipsum satis patet exinde, quia si Christus novam Legem tulit in N. Test. priori perfectiorem: tum ipse *Filius Dei sibi erit contrarius*, qui in Vet. Test. dedisset Legem, quæ imperfecta fuisset, quam in N. Test. perfecisset, & novis ac sublimioribus legibus adauxisset. Quid hoc autem aliud est, quàm filium Dei non saltem inconstantiz arguere, sed etiam imprudentiz, qui ut Legislator V. Test. rem non probè ponderasset, & Legem dedisset, quæ correctione opus habuisset.

Porro *an* hac ratione *Deus non posset hypocondriacos argui*, qui imperfectam olim sanctitatem præscripsit, istoque pacto coli voluerit, vitamque æternam ad istum cultum dederit; ac si pro iustitia accipere posset, quod iustitia

non

non erat; sui communionem ea via largiri, qua tamen ad Deum sanctissimum non itur, sed disceditur.

Tertio non posset major esse perfectio in moribus, quam si Deus diligatur ex toto corde, tota anima & totis viribus, & proximus sicut nos ipsi. At Lex moralis eam perfectionem quoque in Vet. Testam. requirebat *Deut. 6. v. 5.* & intra duo ista præcepta omnis morum circulus vertitur, ut constat ex *Matth. 22. v. 37. 38.* Neque alicujus momenti est, quod hic regerit Maldonatus, in eo scilicet consistere majorem perfectionem, si quis magis diligat Deum, quam toto corde. Quid enim est in homine, quod diligere possit Deum, quam cor & anima? Cum autem ea ipsa tota diligit, & ex totis viribus: quod erit, aut quomodo dici poterit, ultra & supra posse diligi Deum? Quid est aliud diligere Deum ex toto corde, tota anima & totis viribus, quam diligere Deum intensissimè, & in superlativo gradu? An vero gradus datur super superlativum?

Quarto ea Lex procul dubio est perfectissima, nullo indigens supplemento, augmento aut intensione, quæ spondet vitam æternam omnibus illis, qui perfectam ipsi præstant obedientiam. Quod est imperfectum aut deficiens in aliquo puncto, illud non potest præmium absolutum omnibus numeris, uti est
vita

vita æterna, dare. At hoc promittit Lex moralis *Lev. 18. v. 5. Gal. 3. v. 12.*

Quinto injuriam est sententia Grotij in sanctitatem Dei, illa enim expressa est in Lege radiis non obscuris & imperfectis, sed claris: at verò si perfectionem ea admisit, pariter admitti debet, quod sanctitas intensionem & perfectionem admittere possit.

Sed videbimus jam etiam rationes Grotij & Maldonati, nam istius argumenta majorem speciem habent quam Grotij.

Suum autem nervum desumunt ex Matth. 5. ubi Christus aliquoties dicat: audistis, quia dictum est veteribus: Ego autem dico vobis. Ubi per veteres Grotius intelligit eos, qui Mosis tempore vixerunt, adeoque contendit, hominibus illis Mosaicis & Legalibus opponi Christianos & Evangelicos, Mosis se opponere Christum ipsum.

Quod confirmat Maldonatus, & ait primo, si de Legisperitorum, Phariseorum & Scribarum glossis sermo esset: tum Christus *ipsorum nominibus non pepercisset*, sed disertè dixisset: audivistis à Legisperitis, Scribis & Phariseis; hac enim, inquit, libertate Christum semper usum fuisse videmus: Cavete, ait, à fermento Phariseorum *Matth. 16. v. 6.*

Secundo ait, Christum non posse vocare Phariseos & Scribas antiquos; cum non multum ante tempora Christi natales & ortum suum habue-

habuerint, ut Hebræorum fidissimus Historicus Iosephus narret.

Tercio inquit Maldonatus, Christus *ipsa* *Mosis verba* affert, & multa *corrigit* in citato loco Math. 5. quæ constat à Pharisæis & Legisperitis non fuisse introducta, sed in Lege expressa; quale est illud *Math. 5. v. 31.* quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii *Dent. 24. v. 1.* Hic Pharisæi nihil corruperant; verba enim Mosis sunt: Christus tamen corrigit: ego autem dico vobis, atque adeò aliam dispositionem Legalem facit.

Quarto urget & ait: *Lex nullibi dicebat, ut si quis TE in unam maxillam percuteret, illi alteram obverteres.* Unde etiam Pharisæorum & Legisperitorum culpa non erat, quod non ita, cum Lex non diceret, eam interpretarentur, cum nunc, Christo dicente, eam vix capere possimus.

Verùm hæ rationes, licet speciosæ appareant, *solida* tamen *non sunt.* Nam quod *fundamenti* loco ponit Grotius & Maldonatus Christum per antiquos intellexisse eos, qui Mosis tempore vixerunt, & sic Mosaicos homines opponi Christianis, ponitur quidem sed non probatur. Sanè si de temporibus Mosis ejusque propositione esset sermo: tum non dixisset Salvator, audistis quod dictum est antiquis; sed, audistis quod dictum est à *Mose antiquis*, aut *legistis in Mose*: uti alias hac formula usus est *Math. 12. v. 3. & 5. & cap. 19. v. 4.*

Portò

*Porro per ipsos antiquos longè rectius intel-
liguntur Majores Judæorum, jam inde a Scriba-
rum temporibus & restituta Republica post
captivitatem Babylonicam existentes. Certe
id in confesso est, quod sederint post Esdram
& Malachiam Legis periti & Scribæ Legis in-
terpretes ac doctores : ab his autem glossas il-
las & lacinias, quas rejicit Christus, dimanasse
certissimum est. Ista ergò, à Majoribus ita
tradita, venditabant recentiores Scribæ &
Pharisæi pro valde antiquis; atque inde uri so-
lebant hac formula: dictum est antiquis, sive
traditum est à majoribus nostris.*

*Ad Confirmationem primam dicimus, uti-
que Christum non pepercisse nominibus Phari-
sæorum & Scribarum, sed illos expresse no-
minasse; dicit enim Salvator noster ad disci-
pulos: nisi abundaverit Justitia vestra præ
Pharisæorum & Scribarum, non potestis intra-
re in Regnum Cælorum. Supervacanea ergò
fuiſſet repetitio, cum in versu immediatè ante-
cedente tam disertè mentio horum facta fue-
rit. Adhac temeritas est præscribere verba Domi-
no & Magistro nostro, an nominatim debuerit
reprehendere falsarios Legis vel non. Addunt
alii non debuisse Scribarum & Pharisæorum ibi
ferri mentionem; quia non solum ab illis, sed
& ab antecessoribus eorum corruptelæ tales
legis jam insinuatæ fuerint populo Dei. Merito
itaque indefinitè hæc effert Dominus, quasi
dice-*

diceret: jam pridem ejusmodi verbis aures
vestræ & majorum personuere.

Secunda etiam falsa est, quod Pharisei non
potuerint dici antiqui; cum *Josephus antiquit.*
lib. 18. cap. 2. doceat, ipsos *extitisse jam inde à*
multis seculis. Sic *Jonathanis*, fratris *Judæ*
Maccabæi, *tempore* non tantum jam fuerunt,
sed etiam *emnuere* inter *Judæos*, ut idem
docet *Joseph. antiquit. libr. 15. cap. 8.* *Jona-*
than autem *vixit 200. annis ante Christum* do-
centem, meritò ergò à *Christo* antiqui fuere
vocati. Quin imò tres illæ *Judæorum sectæ,*
Pharisæi, Esseni, Sadducæi jam *Zacharia* *tem-*
pore fuerunt juxta doctissimos quosdam *Vi-*
ros, qui verba & minas de excindendis tri-
bus pastoribus *Zach. 11. v. 8.* interpretantur
de perdendis illis tribus sectis, quas *Christus*
primò oris gladiò, & post ore gladij sit per-
diturus.

Ad tertiam respondetur, *primo* committi
ignorationem elenchi; neque enim negamus,
verba etiam *Mosis* à *Pharisæis* adhibita fuisse;
sed hoc est in questione: an verba *Mosis* in sen-
su *Mosaico* vel *intellecta* fuerint vel *expofita*?
Secundò ipsa verba *Mosis* sæpe vel *truncata*
fuere, vel *mutata* à *Pharisæis*. Nam quod at-
tinet verba *Legis* de *divortio*, illa non tam
erant *Categorica*, quam *hypothetica*; neque
fuit *sensus Mosaicus*, dimittendam esse uxo-
rem; sed si quis illam dimiserit, tantum ei
libellum

libellum repudij. *Nec in eo propriè præceptum erat, sed mera permissio.* Ansam ergò dabat glossa Pharisaica divortijs temerariis, non Lex Mosis. Undè cum Pharisei dicunt *Matth. 19. v. 7. 8.* cur ergò Moses mandavit dare libellum divortij? respondet Dominus mutato sermone: Moses pro duritie cordis vestri non præcepit, sed *permisit* vobis dimittere uxores vestras. Ubi simul Christus revocat Phariseos ad originem & institutionem matrimonij, à principio non fuisse sic, quæ origo utique traditur ab ipso Mose. Nulla itaque vel legis vel præcepti hic solutio, vel revocatio, vel correctio, sed *proscriptio* duntaxat *abusus*, tolerati ad tempus à Legislatore in gratiam populi crassi & duræ cervicis. *Nec permissio* illa fuit *pleni juris*, ut alias loquitur Grotius, *sed semi-pleni*, imò potius tantum *non impeditio facti*. Unde nec sine reatu erat in FORO Conscientiæ, etsi fuerit sine pœna in foro civili.

Denique rectè notat *Augustinus lib. 19. cap. 16. contra Faustum*: DEUM non dixisse, qui voluerit, dimittat uxorem, sed jussisse libellum repudij dari; ut, hac interposita mora, animus in dissidium præcepti libelli conscriptione refractus absteret; &, quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret; & à prudentibus Scribis, quibus solis illas repudii literas exarare fas

H

erat,

erat, ad bonam mentem revocaretur, & uxori suæ reconciliaretur.

Ad quartam dicimus, malam committi interpretationem verborum Christi, quæ non juxta externum corticem & literaliter sunt accipienda, quod revera obvertenda esset altera maxilla; cum nec Paulus nec Christus id observarint percussi: sed intelligenda sunt *negative* de non resistendo, non vindicando resistantia privata inordinata, ex vindictæ affectu. Aut, ut alii malunt loqui, intelligenda est illa propositio *metaphoricè* de altera potius perferenda injuria, quam priori ulciscenda. Quasi dixisset Salvator: noli tuas injurias ipse vindicare, ut rursus alterum ferias: quin potius ad eò non decet esse vindictæ privatæ studiosum, ut paratus sis potius novam injuriam accipere, quam veterem vindicare.

Observ. IX, ad Thef. 7. n. 5.

Quomodo Lex dicatur durasse usque ad Johannem Matth. 11. v. 13. i. e. an ab illo inceperit doctrina perfectior, & quæ ratione Evangelii principium à Johanne ducatur. Marc. 1. v. 1. Luc. 1.

v. 77?

HOc punctum summi est momenti, & ad varia intelligenda pertinet, quæ in opere Grotiano leguntur. Tractandum verò est à no-

à nobis eo diligentius, quia ex Commentatoribus in *Grotium* nemo est, qui illud tetigerit.

Quod vero *primum attinet*, quomodo lex durasse dicatur usque ad Johannem; & an ab illo inceperit doctrina perfectior: sciendum est, *sensum* horum verborum vel posse esse hunc: *Legem seu V. T. æconomiam Legalem durasse usque ad Johannem, & ab illo incepisse N. T. æconomiam, per prædicationem Evangelij clariorem*; & tum sensus esset legitimus, quanquam infra etiam dicturi simus, quando proprie desierit V. T. & quando exordium fuerit N. T.

Vel potest esse sensus hic: Per Johannem planè aliam & novam doctrinam quoad substantiam esse prolatam, ut alias Sociniani, cum quibus sæpè facit *Grotius*, tradunt. Nempe inquirunt, sub lege seu V. Test. nullam sonuisse promissionem Evangelicam, neque vitæ æternæ spem dilucidam fuisse ostensam. Unde N. Test. prius illud longè superasse tum nova doctrina, tum dignitate, tum præceptorum sanctimonia à Christo lata, denique pollicitatione vitæ æternæ; atque adèd illam promissionem longè efficacius ducere ad cultum DEI. *Catechismi Racoviensis* verba sunt: nusquam in Lege Mosis reperies, vel vitam æternam, aut donum Spiritus S. obedientibus præceptis legis promissum; quemadmodum in lege per Christum data reperies. Un-

H 2

de

de *Volkelius lib. 4. c. 3. ait*, maxime differre fidem nostram à fide veterum sub lege; quod hodie tam in Christum quam in DEUM credere jubeamur, olim verò nequaquam talem existisse fidem; quod vel ex eo pateat, quia Christus tum temporis nequaquam extiterit. *Arminiani*, quorum partes *Grotius* tenuit aperte in *Apocal. cap. 7.* quæstionem de fide in JESUM CHRISTUM, an & quomodo illa sub V. Test. locum habuerit, vocant inconcinnam, ambiguum & inutilem, & certum esse, locum nullum esse, unde appareat fidem in *Christum* in V. Test. præceptam fuisse aut viguisse. Quo ipso ostendunt, se docere quod nova & perfectior doctrina per Evangelium tempore *Jcannis & Christi* fuerit introducta.

Verum hæc sententia *falsa omnino est.*

Nam primo in V. T. idem fuit fœdus *Gratie quoad rem & substantiam*, quod est in N. T.; nam Scriptura aperte asserit, quod pactum, quod Deus cum Abrahamo iniit, idem sit cum pacto N. Test. Undè *Zacharias* in cantico suo *Luc. 1. v. 68. 70. 72. 73.* ait, DEUM visitasse & redemisse populum suum juxta id, quod promiserit per os Prophetarum, ad recordandum sancti fœderis juxta jusjurandum, factum Abrahamo. Hinc *Paulus* fœdus istud Evangelicum appellat *Gal. 3. v. 8:* prævidens Scriptura, quod ex fide justificat Gentes Deus, præevangelizavit Abrahamo, dicens: in se-

mine

mine tuo benedicentur omnes Gentes. Eadem ergò quoad substantiam fuit doctrina in V. & N. Test. quanquam *Oeconomia* fuerit *diversa*; in V. scil. Testamento fuit *Legalis*, quæ tempore N. T. cessare debuit.

Secundo idem planè Medium SALUTIS Patres habuere, quam nos sub Evangelio seu in N. T. : quomodo ergò doctrina in N. Test. potest esse perfectior, quam in V; nam utrobique medium salutis dicitur esse *fides*. Hinc de Abrahami fide dicitur, quod fuerit ad justitiam imputata *Gen. 15. v. 6.* quæ ipsa nobis etiam in exemplum proponitur *Rom. 4. v. 11. Gal. 3. v. 6. 7.* & veterum fides celebratur *Heb. 11.* Huc etiam spectat, quod *Hab. 2. v. 4.* dicitur, justum ex fide vivere. Nec excipi potest, *fidem veterum esse generalem in Deum, non specialem in Christum Servatorem.* Nam primo fides nulla potest esse salutaris, nisi nitatur Christo. *Secundo* de ea fide agitur, qua Deum respexere ut Deum suum *Heb. 11. v. 16.* & cælum ut patriam; at hoc non potest fieri sine Christo. *Tertio* de fide, qua Christum ipsum spectarunt, & opprobrium ejus omnibus thesauris prætulere *Heb. 11. v. 16.* *Quarto* si non esset eadem fides Veterum cum nostræ tum malè nobis ut imitanda proponeretur *Heb. 12. v. 1. 2. Rom. 4. v. 12.* *Quinto* mandatum fidei in Christum non modo generale, sed etiam speciale habetur in Vet. T. *Exod. 23.*

fuerit Evangelii, utique novam ejus fuisse doctrinam.

Secundo apud *Jerem. cap. 31. v. 31.* Deum promittere novum fœdus in N. T. quod sit oppositum Legi V. T. Verba enim satis clara esse: Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua eduxi eos ex Ægypto, pactum quod irritum fecere &c. Perfectius ergo fœdus esse N. T. quam Veteris, atque adeo etiam perfectiorem doctrinam fœderalem.

Tertio Paulum *2. Tim. 1. v. 10.* dicere Christum vitam & immortalitatem per Evangelium produxisse in lucem: Evangelium ergo N. T. esse doctrinam planè novam & perfectiorem quàm V. T. quia vita & immortalitas cum temporis nondum fuerint producta in lucem.

Quarto Apostolum *Hebr. 7. v. 19.* fateri, Legem nihil consummasse ob imperfectionem videlicet suam: consummationem ergo esse ex Evangelio; atque inde esse, quod dicatur legem durasse usque ad Joahanem, *Matth. 11. v. 13.*

Sed respondetur ad primum quidem, aliud esse principium Evangelii, in quantum notat historiam Evangelicam de ministerio Johannis Baptistæ & Christi nativitate &c. quo sensu Marcus Evangelista loquitur de eo: aliud esse princi-

principium doctrinæ de gratia Dei in Christo, quo sensu non demum cœpit in N. T. sed in Veteri à Mose & Prophetis declaratum est, ut ibidem *Marc. v. 2. 3.* ex testimoniis propheti-
cis *Es. 40. v. 3. Mal. 3. v. 1.* declarat & con-
firmat.

Ad secundum dicimus, aliud esse fœdus Gratia renovari, & modo quodam illustriori proponi: aliud de novo illud fieri, cum antea non esset. Prius dicitur *Jer. 31:* non posterius. Clausula enim fœderis eadem jam posita fuit in fœdere Abrahamitico; nec insolitum est Scripturæ S. dicere, rem aliquam fieri, quan-
do clarius & efficacius manifestatur; quomo-
do mandatum dilectionis dicitur novum *Job. 13. v. 34.* non absolutè, quia jam propositum fuit in Lege, sed *secundum quid.*

Ad tertium responderetur, quamvis Chri-
stus vitam & immortalitatem per Evangelium produxerit in lucem *2. Tim. 1. v. 10:* non ta-
men sequitur, quod non cognita fuerit ABSO-
LUTÈ in V. Test. sed saltem *non inter gentes;*
unde statim addit, se præconem institutum fuisse inter Gentes. Porro non agitur pro-
priè in illo loco de vitæ æternæ præmissione, sed de illius *procuratore* per meritum Christi actuale, quod fuit proprium N. Test.

Ad quartum dicitur, Legem utique *nihil consummasse*, si videlicet strictè accipiatur, & oppositè ad Evangelium; quia lex moralis nec

potuit justificare, nec sanctificare, cum fuerit infirmata per carnem; multo vero minus Ceremonialis.

Observ. X. ad Thef. 8. n. 1.

An Conversio Generalis Judæorum adhuc sit expectanda?

Grotius in responsione ad locum *Es. 11. v. 4.* ait, ejus implementum cum conversione Judæorum generali adhuc expectandam esse.

Celebris hæc & olim & hodie, inprimis fervente lite inter Pietistas & Antipietistas, est controversia, ubi Pietistarum meliorum Antesignanus *Celeb. Dn. Spener* haud dubie in affirmativam sententiam inclinat, dum per integros tractatus MELIORUM temporum spem ante adventum ultimum supremi Judicis defendit. Ubi bonitas sive melioratio temporum inprimis in eo consistere dicitur, quod & Christianismus amplior & diffusior sit futurus; Judæi & Gentiles magno numero fidem sint amplexuri; & virtutes illæ Christianorum, fides, spes & charitas, longè sincerius & verius quàm in præsentiarum sint fulsuræ.

Uterius processit *D. Petersen*, qui Chiliasmum aperte professus est, non uno scripto.

Nos quid tum de conversione Judæorum, tum de illo Chiliasmo, licet subtiliore, tenendum sit, productis utriusque partis argumentis, breviter hoc loco dicemus.

Pro

Pro Grotio verò stat, non saltem magnus Patrum numerus, præcipue verò Origenes, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus; sed & ex Pontificiis Thomas Aquinas, Cajetanus, Soto & alii; & ex Reformatis maximè Coccejus cum affectis. Sed maximè illi favere videtur locus Rom. 11. v. 25. & seqq. ubi Paulus ait: mysterium vobis dico, cæcitas ex parte contigit Israeli, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fiet.

Unde variæ petuntur rationes.

Nam primo Apostoli institutum fuit, *Judeos peculiari elogio ornare, quod fuerint bona oliva, & simul consolatione erigere, quod ipsorum salus non sit desperanda; eò quod non sint simpliciter rejecti, sed potius, quod per specialem gratiam sint adhuc convertendi. Unde monere vult Paulus Romanos fideles, ne insolescant, aut Judæos contemnant, quorum Deus adhuc velit misereri, post introitum scil. Gentium, circa finem mundi.*

Secundo Paulus ait se mysterium loqui, adeo quæ de re loquitur futura. Nam Apostolus Prophetam sibi agit, tum quid Deus circa introitum gentium & plenitudinem earum definiverit; tum quid circa Judæos decreverit, hinc etiam illa loca, quæ citantur ex Es. 59. v. 20. mere prophetica sunt. Undè frustra videtur eorum exceptio, qui statuunt, per Israellem, cum Paulus ait: omnis Israel salvus erit,

erit, *intelligendum esse Israelem spirituales*. Nam in hoc nullum erat mysterium, nec quicumquam fidei eum eo tempore dubitare poterat, quod Israel spiritualis, h. e. credentes salventur. Mysterium ergo hoc fuit de re arcana, ignota fidelibus, & de re aliquando futura; respicit enim illud mysterium tempus post introitum gentium, quod tunc temporis nondum erat completum, sed inchoatum.

Tertio Judæi eo tempore conversi paucissimi erant, & vix reliquæ dicendi comparatione totius populi Israelitici increduli: at Paulus hic non agit de reliquiarum conversione, sed plenitudine, h. e. populi totius Israelitici.

Quarto ex antiquissimis populis v. gr. Romanis, Græcis &c. soli Judæi perstant adhuc ab aliis omnibus victu & religione *separati*; licet tam varios casus, dispersiones, captivitates, & mala omnia, quæ populum aliquem premere possunt, perpessi fuerint; magno sane argumento, quod à Deo, tanti operis auctor, ad futuram salutem conserventur.

Pro opposita sententia stat

Primo, quod, admissa sententia proposita, sequeretur, Ecclesiam circa finem mundi ex SOLIS Judæis fore constitutam; dicitur enim, quod ea conversio Judæorum sit futura, postquam plenitudo gentium intraverit. At quis hoc diceret? Sane nullibi in Scriptura S. legitur, quod temporibus N. Test. Deus rejicere

cere

cere velit aliquando gentiles, & solos Judæos rursus adoptare.

Secundo, stante hac sententia, sequeretur, quod *vaticinia Christi sint nulla, aut ad minimum Paulo contraria*; nam *Salvator Luc. 14. v. 8. & Matth. 8. v. 12.* tanquam Propheta magnus vaticinatur, quod raram inventurus sit tempore ultimi sui adventus fidem. At si totus Israel, seu omnes Judæi convertentur in extrema mundi ætate: non rara sed amplissima erit fides in mundo, & major, quam tempore Apostolorum.

Tertio aut Conversio illa universalis Judæorum erit ordinaria per media videlicet ordinaria, nempe per prædicationem verbi: aut extraordinaria, & sine verbo. Si ordinari: assignetur ratio, cur jam non convertantur Judæi inter Christianos viventes, & verbum Dei inviris auribus sæpè audientes. Si extraordinaria, & sine verbo: nihil in Scriptura S. de extraordinaria tali conversione legitur. Immediate ergò DEUS corda Judæorum verteret & converteret? quod nihil aliud est, quam Enthufiasmum in Ecclesiam invehere.

Nos in isto sententiarum divortio existimamus.

Primo nemini insultandum esse, sive affirmativam sive negativam tueatur sententiam; non tantum quia hoc punctum ad articulos fidei non pertinet; sed etiam quia utraque sententia

tentia argumentis suis ex Scriptura S. non destituitur.

Secundo negari non potest in negotio conversionis mysteria esse & profunditates, unde Paulus ipse in fine *capitis II. ad Rom.* exclamat: *ô altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & impervestigabiles viæ ejus! Temerarius ergò est, qui has vias se investigasse jactat.*

Tertio existimamus, *posteriolem sententiam rationes habere probabiliores* quàm primam; licet *Dn. D. Osiand.* utramque in diversis libris defendat, affirmativam in systemate Theolog., negativam verò in prælectionibus Academ.

Observ. XI. ad Thes. 8.

*An N. Test. convenienter appelletur
fœdus Novum?*

Solet *Grotius* non in hac saltem thesi, sed etiam in aliis pluribus locis, N. Test. appellare fœdus Novum, & V. Test. appellare fœdus Vetus. Sic & *Pufendorf* in *tr. de jure Dei feciali* p. 166. & *seqq.* multis probare contendit, *melius & accuratius dici fœdus quam Testamentum*; neque enim hoc vocabulum ullibi haberi, quam *Hebr. 9. 2. 16. 17. 18.* quantum & ibi improprie sumatur,

Ratio-

Rationes Pufendorſij ſunt: Primo quia multa in voce teſtamenti habeantur & contineantur, quæ in id vinculum, quod DEUS cum hominibus inierit, cadere nequeant. Nam *teſtamentum eſſe æctum μονόπλευρον*, ſeu ad condendum teſtamentum unius voluntatem ſufficere; *ſædus* verò omne eſſe διπλευρον, ſeu duarum voluntatum concurſum requiri, qualis ſit in ſædere inter DEUM & hominem.

Secundo in teſtamento bonum, circa quod diſponitur, tunc demum in alterum *transit*, quando teſtatoris dominium per mortem *expiravit*. At non poteſt dici, quod unquam dominium DEI in bona ſua expiraverit, aut expirare potuerit; quin impoſſibile eſt, ut DEUS à ſe abdicare poſſit dominium in res aut bona ſua.

Tertio ſi quis Teſtamentum repudiet, & non adeat, Teſtatori injuriam non fieri, atque impunè id habere: at hominem impunè non habere, ſi illud repudiet, quod in tabulis S. V. ſ. N. ſæderis, quod alias teſtamentum appellatur, contineatur.

Quarto in antiquo, quod ita vocetur, teſtamento *teſtatore mortuum non eſſe*; nam quæ mors ibi interceſſerit, non teſtatoris fuiſſe, ſed taurorum & hircorum, quæ veluti victimæ firmando ſæderi acceſſerint.

Rationes pro oppoſita ſententia ſunt: primo Quia ſacra Scriptura in expoſitione hujus rei
ſuſcipit

utitur voce διαθήκης, qua notat apud Scriptores etiam profanos dispositionem testamentariam, prout hoc exponit doctissimus *Henricus Stephanus*, item *Budaus* & alii, ubi contra συνθήκη notat pactum & fœdus. Si itaque fœdus præcisè & in oppositione ad testamentum notare voluisset Spiritus S: procul dubio vocem συνθήκη, non διαθήκη, adhibuisset.

Secundo Paulus Hebr. 9. v. 16. 17. 18. in terminis formalibus actum hunc describit ut *Testamentum*; nam meminit testatoris, deinceps testamenti ipsius, tertio quod hoc testamentum sit confirmatum morte testatoris, quarto etiam hæreditatem designat; at ubi talia sunt, ibi veri nominis testamentum est.

Tertio stante sententia *Pufendorffii* sequetur, quod duplex sit fœdus gratiæ; alterum quod vocetur verus, quodque antiquatum sit; alterum novum, temporibus Apostolicis sancitum. At hoc est absolum; unum enim tantum est fœdus, quod sub duplici testamento duplicem saltem habuit œconomiam; quum agnoscat ipse *Pufendorf*, quod fœdus gratiæ in Paradiso fuerit promulgatum *Gen 3. v. 15.* quod in substantia nihil aliud sit quam fœdus Evangelicum, in quo & per quod omnes fideles etiam hodie salventur.

Quarto in hoc stat discrimen inter fœdus Legale & fœdus Evangelicum; quod illud tantum habuit rationem fœderis, cujus conditio

ditio erat adimpletio perfecta legis. Unde Adamus in statu integro nondum habuit jus quæsitum ad bonum illud æternum, vitæ scilicet & felicitatis cœlestis possessionem; sed quæri debuit per opera. At verò *in fœdere Evangelico homo jam habet jus quæsitum ad salutem æternam*; quia non est fœdus tantum, sed fœdus testamentarium, seu Testamentum fœderale, ubi hæredes sunt scripti fideles, tanquam filii Dei. Unde Paulus *Rom. 8. v. 17.* ait, si filii sumus, ergo & hæredes.

Ad rationes itaque Pufendorfij respondetur, ad primam quidem, utriusque fœdus Evangelicum esse μονόπλευρον non δίπλευρον; hoc ipso quia est fœdus testamentarium.

Quamquam enim ex ea ratione possit vocari δίπλευρον; quia adsunt duo extrema, Deus videlicet & homo: verum quia ex parte hominis non requiritur aliquod præstandum, tanquam conditio fœderis; sed requiritur tantum acceptatio gratiæ oblatæ per fidem, quæ non est conditio impletiva pacti, sed tantum instrumentum passivum, recipiens gratiam oblatam: ideoque fœdus hoc accurate loquendo μονόπλευρον potius, quam δίπλευρον dici debet.

Ad secundam dicitur, hoc esse imperfectionis in testamentis humanis, quod bona transeant in hæredes tunc, cum dominium testatoris in ea per mortem expiravit: At hæc imperfe-

Secundo in Testamento *divino* non est, ubi testator dicitur mortuus ab origine mundi, *Apoc. 13. v. 8.* licet demum post 4000. annorum fuerit occisus; sicque *mors ejus ob valorem infinitum profuit, antequàm fuit.* Ubi porro tam non potuit expirare per mortem dominium testatoris in bona, ut potius ipsemet, clarè visus in æternitate, sit bonum illud principale, ut Jobus agnoscit, *loco citato. 19. v. 25. 26. 27.*

Ad tertiam respondetur, per illam tantum probari, testamentum divinum non esse mere testamentum, sed etiam fœdus, cujus violatio jure punitur. Porro id tantum exin sequitur, quod non sit testamentum *humanum*, cujus contemtus à testatore idè vindicari non potest, quia diem obijt suum: at hic testator divinus semper vivit. Denique diversa omninò ratio est in bonis temporalibus & in æternis; illa fastidire, sæpè est actus generosi animi; hac verò respicere, est summa impietatis.

Ad quartam dicimus, falsum supponi, quasi testator divinus non in *V. quoque Testamento mortuus fuerit.* Contrarium patet ex loco antea citato *Apoc. 13. v. 8.* Ubi agnus, Christus, dicitur occisus ab origine mundi, non quidem *IN SE*, intentionaliter tamen in decreto divino; deinde *objective* in promissionibus verbi; tertio *efficaciter* in fide patrum; quarto *typicè* in sacrificiis, quæ non habuissent vim firmandi fœdus Evangelicum, nisi
Typi

Typi fuissent mortis Christi. *Mors Christi enim sicut à parte post efficaciam suam habet infinitam, licet testator vivat; ita etiam RATIO suam vim habuit infinitam.*

SUMMA CAPITIS SECUNDI.

An bellare unquam sit justum?

I.

Bellum absolutè non esse injustum probant PRIMA NATURÆ, seu stimuli illi à natura nobis insiti ad nostri conservationem. Nam ut rectè Cicero *libr. 4. de fin. dixit: Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut & salva sit, & in genere conservetur suo.* Ex quo ipso studio se conservandi nascitur studium tuendi se adversus vim illatam.

II. Neque jus naturæ bello repugnat; non enim vel naturæ rationali, vel etiam societati adversum est, *vim vi repellere.* Rectè Cælius Iulianus: *Adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere.*

III. Ostendunt hoc etiam exempla in historia Sacra. Nam Abrahamus, Moses, Josue &c. Viri Deo dilectissimi bella gesserunt, de quibus absolum est dicere, quod adversus Jus Naturæ egerint; cum Deus ipse leges & modum bellandi præscriperet. Auctor

I 2

autem

autem Naturæ nihil agit contra Leges naturæ à se fixas.

IV. Accedit populorum omnium & sapientum consensus. Imò jus Gentium adeo ipsi adversum non est, ut etiam certam formam præscripserit, ex qua deinceps certi effectus juris profluunt.

V. Neque jus divinum positivum, seu voluntarium bellum prohibet. Quanquam enim Gen. 9. v. 5. 6. prohibitum sit homicidium: ea tamen prohibitio respicit tantum cædem innocentis, non invasoris, ac Lex illa non ad Leges Dei positivas, sed ad naturalem pertinet,

VI. In novo Testamento, bellum quoque non est prohibitum. Quod ostenditur ex Paulo 1. Tim. 2. v. 1. 2. 3. add. Rom. 13. 4. ubi Reges dicuntur Dei ministri, qui præstent subditis vitam tranquillam, & qui gestent gladium vindicem.

Secundo Johannes Baptista non præcepit militibus, ut militiâ tanquam re illicita abstinere, sed tantum iussit stipendio contentos vivere.

Tertio Cornelius Centurio, pius & Spiritus S. particeps, non mutavit militiam.

Quarto nec Sergius conversus deseruit militiam.

Quinto Paulus, stipatus Tribuno & militibus per viam ob insidias structas, non dixit

dixit militibus vel Tribuno, ut Deo displicentem statum, videlicet militiam, exuerent.

VI. Si cives non possent armis defendi à Magistratu contra latrones, aut alios hostes: tum sequeretur licentia & diluvium malorum.

Nota. Quæ de Lege Evangelica habet Grotius, in observationibus discussa sunt. Evangelium strictè loquendo monstrat VIAM ad salutem non per *Legem* aliquam; sed per eum, qui *Legem* pro nobis implevit, hoc est, *Christum*, qui proin *finis* Legis dicitur.

Nota 2. Summa hujus capitis secundi jure præmitti debuisset: sed error est, qui ob absentiam Auctoris irrepfit.

SUMMA CAPITIS TERTII.

De Belli divisionibus, & summo imperio.

I. **B**ellum dividitur in *publicum*, *privatum* & *mixtum*. *Privatum* antiquius est publico; & est illud, quod geritur autoritate privata sine interventu potestatis publicæ.

II. Licitum est bellum privatum, non constitutis aut cessantibus judiciis: quæ cessatio intelligi potest vel momentaneè vel continuè.

III. Quæ Grotius in §. 3. de Jure divino perfectiore Evangelico habet, incongrua sunt; Evangelium nihil disponit circa bellum.

IV. Bellum *publicum* aliud *soleenne* est, aliud *minus soleenne*. *Soleenne* est, quod geritur ab eo, qui summam habet potestatem, in quo certi quidam observantur ritus:

Minus solenne est, cui illa duo requisita desunt.

V. *Magistratus minor non habet jus movendi arma, sine præscitu & consensu supremi Magistratus; nisi periculum præsens moram non ferat.*

VI. *Supremus Magistratus dicitur is, qui habet potestatem & facultatem summam civitatem gubernandi; adeoque qui in arbitrio suo habet pacem, bellum, sædeta, leges, pœnas, quin & curam sacrorum.*

VII. *Subiectum hujus potestatis aliud est commune, aliud proprium. Subiectum commune est Populus, seu civitas, sumpta voce civitatis, ut est cœtus quispiam perfectus hominum in societate & cõmunione stantium. Subiectum proprium est Persona, in qua residet ea potestas; quæ in statu Monarchico est una numero, in Aristocratico plures, quanquam se moraliter habeant ut una.*

VIII. *Origo istius potestatis non est ab hominibus, sed à DEO; ut proin seditiosa sit ea sententia, quæ asserit summam potestatem in universum & sine exceptione esse populi, seu residere in populo; ita ut quoties Rex vel Princeps Imperio malè uratur, toties populo licitum sit, ipsum coërcere ac punire.*

IX. *Interim certum est, potestatem hanc non uniformiter reperiri apud Reges & Principes. Sic Spartani Reges titulum habebant,*

non

non potestatem, seu rem ipsam: contra Dictatores Romani potestatem habebant, non viculum.

X. Porro alii habent Imperia & regna in pleno patrimonio, ut v. gr. de presenti Turcarum Imperator & Rex Galliarum: alii saltem in usu fructu, ut Reges Poloniae, Angliae &c.

XI. Ex quibus deinceps modis decidi debet, *an Rex regnum vel partem ejus alienare possit.* Nam qui usufructuarius tantum est, ab alienare valide nihil potest.

XII. Interim notandum, quandoque Reges non velle acta sua rata & valida, nisi à Senatu vel Parlamento firmentur, quod in Gallia olim imprimis in praxi fuit. Id quod non notat, quasi pars aliqua Imperii penes Senatum sit; sed Rex tantum cavere vult, ne aliquid fallaciter impetretur.

XIII. *An detur mixtum genus Reipublicae, hoc est, ex Monarchia & Aristocratia constans, apud Doctores magnis animis controversatur.* Nobis affirmativa certa videtur.

XIV. Sic & illa quaestio nobilis est, *an is summum Imperium habere possit, qui in equali foedere tenentur?* ubi etiam affirmativa probabilior est.

XV. Secus se res habet in nexu feudali.

OBSERVATIO I. ad Cap. III.

*ad Thes. l. n. 1.**An rectè bellum publicum definiatur, quod geratur ab eo, qui jurisdictionem habet?***D**isputant circa hanc definitionem varii Authores & Annotatores in Grotium.

Nam *Feldenus*, *Zieglerus*, *Bœclerus*, & *D. Osiander* existimant illam definitionem *incommodam* esse ex variis titulis. Etenim *primo* Magistratum inferiorem etiam habere Jurisdictionem, neque tamen posse gerere bellum publicum.

Secundo ait *Bœclerus*, summam potestatem etiam in illos gerere bellum, in quos non habeat Jurisdictionem.

Tertio ait *Tesmarius*, Jurisdictionem apud Jurisconsultos nihil aliud esse, quam potestatem de privatis civilibusque rebus statuendi jure Magistratus: bellum itaque publicum supra sphaeram esse Jurisdictionis.

Unde denique *Bœclerus* p. 189. hanc substituit definitionem, quod bellum publicum sit, quod gerit ille, qui summam habet potestatem, idque vel per se, vel per alios, ut Magistratus praefectosque.

Nos existimamus totum negotium *facile decidi posse*, si dicatur vocem Jurisdictionis dupli-

dupliciter accipi posse, *vel in sensu* rigoroso & *Juridico*, & sic definitio Grotiana non procedit; *Vel* potest accipi in sensu *laxiore* pro summa potestate; quo sensu à Bœcleriana definitione non differt. Tota ergò *lis hac* merè est *de voce*.

Observ. II. ad eand. Thes., I. n. I.

An detur bellum mixtum ex publico & privato?

Negat hoc Zieglerus & Dn. Osiander, *primo* quia bellum proprie sic dictum debeat esse ex utraque parte publicum.

Secundo quia bellum ex altera parte privatum non tam bellum sit, quàm seditio & rebellio, aut latrocinium.

Tertio quia exercitus, citra potestatem publicam collectus, exercitus revera non sit, sed colluvies hominum seditiosorum.

Verum hæ rationes speciosæ magis, quàm solidæ sunt.

Nam *primo* quis negaret bellum fuisse, cum *Pompejus* tempore *Mithridatis* contra *piratas* terra marique arma movit, eosque tandem in ordinem redegit.

Secundo de *Julio Casare* constat, quod privatus bellum gesserit contra *Gallos*: sic & *Crassus* nullo senatus Romani jussu, sed avaritia stimulante, arma privata movit contra *Parthos*.

I s

Tertio

Tertio Parentum nostrorum memoria *Carolus V.* Imperator bellum gessit *contra Ariadenum Barbarossam* piratam; neque ullus est Historicorum, qui hæc ipsa bella memorata non appellet bella.

Denique licet talia bella ex altera parte, qua videlicet privata sunt, & autoritate publica non geruntur, injusta sint: exinde tamen non est consequens, quod belli nomen non habeant; est enim bellum etiam in sententia opposita nihil aliud, quàm dissidium armatum duorum exercituum.

Observ. III. ad eand. Thef. 1. n. 2.

An Judicia publica non sint à natura, sed à factò tantum humano?

Nobile est hoc punctum & merito excutendum. Censet autem *Grotius* judicia publica non esse à natura, sed a factò humano.

Impugnant eum *Zieglerus*, *Joh. à Felde*, *Dn. Osiander*, *Bœclerus*; quin & *Dn. Kulpisius*, defensor aliàs *Grotii* magnus, in hoc ab ipso abiit.

Obrechtus censet mitigandam esse sententiam *Grotii* hoc sensu, quod judicia publica non sint juris naturalis propriè, sed tamen *reductivè*; huncque esse sensum *Authoris*, aut explicari posse ita, quod judicia publica non sint à jure naturæ solo, sed etiam à factò humano.

Tesmarinus distinguit, & dicit, judicia publi-

ca

ca esse originaliter à DEO, mediata autem & consequenter à facto humano, in eamque rem laudat Plinium 1. qui in Paneg. ad Trajanum ait: mundi parens te dedit, qui erga omne genus humanum vice sua fungereris.

Nos videbimus primo rationes *Ziegleri, Osiandri, Bœcleri*, &c. deinde etiam *Grotio* aliquid dicemus.

Primo autem inquit *Ziegler*, DEUM ante omne factum humanum adhuc in Paradiso ejusmodi iudicium instituisse *Gen. 3. v. 9. 11. 16.*

Secundo Deut. 1. v. 17. 2. Paral. cap. 19. v. 6. dici, iudicium esse DEI ipsius originaliter, authoritative & principaliter.

Tertio Bœcler ex *Osiandro* ait, in quarto præcepto iudicia publica constitui, utpote in quo omnia summi Imperij jura sunt fundata; sic & in octavo præcepto falsum testimonium prohiberi, & consequenter cognitionem iudiciale[m] tanquam divinitus ortam stabiliri.

Denique, in jure Naturæ fundata esse iudicia publica, exinde constare; quia sicut Imperium sit à natura, ita etiam iudicia publica. Item sicut societas, ejusque appetitus sit à natura; ita etiam iudicia publica, cum per illa conservetur.

Hinc existimamus iudicia publica dupliciter spectari posse; vel quoad substantiam, seu secundum SE, vel quoad modum, seu formam externam. Priori modo si considerentur: utique

utique *divina sunt originis*; idque rectè probant argumenta antea prolata, neque dissentire videtur Grotius. Nam ipse quoque asserit potestatem supremam, cujus judicia publica pars aliqua potentialis, seu, ut alii loquuntur, annexum sunt, juris esse divini. At si considerentur *ratione modi & formæ externæ, à facto sunt humano*. Quis enim diceret ex gr. Dicasterium Tubingense ratione formæ suæ externæ, ut quod tot præcisè sunt Assessores, non plures, quodque ab eo non datur inquilinis provocatio &c. hoc juris esse Divini aut naturæ. Et sic de aliis. Interim hoc punctum plenius elucidabitur infra, cum de origine Majestatis dicemus.

Observ. IV. ad Thes. 3.

An Deus in Evangelio præcipiat, ut in periculum vite adducti debeamus potius occidi, quam occidere?

Hoc punctum tractat proluxe Pufendorf *libr. 2. cap. 5. §. 14. Dn. Kulpisus* statum quæstionis geminum facit hoc modo: Si videam, me non posse effugere, nisi interficiatur aggressor; metuam verò ne ille damnationem æternam incurrat: an salvo Jure Naturali ipsum interficere queam, quæritur, & affirmo. An autem charitas Christiana ad quid amplius nos hic obstringat, jam non definio.

finio. *Hac Kulpis*: Quæstio itaque prima est de Jure Naturæ, quid vi illius facere queam; altera quid juxta principia Christianæ charitatis.

Laudatus *Pufendorf* existimat, nec per Jus Naturæ, nec per charitatem Christianam nos obligari, ut patiamur ab aggressore nos occidi sine defensione.

Rationes ejus sunt: Primo quia non sit probabile, me magis sollicitum esse debere de anima alterius, quam alter iste de sua est. Si ergo iste neglecta animæ suæ cura vitam meam impetat: cur ego preciosissimæ rei meæ, ejusque irreparabilis, dispendio istius animam redimam. Secundo Jure ejus periculi non haberi rationem, in quod quis non tantum suo se culpa conjicit: sed & ex quo se liberare potest, quando vult; potest autem maximè in præfenti casu, si videlicet petulanter me oppugnare desistat. Tertio non constare, an talis aggressor damnationem sit evasurus, si vel maximè jam occisus non fuerit. Quarto sententiam oppositam majorem tribuere favorem sceleris & impietati, quam pietati; sic enim latrones & aggressores temerarij inviolabiles redderentur; contra pii homines in perpetuo viverent metu mortis, dum nefariis homicidis cogerentur jugulum præbere, ne, dum resistunt, ipsi in periculum æternæ damnationis incurrant. Denique eum, qui invaditur, non
ita

ita semper esse paratum, ut non spatio aliquo opus sibi putet componendæ animæ, & subducendis vitæ rationibus, seu ut sarcinas colligat ante, quàm proficiscatur è vita, ut loquitur Varro de Re rust. L. 1. c. 1.

Verum enim verò *pro opposita sententia non minus validæ videntur militare rationes.*

Nam *primo* qui cum aggressore congreditur, & per ipsius necem vitam suam salvare intendit, non potest non in ardore pugnæ effervesce, & ex ira stimulos accipere. At qui *iratus*, seu qui irato animo *ex hac vita discedit*, in summo versatur animæ periculo; ira enim & fides salvifica & charitas, quæ indivulso nexu cum fide conjuncta est, simul non stant. Qui ergò hac ratione temporalem vitam salvare intenderet, amitteret æternam, si in conflictu occumberet.

Secundo regula generalis in christiana moralitate est, quod id, quod tutius & à peccandi periculo remotius est, in negotiis animam nostram concernentibus, sit sequendum. At *tutius* longè est, in tali casu *pati*, quam *agere*; patièdo enim innocenter nemo peccat, at vero agendo.

Tertio non legitur, quod *Abel*, à fratre *Caino* impugnatus, sese defendere voluerit etiam cum periculo vitæ *Caini*, sed quod *passivè se habuerit*. At is ipse *Abel* in catalogo legitur fidelium, & hæredum vitæ æternæ. *Heb. 11. v. 4.*

Quarto

Quarto nec cum Justitia, multo minus cum charitate Christiana conveniens est, ut *minus malum nostrum*, temporalis scil. vita, malo *aeterno & irreparabili depellatur*.

Denique nulla virtus in Scripturis magis commendatur quàm *patientia Rom. 2. v. 7. cap. 8. v. 19. 25. 1. Cor. 6. v. 7. Jac. 1. v. 3. Hebr. 6. v. 12.* & Augustinus ait: paratus debet esse homo justus & pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut potius numerus crescat bonorum, non ut pari malitia se quis numero addat malorum.

Et sanè in FORO THEOLOGICO hæc *posterior* sententia videtur *probabilior & melior*; quia *tutior*, *quanquam* etiam in *personis* possit esse *discrimen*. Aliud enim est, si Persona Ecclesiastica aggressorem occidat; aliud si Laicus. *De Persona Ecclesiastica* seu Clerico extat *decretum* Pontificis Romani *Nicolai apud Gratianum dist. 50.* his verbis: De his Clericis, pro quibus consulisti, scilicet qui se defendendo paganum occiderunt, an postea per penitentiam emendari possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere: Scito, nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam, quemlibet hominem quolibet modo occidendi. In eadem sententia est *Bernhardus*, qui ait, Clericus qui necessitate sese defendendi alium occiderit, esse in culpa, licet minore, quàm si invasisset.

Marius

Mitius sentiendum est *de Laico*, imprimis v. gr: de milite, aut persona tali, cujus æstimatione in eo quoque stat, si fortitudinis virtutem exercent.

Quanquam etiam hic *magnâ cautela opus* sit, nempe ut defensor talis vitæ suæ non aliud spectet, quam defensionem eamque moderatam, nequaquam occisurus invasorem, si qua alia ratione vitam suam salvare possit. Nam si immoderata est defensio, vel vindictæ cupiditatem habet: non erit immunis ab homicidii peccato in conscientiæ foro, si mors invasoris sequatur. Quam difficile autem sit hæc duo separare à defensione sui, novit ille, qui naturæ nostræ corruptionem & vindicandi libidinem omnibus connatam novit. Et hæc ratio est, quod etiam Patres ita de defensione sui loquantur, ut plerumque pro illicita eam habeant; nimirum sentientes difficillimum esse homini, ut, dum in sui defensione contra violentum hostem versatur, vel manum ab immoderato defensionis actu, vel animum ab omni vindicandi studio compescat.

Quisquis ergò animam suam seu beatitudinem æternam magis diligit, quam temporalem vitam, is sanè videtur malle in virtute patientiæ expirare, quam se in periculum extremum animæ & beatitudinis conjicere.

Obf. V. ad Thef. 3. n. 3. ad verba:
*Jubemur amare proximum juxta
 nos, non pro nobis ipsis.*

*An aequalis amor debeat esse Noſtri
 ac Proximi?*

Questio magna est apud Moralistas, an,
 cum in præcepto divino dicitur, diliges
 proximum Tuum, sicut Te ipsum, æqualitas
 omnimoda præcipiatur?

Grotius videtur in *affirmativam* inclinare,
 nec desunt rationes pro hac sententia.

Nam *primo* verba ipsa præcepti æqualita-
 tem talis amoris videntur præ se ferre; quem-
 admodum æqualitas honoris in illis verbis ha-
 betur, ut omnes honorificent filium, sicut
 honorificant patrem *Job. 5. v. 23.* Ubi vox *si-*
cut non potest inferre inæqualitatem; alias
 filius in divinis non esset par cum Patre Ma-
 jestatis.

Secundo in Scripturâ exempla leguntur *sum-*
morum Virorum, qui salutem suam postpo-
nerunt aliena. Sic *Exod. 32. v. 32.* *Moses* Deum
 orat pro Israelitis: aut dimitte eis hanc no-
 xam, aut deleme de libro vitæ, quem scri-
 pſisti; *Paulus* vero *Rom. 9. v. 3.* optat anathe-
 ma esse à Christo pro fratribus. Ubi satis
 clarè apparet, *Mosen* & *Paulum* salutem pro-
 ximi propriæ anteposuisse.

K

Tertio

Tertio in bene constituto corpore membrum unum obicit se periculo pro salute alterius, præsertim præstantioris magisque necessarii, ut brachium pro capite: ergò & in corpore mystico id fieri debet, quo majus id intimioris dilectionis argumentum præ se fert; quod enim plus servatum cupimus, magis diligimus.

Denique Paulus 1. Cor. 13. v. 5. dicit, charitas non querit, quæ sua sunt: ergò potius diligere debet proximus, quam nos ipsi.

Verum rationes pro opposita sententia, & quæ non omnimodam æqualitatem in amore sui & proximi statuit, sine dubio sunt validiores.

Ubi in antecessum sciendum, hunc alias ordinem in amore poni, ut primò loco ponatur Deus, secundo loco nos ipsi, tertio verò loco id, quod juxta nos est. De primo loco non est dubium apud authores: quod verò ordinem inter nos & proximum attinet, ille liquido indicatur in verbis præcepti; dicitur enim, diliges proximum Tuum, sicut Te ipsum. Ubi significatur, dilectionem hominis ad seipsum esse velut exemplar & regulam dilectionis ad alterum, non contra. Neque enim, sicut dictum est, diliges proximum Tuum, sicut Te ipsum: ita reciprocè legitur, dilige Te sicut proximum. Cum ergò exemplar & regula sit prior eo, quod illis accommodatur: consequens est, unumquemque se magis, quàm proximum debere diligere.

Idem

Idem *secundo* probatur ex eo, quia nemo tenetur alteri dare eleemosynam, nisi ex eo, quod sibi vel non est necessarium, vel non aequè necessarium. Unde non dicit Salvator, legis regiae de charitate authenticus interpret: qui habet tunicam, det eam proximo non habenti; sed qui duas habet tunicas, det alteram non habenti; & qui habet escas similiter, *Luc. 3. 12.* Unde frequenter etiam Augustinus & alii Patres docent, ex superfluis, & non ex necessariis, nos teneri eleemosynas dare; hoc enim postulare ordinem charitatis, ut primum necessitati propriae, deinde de non necessariis etiam necessitati prospiciatur alienae.

Tertio hoc fecit *Elias* Prophetarum maximus, & pro honore divino ardentissimus; nam ad mulierem viduam *1. Reg. c. 17. v. 13.* dixit: fac mihi primum subcinericium panem, tibi autem & filio facies postea. Ubi amorem à se incepit.

Ad rationes igitur pro opposita sententia respondetur.

Ad primam quidem, vocabulum Sicut in Scriptura saepe non notare aequalitatem; sed admittere graduales differentias, aut ad minimum discrimina ordinis. Sic de Christo dicit *Moses Dent. 18. v. 15.* prophetam de fratribus Tuis, sicut me suscitabit Dominus: cum tamen latissimum sit discrimen dignitatis inter *Mosen & Christum*; prout hoc etiam *Paulus*

ostendit *Hebr. 3. v. 2-6.* Dicendum igitur est, in mandato dilectionis præcipi, ut eo modo proximum diligamus, quo nos ipsos. Qui modus vero in eo consistit, ut ei ex animo bene velimus, bene faciamus, nullum inferamus damnum: seu in illis duobus præceptis, quorum alterum est affirmativum, alterum negativum *Matth. 7. v. 12:* quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, vos & illis facite &c: quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.

Ad secundam respondent quidam, Moſen hyperbolico sermone usum fuisse, ad significandam amoris magnitudinem: *Alij* explicant ita, ut dicant fuisse propositionem *hypotheticam*, si scilicet possibilis esset deletio ex libro vitæ. Idem dicendum de loco Pauli *Rom. 9. v. 3.*

Ad tertiam dicitur, si unum membrum sese pro salute alterius objicit, id non tam facit ex intentione servandi alterius membri, quam totius corporis, cujus salus ex tali membro potius, quam à se dependet. Nam sine capite corpus salvum esse non potest, at sine brachio potest. Ideo autem pro toto se pars opponit; quia bonum partis à toto dependet; atque adeò actus ille ab amore sui proficiscitur.

In loco *1. Cor. 13. v. 5.* Paulus tantum dicit, charitatem non quærere privata bona, sed publica; non honorem sui, sed DEI; non commoda temporalia, sed salutem proximi.

Observ

Observ. VI. ad Thef. 6. & 7.

*Qua sit Origo Potestatis Summae,
sive Majestatis?*

NON male *Bœclerius* in *Commentario ad Th. 6. & 7.* ait, Grotium nobilissimam hic ordiri disputationem de summa potestate; ubi addit, æquum est, primò originem ejus indagare.

Heic verò tam *varia* & dissonantes sunt *sententia*, ut rectè dixerit Grotius, rem per se haud ita expeditam ex tam variis sententiis multò impeditiorem esse redditam. Nos præcipuas tantum notabimus.

Prima ergò *sententia* est *Miltonij* celeberrimi illius Angli, qui populum Anglicanum contra *Salmasium* in causa Regicidij defendit, item *Althusij* in *Polis*: à quibus non præcabit *Dn. Vitriarius* in *Colleg. Mstto.* qui statuunt, *Majestatem originem suam habere à populo*: Unde, si quis Rex aut Princeps excedat terminos suæ potentiz, ipsum à populo posse in ordinem redigi, neque obligatum esse ad obedientiam præstandam. *D. Vitriarij* verba sunt; Princeps notorios Imperij sui terminos excedens, hoc ipso desinit esse Princeps, & evadit privatus; quia tota Potestas, quæ Principem facit, consistit in legitimo Imperio, ex quo nascitur obligatio in subditos; ubi au-

tem definit in Principe legitimum illud Imperium, definit quoque subditorum obligat.

Samuel Pufendorf. in tract. de jur. N. & G. libr. 7. cap. 3. §. 1. ait, summum Imperium in proximè & immediate resultare ex pactis, quibus civitas coaluit; posita scilicet in populi submissione, & in altero, Rege scilicet vel Principe, submissionis acceptatione, resultare summum Imperium seu Majestatem tanquàm qualitatem quandam moralem: nec tamen dici posse, quod princeps jure tantum humano Imperium habeat; cum Deus velit & probet imperia. Nam cum in magna hominum multitudine Lex naturalis commodè exerceri nequeat citra Imperium civile: patere DEUM, qui Legem istam hominibus injunxerit, præcipere quoque, ut societates civiles instituantur, quatenus tanquàm media excolenda Legi naturali inserviant.

Dn. Kulpifius distinguit inter causam universalem & proximam: fortè melius inter remotam & proximam. *Deum* imperij civilis causam esse universalem, utpote à quo imperandi & parendi ordo sit institutus: proximam verò esse pacta hominum in civilem societatem coeuntium; ex illis enim Majestatem tanquàm qualitatem moralem resultare, quæ sententiâ non nisi in modo loquendi differt à *Pufendorffij*.

Dn. Obrecht in Observationibus suis Lam-
padium

padium sequitur, & distinguit, inter essentiam & existentiam; *civitatem* ait esse *subjectum potestatis ratione essentia*, *Regem* autem vel *Principem* esse *subjectum existentia*, quæ Philosophia ex imis visceribus Metaphysicæ desumpta est.

Tesmarius mavult cum communiore sententia distinguere inter *mediatum* & *immediatum*. *Summam potestatem in Rege* aut *Principe* non esse à *Deo* immediate, sed *mediate*.

Hobbesius putat, originem summæ potestatis esse à *mutuo metu*, tanquàm à causa movente & impellente; *proximam* autem efficientem esse *pactum*.

Bœclerus in Comm. in Groc. p. 193. ait, summam potestatem arcessendam esse non ab humano tantum facto, sed à *jussu divino* & *Lege Natura*, sive tali facto humano, quo *Juri Naturæ* obtemperatum itur. Qui enim societatem præceperit, eum quoque societatis ordinem præcepisse.

Denique *Theologi communiter* statuunt, summam potestatem esse immediate à *Deo*; designationem autem *Persona in Regnis electivis stare apud populum*. Et pro hac sententia militat *Gerhardus de Mag. P. Hülfeman: Brev. c. 21. §. 3. Dn. Oslander* in annot. Quibus accedunt ex *JCt. Zieglerus, Reinkingius*, item *Salmasius* in defens. *Reg. Joh. Frid. Hornius. Pol. 2: Quin & Patres magno numero pro*

hac sententia stant, ut *Origenes, Tertullianus, Irenaeus, Chryostomus, Nazianzenus, Epiphanius.* &c.

Non solum, cum prolixum nimis foret, has omnes sententias sub examen vocare, *duas tantum principales tractabimus*; illam scilicet, quae asserit summam potestatem esse *immediate à Deo*; & deinceps Pufendorfii, qui eam *remote tantum à Deo* esse contendit, *proxime verò ex patris* resultare. Proponemus autem rationes utriusque partis, quae nobis validiores videntur: non enim numero, sed robore opus est.

Pro prima ergò *sententia* communiter producit testimonium Pauli *Rom. 13.* qui dicit: *non est potestas nisi à Deo, &* quae sunt potestates. à DEO sunt ordinatae: itaque quisquis obstitit potestati, DEI ordinationi obstitit; *Dei enim minister est.* Quibus verbis clarissime DEO, tanquam unice causae, adscribitur origo potestatis summae citra concursum & coefficientiam aliam per particulam *nisi.* Sicut enim alias Theologi orthodoxi rectè colligunt, Justificationem nostram unice esse ex FIDE citra concursum bonorum operum; quia *Gal. 2. v. 16.* dicitur, hominem non justificari NISI per fidem: ita pariter emphasis illius particulae NISI *Rom. 13.* attendenda est. Porro Reges & Principes vocantur à Paulo ministri DEI: sed qui minister est, ille à Domino suo accipit, non ab alio. Tertio Apostolus Reges describit

Bit tanquàm *vicarios Dei*, sicut etiam Autor libri *Sap. c. 8. v. 15.* At Vicarius potestatem suam accipit vicariam à Principali, & planè non à populo. Sic Vice-Rex Neapolitanus non accepit à populo potestatem, sed abs Rege Hispaniæ.

Unde facilè colligitur, *non valere hic distinctionem Tesmarij & aliorum inter mediatum & immediatum*; quasi populus immediate conferat Majestatem, Deus verò mediatè. Unde enim populus eam immediatam Majestatem habet, à se non, ergò à DEO. Sensus ergò Paulinus hic erit: Vos populus, qui immediatè à DEO summam potestatem accepistis, estis minister DEI; Rex verò, in quem vos transtulistis hanc potestatem, est minister vester immediatè, & non DEI, nisi mediate & reductive. Atque ita Rex minister est DEI, quatenus est ministrorum DEI, quo nihil absurdus dici potest. Sanè si hoc voluisset Paulus, cur non potius apertè & sine ambagibus dixit ad Romanos: Imperator vester immediatè est minister vester, à vobis primò dependet ejus Majestas, & mediatè à DEO. At hoc non dicit, sed Reges & Principes bis ibi ministros vocat DEI, nunquàm verò populi.

Secundo vis obligativa in Legibus Regum & Principum atque eorum omnium, qui summam potestatem habent, non potest aliunde provenire, quàm à solo DEO immediatè; nam

K 9

obli-

obligatio illa non est tantum ad actum exteriorem, sed etiam pertingit ad usque conscientiam, eamque stringit. At *forum conscientia* planè non pertinet ulla ratione ad populum, sed *tantum ad Deum*. Cum ergò in legibus suis & per eas summæ potestates etiam inducant obligationem in conscientiam vi potestatis: necesse est eam à DEO originem habere. Videatur *Castro Libr. de Leg. Pœn. cap. 4. & S. Navarrus. cap. 13. Salas. disp. de Leg. Sect. 1. num. 6. Sayrus de reg. libr. 3. c. 4. Greg. de Valent. Tom. 2. disp. 7. quest. 5. Reginaldus libr. 13. num. 147.*

Et hoc maximè necessarium est ad gubernationem Reipublicæ & ad bonos mores subditorum formandos, ut Princeps sive Legislator humanus leges condere possit, quæ obligent in conscientia. Alioqui enim lata porta aperiretur hypocrisi & simulationi; & subditus tantum eousque Legem servaret, quousque sciret, quod ejus non observantia principi manifestaretur.

Tertio optimè hoc deducit *Bæclerius Comm. in Grot. p. 199. ex DECALOGO*, quem à Deo immediatè processisse, nemo sanus negabit; *in quarto* autem *præcepto* ejus imperium parentum in liberos sancitur. Sicut autem præceptum de honore parentum obsequioque illis debito etiam apud Ethnicos ita acceptum, Magistratura, & explicatum est, ut parentum vocabulo

cabulo omnes significarentur, qui aliis imperio præsent: ita merito ex illo Decalogi dictamine omnis imperandi parendique ordo & obligatio derivatur.

Frustra autem est *Pufendorf* *Libr. 7. cap. 3.*, qui ad hoc *Bœclerianum* ait: Circa quartum præceptum Decalogi, quo obsequium ergà Imperium civile sancitur, observandum est, per illud *non excludi causas proximas*, queis Imperium productum fuit; sicut præceptum de furto non faciendo originem domini non excludit. Frustra, inquam, hæc, imò tantum non impiè dicuntur. Nam *primo* quis Christianus æquis auribus audiret, præcepta legis moralis non excludere causas proximas, seu Deum esse causam tantum remotam talis præcepti; causas autem proximas esse homines, populum v. gr. *Deinde* causa remota non attingit ita effectum, uti causa proxima: quis autem diceret, vim imperandi, quæ in quarto præcepto sancitur, non ita attingi à Deo, quemadmodum attingitur à populo. *Tertio* Lex moralis pœnam dicitur, maledictionem æternam: an & hæc maledictio dicitur tantum à Deo ut à causa remota, à populo verò tanquam causa proxima? *Quarto* quod instantiæ loco affert, invalidum est, dum ait, præceptum de furto non faciendo originem domini etiam non excludere. *Invalida, inquam, hæc est instantiæ;*

qam

nam origo dominiorum non est causa proxima furti (absit, insaniret, qui ita philosopharetur); sed est hypothesis quædam non causativa furti, sed potius ipsi planè adversa. Nam ut dominia rerum in tuto essent, ideo furtum est prohibitum, non productum.

Denique Prov. 8. v. 15. 16. dicit Salomon, *per Sapientiam regnare Reges*, & potestates discernere justitiam. Ubi per sapientiam intelligitur non creata, sed increata; non habitua-
lis prudentia, sed sapientia *hypostatica*, hoc est, filius DEI; ut constat ex attributis v. 14. ubi hæc Sapientia dicit: *meum est consilium*, mea est prudentia &c. quæ non nisi Personæ subsistenti competunt. Si ergò per Sapientiam increatam regnant Reges: tunc non regnant per homines contradistinctos sapientiæ increatæ, atque hanc potestatem instituenti. Deinde uti huic sapientiæ tribuitur Creatio, quæ est immediata operatio: ita per Sapientiam hanc Reges regnant immediate, non mediatè per homines; alias homines proximi-
us influerent in illam potestatem quam DEUS.

Verum enim verò licet hæ rationes pondus suum habeant: nihilominus *pro opposita sententia*, quæ asserit, potestatem talem non esse immediate à DEO, sed mediante populo, *speciosa militant rationes*.

Nam primo si potestas aut Majestas in Regibus

gibus &c. immediatè esset à Deo: tum sanè *aqualis esset in omnibus* Regibus & Principibus, eademque haberet proprietates durationis, perpetuitatis aut successionis; vel si quæ aliæ sunt. At hanc æqualitatem non esse patet; in quibusdam enim est potestas simpliciter *Monarchica*, ut in Regno Turcico aut Gallico; in quibusdam cum temperamento *Aristocrasia*, uti est in Imperio Romano; item quibusdam Regibus data est potestas non solum Personæ, sed *etiam ejus Generationi*, ut sic dicam, id est, ut possint ad filios vel nepotes dignitatem transferre; aliis verò datur *pro Persona imperante tantum*, & *sine successione prolis*, uti est in Regno Poloniæ. Variæ itaque illæ dominandi rationes non sunt ab *institutione Divina*, sed ab humana; ab ea enim talis varietas provenit.

Secundo ait Pufendorf: illa Majestas, si est immediatè à Deo, aut est productum quid ab initio mundi; aut nunc, quoties Rex eligitur, producitur. Item antequàm in Rege aliquo sedem inveniat, an est substantia vel accidens. Porro an una est Majestas per universum orbem, cujus particula in singulos Reges sint distributæ; an verò singuli Reges habent totalem Majestatem. Denique defuncto Rege an illa Majestas à Deo reassumitur, an perit, an verò per μεταβύχων in aliud subjectum transit? Quicquid horum dicatur, absurditatibus videtur premi.

Ter-

Tertio Petrus in 1. Epist. c. 2. v. 13. dicit, parendum esse magistratui, tanquam humana Creatura. Si ergo parendum Magistratui, tanquam humanæ Creaturæ: tum sanè illi non potest obediri, tanquam à Deo immediatè existenti; alias enim non esset humana Creatura, sed Divina; quod enim immediatè à Deo est, id non humanum, sed divinum est.

Denique si majestas immediatè esset à Deo: tum impie facit populus v. gr. Poloniæ, aut in Imperio Electores, quod eam potestatem, quæ à Deo, constringant, limitent; sicut impium est constringere Leges divinas, aut illos limitare; cum eo ipso, quo sunt divinæ, inviolabiles sint.

In hoc divortio sententiarum, ubi tam speciosæ pro utraque parte stant rationes, existimamus, utramq; sententiam aliquid ex vero habere.

Prima quidem rectè docet, primam Originem & Constitutionem potestatis, sive illa in Monarchia, sive Aristocratia, seu Democratia resideat, esse à Deo; & fundatur in quarto præcepto Legis moralis. Nam uti ibi potestas patria in liberos à Deo est fundata: ita potestas illa suprema in eadem Lege fundata & stabilita est.

Secunda sententia etiam hoc ex vero habet, quod potestas hæc non sit ita immediatè à Deo, ut excludat simpliciter interventum humanum, aut homines tanquam causas instrumentales; quin & per pacta illam potestatem restringi possit.

se, nemo est qui jure dubitare possit. Sicut enim patria potestas per Leges civiles aut Imperia restringi potest: ita etiam regia.

Tertio probè est advertendum, quod licet *determinationes, restrictiones & limitationes* potestatis talis sint ex pacto: nihilominus rectè non posse dici, quod potestas, ut talis, ex pacto resultet, ut Pufendorf censet. Si enim ex pacto humano resultat, quomodo potest esse originis divinæ.

Denique sciendum est, potestatem hanc, quæ in Regibus dicitur Majestas, non esse aliquid PHYSICI, quasi à Deo infundatur Regi aut Principi, per modum *qualitatis*; sed est aliquid MORALE, ortum ex dispositione Divina trahens, qua per Legem suam sancivit, ut potestas hæc sit sancta & inviolabilis, & cui resisti non debeat. Sicut ergò legum divinarum auctoritas & vis coactiva non est aliquid physici sed morale: ita nec potestas & vis imperativa in Regibus.

Observ. VII. ad Thef. 16.

An & quomodo promissa & Juramenta obligent Reges & Principes? & an per ea minuat Imperium Summum?

Nobile hoc punctum & grave vocat Bœclerus *Comm. p. 345*: sed quod studio partium factum sit intricatum,

Adver-

Advertendum est primò Doctores non uniformiter loqui. Obrechtus in annot. ad Grot. p. 1062. Statum quæstionis ita format: *An is veram proprieque dictam potestatem habeat Regiam, qui, antequàm ad Imperium admitte- retur, promisit quedam populo aut Deo, quæ ad Imperii rationem pertinent; & sic respondet negativè.* In eadem sententia est Dn. Kuipis. in Coll. Grot. p. 15.

Bœclerus distinguit inter promissum, quo saltem voluntas Regis declaratur, & inter tale quo FACULTAS restringatur. Aut enim, inquit, promisit aliquid Princeps, quod ad Jura Majestatis pertinet; & tum potestatem summam non habebit; aut promisit juravitque generaliter, se Jus sine ambitione & odio dicturum, saluti civium invigilaturum, & quæ alia ad virtutem boni principis pertinent; & tum, inquit, non imminuitur Imperium.

Pufendorf Libr. 7. cap. 6. §. 10. p. 1063. distinguit inter Imperium Summum & Absolutum. Summum Imperium non desinere, etiamsi Rex promiserit, se v. gr. Leges fundamen- tales Regni velle observare, & certa quædam negotia non expedire sine consilio Procerum vel populi: quanquàm rectè dicatur, tale im- perium non esse absolutum.

Velthufius de princ. Just. & dec. distinguit inter promissum nudum, & inter promissum, quod habet rationem *Pactiois* cum subditis pro-

promissum posterioris generis minuere potestatem, non verò prius.

Grotius ait, non desinere Imperium summum, etiam si Rex promittat aliqua subditis, etiam quæ ad Imperii rationem pertineant: quanquam fatendum sit, *arctius* quodammodo reddi imperium, sive obligatio tantum cadat in exercitium actus, sive etiam directè in ipsam facultatem.

Dn. Osiander negat *arctius* reddi Imperium, si obligatio tantum cadat in exercitium actus; in facultatem autem planè non cadere posse obligationem.

Nos existimamus primo, si promissio, & maxime jurata, pertineat ad rationem Imperii: tum tale Imperium non posse dici verè *Monarchicum* & absolutum. Et in hoc subscribimus *Obrechtio* & *Kulpisio*, & rationes pro hac sententia satis validæ sunt. Nam ex tali promissione nascitur *efficax obligatio* ad servandum illud, quod promissum est. Ubi autem est obligatio ad præstandum aut omittendum, ibi diminuta est libertas ac potestas agendi aut omittendi, & sic diminuta est etiam in Principe facultas absoluta & imperativa.

Secundo Princeps per promissionem talem juramento firmatam se, moraliter loquendo, ipsum incapacem facit, ut attingat partem illam Imperii, cui in delatione sceptri ipse renunciavit, & jurato promisit, se illam inter

Jura sua numerare non velle; ergò *diminuta* utique illius erit *potestas*.

Tertio quod quis per *injustitiam* & *perjurium* sibi vindicare vellet, illud illegitime & invalidè sibi vindicaret. At *Princeps*, qui contra promissum & juramentum eam Imperij sibi partem vindicaret, cui renunciavit, per *injustitiam* & *perjurium* id faceret. Nam ut Cicero ait *offic. 1.* fundamentum justitiæ est fides, id est, dictorum conventorumque constantia ac veritas; eaque de causa fides est appellata, quia fiat, quod dictum est. Ergò per promissum, inprimis juramento firmatum, *Princeps* sibi ipsi minuit & constrinxit vim Imperandi.

Frustra autem est *Dn. Osiander*, qui ait, obligationem non cadere posse in *facultatem imperandi*.

Primo ex eo, quia si caderet in ipsam facultatem: tum sequeretur, quod non esset integra, adeoque planè non *Majestas*.

Secundo si obligatio caderet in *facultatem Imperandi*: tum caderet in id, quod à Deo est *immediatè*; hominem autem non posse restringere id, quod non sit in ejus manu, sed à solo Deo descendat.

Tertio si in ipsam *facultatem* caderet obligatio: tum sequeretur, quod populus non saltem eligeret Regem vel Principem, sed & *facultatem* conferret: at hoc esse absurdum, cum *facultas* illa nihil sit aliud in Re, quam *potestas* seu *MAJESTAS*.

Frustra

Frustra, inquam, hæc sunt; nam quod *primam* rationem attinet, ex ea tantum sequitur, quod Majestas talis, quæ per promissiones & pacta restricta est, non sit *absoluta* sed *limitata*. Nam sicut alias potestas paterna restringi & limitari potest, ut supra jam quoque dictum: ita etiam illa potestas, quæ alias est constitutiva Majestatis; utriusque enim unum est fundamentum in quarto præcepto Legis moralis. Licet itaque *Majestas* propriè loquendo non habeat partes integrantes, ut supponere videtur argumentum: habet tamen suos *gradus* & *latitudinem*. Unde inter omnes potestates Europæ nulla est, quæ cum altera etiam in ratione *facultatis* conveniat, sed omnes gradibus differunt.

Ad secundam dicit *Obrechtius*, quod licet facultas illa *IN SE* & absolute non possit restringi: attamen, si loquimur de ea relative, quatenus refertur ad certum subjectum, negat illam potestatem, quæ est in hoc vel illo subjecto, restringi non posse.

Addimus, stante hac sententia reos fore Anglos Sacrilegij; quia ipsi jus fisci, sive facultatem Collectarum & Tributorum, à jure Regio & potestate ejus avulsere. Et quid dicendum esset de nostro Imperio, ubi Imperatori adempta est *facultas* libere disponendi circa Sacra, quin & circa multa Politica, quæ non potest sine consensu Electorum.

Secundo respondet *Obrechtus*, facultatem seu potestatem illam dari à Deo non per modum PRÆCEPTI, sed per modum INDULTI. Concedit, inquit, Deus Regibus absolutam potestatem: jam verò quæ alicui indulgentur, uti possunt amitti, ita etiam restringi.

Verum hæc responsio nobis planè non satisfacit; partim quia falsum est, potestates superiores esse à Deo tantum per *Indultum* seu *Indulgentiam*. Sicut enim *patria potestas* non est per indultum solum; ita nec illa superior; simul enim in eodem præcepto Legis moralis continentur & fundantur. Partim quia sanctitas & inviolabilitas potestatum superiorum non satis esset in salvo; si dictæ potestates essent à Deo tantum per *Indulgentiam*. Partim denique si potestates illæ non restringi tantum ab hominibus possint, sed etiam amitti: tum potestates tales facili negotio deponi possent; per depositionem enim amittuntur talia.

Ad tertiam dicimus, populum eam facultatem dare posse, quàm habet. Sic populus *Anglicanus* jus fisci, quæ magna pars est potestatis superioris, transcribere procul dubio in Regem potest. Porrò qualis est ratio exercitij facultatis & potestatis, talis est ratio ipsius potestatis. Nam exercitium non minus est *Juris Divini*, quàm facultas; imò vana est facultas destituta *exercitio*. Sicut ergò exercitium in certo genere potest restringi per

per pacta: ita etiam ipsa facultas & potestas.

Observ. VIII. ad Th. 17. 18. 19. & 20.

*An detur status Reipublicæ
mixtus ?*

TRactat hoc punctum *Grotius* in quatuor thesibus, quamvis subobscurè. *Bæclerius* hanc quæstionem vocat arduam, & in hunc usque diem non expeditam.

Pufendorf censet Respublicas illas, quæ alias *mixtae* dicuntur, potius irregulares dici posse. Sed ut in hoc negotio recto pede incedamus, advertendum est

Primo, in Republica quædam pertinere ad statum ipsum; quædam ad administrandi modum. *Mixtura* in Republica tangit statum: quæ autem administrandi modum respiciunt, ibi propriè loquendo *mixtura* locum non habet; sed *temperamentum* melius dicitur, ut rectè advertit *Bæclerius*.

Secundo advertendum, vocabulum *mixtura* vel *mixtionis*, ex Regno Physico desumptum, esse nihil aliud juxta Philosophiam antiquorum, quàm duorum aut plurium *miscibilium* alteratorum unionem, unde illa in qualitatibus locum habere dicebatur. Hodie dum nova Philosophia qualitates eliminavit, & *particulas* invexit, aliter definitur. Suf-

L ;

ficit

ficit id tantum notasse, si vox mixturæ retineatur in præsentē quæstione, tum non esse concipiendam modo quodam Physico, sed partim morali, partim politico.

Unde tertio notandum. *Pufendorfium* non malè in locum *mixta* Republicæ introduxisse statum *irregularem*; sicut illa Respublica *irregularis* dicatur, in qua nulla ex tribus regularibus formis deprehendatur. Sicut enim vox regulæ magis accedit ad *expressionem* status & *Politicum ordinem*; cum ordo justus *regularis* quoque dicatur: ita, quod ordinem non tenet in Republica ac statu, irregulare meritò dicitur.

Quarto notandum, diversissima esse *morbum* in Republica & irregularitatem. Potest esse Respublica sana, & tamen irregularis: quæ autem *morbofa est*, sana dici non potest. Sunt autem morbi in Republica duplicis generis: quidam dicuntur morbi seu vitia státus, ubi videlicet Leges & Instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi aut regionis; morbi autem hominum sunt, si is, qui Reipubl: præest, artibus regnandi destituitur, nullaque aut exigua tangitur, eamque pravorum ministrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam prostituit, prout rectè tradit *Pufendorf*.

Hæc à thesi ad hypothésin transferendo, quæstio hodie ardua est: an imperium nostrum *Romano-Germanicum* sit referendum inter Respublicas irregulares, seu mixtas; an

verò status ille sit verè *monarchicus*; ex hujus enim exempli decisione de aliis iudicium facile ferri potest. Equidem *Reinkingius*, *Henricus Henninges* & nuper *illustris Linkerus* prolixè defendere conati sunt, statum nostrum esse dicendum *Monarchicum*: *Excellentiss. Dn. D. Schwederus* tamen cum aliis censet esse mixtum ex *Monarchia* & *Aristocratia*. *Severinus de Monzambano*, aut verius *Pufendorf*, censet esse *irregularem*.

Nos existimamus, præsentem statum Imperii Romano - Germanici nec rectè dici absolute *monarchicum*, nec rectè *morbidum*, nec *monstruosum*; sed *monarchicum* cum temperamento *Aristocratia*, atque adeo certo sensu *irregularem*.

Rationes nostræ sunt: *primo* quia status ille non est secundum regulam perfectæ *Monarchia*. Ad *Monarchiam* enim propriè talem requiritur, ut in una persona resideat potestas summa disponendi circa *sacra* & *profana*, condendi aut tollendi leges, sanciendo fœdera, tractandi pacem, gerendi bellum: at talem potestatem absolutam non esse in Imperatore nostro, loquuntur *Capitulationes*, imprimis etiam *Leopoldina*.

Secundo partes *Majestatis* potentiales, seu jura, sunt ita divisa in Imperio, ut quædam soli *Cæsari*, quædam *Cæsari* & *Electoribus*, quædam aliis quoque *Principibus* *Statibusque* con-

junctim competant, quo ipso magna irregularitas indicatur. Nam in Republica alias regulari, sive ea sit Monarchica, sive Aristocratica, sive Democratica, Jura Majestatis censentur indivisa esse. Quemadmodum enim uni personæ in propriè dicta Monarchia ea competunt indivisim: ita in Aristocratiâ Optimatibus indivisim, & in statu Democratico populo pariter sine divisione.

Tertio in exercitio *Jurium Majestatis* ordines quoque Imperij in plurimis causis, tanquam causæ *coefficientes*, concurrunt cum Imperatore; sic ut si ille concursus desit, actus talis, licet ab Imperatore exercitus, sit nullus ac invalidus. At ubi concursus alterius causæ necessarius est, ibi sufficienter intelligitur, quod causa illa altera non habeat potentiam integram, seu potestatem moralem, ad productionem effectus moralis.

Neque hic nodum solvit distinctio *Lynckeri*, cum distinguit inter *causam influentem* & *conditionem sine qua non*. Quasi verò ordines imperij non influant in multis negotiis imperij cum Imperatore per consensum suum ut causæ; sed tantum quod consensus sit conditio sine qua non. Non, inquam, hoc sine injuriâ Ordinum dici, nec rectè etiam statui potest. Nam non tantum sine consensu tali actus Imperatoris sunt nulli: sed etiam per eum fiunt validi & legitimi, quod manifestò arguit

con-

concausalitatem & coefficientiam. At conditio sine qua non nullam vim aut efficaciam habet; ut patet ex approximatione ignis ad lignum. Neque enim approximatō, quæ est conditio talis, facit, ut ignis urat; cum ustio sit effectus, unice igni & formaliter competens. Injurius est in Ordines Imperii, dum consensum ipsorum & suffragia in negotiis Imperii v. gr. in Comitibus decretis, ita extenuat & enervat, ut planè nullum effectum habeant. Conditio enim sine qua non nihil efficit aut operatur; nec etiam ab intrinseco est necessaria ad productionem effectus; sed tantum extrinsecè se habet, & aliunde etiam suppleri potest.

Cæterum si quis malit Imperium nostrum cum Bœclero statum mixtum ex Monarchico & Aristocratico, quàm irregularem vocare, in eo litem non movebimus. Quæstio mera esset de voce; nam hæc mixtura regulariter non competit formis Rerumpublicarum.

Observatio IX. ad Thes. 21.

*An qui inæquali fœdere tenetur,
summum Imperium habere possit?*

TRactat hanc quæstionem sicut & alteram de nexu feudali Grotius, ut eo magis pateat, in quo sita sit vis & Majestas ac Summitas Imperii.

Statuit autem, quod fœdus inæquale nihil

minusat de summo Imperio, & quod simul hæc duo stare possint: ubi tamen rationes haud invalidæ videntur contra militare.

Nam primo ubi est fœdus inæquale, ibi ex ipsa inæqualitate nascitur quædam superioritas & inferioritas: at ubi talis est, ibi non videtur summum stare posse Imperium; ubi enim summum, ibi nihil supra est.

Secundo fatetur ipse Grotius, quod in tali fœdere prælatio quædam sit, ut alter alterum comiter revereri debeat: at talis præ eminentia & prælatio præ altero iterum non videtur stare cum summitate Imperii,

Tertio in tali fœdere inæquali alter est sub protectione & fide quasi alterius: at constat, quod ipsa necessitas petendi protectionem alterius, aut saltem etiam utilitas, quàm speramus ex alterius cura & præsidio, multum diminuat de authoritate, & sic de summitate. Quin cæcus sit, qui non videat, quod Reges qui alios protegent, eos plerumque primi opprimant. Nihil enim magis innatum est sceptris & coronis, quam vicina invadere, & latè dominari.

Pro contraria sententia nihilominus stat Grotius.

Primo quia ubicunque populus manet liber, & alterius imperio non est subiectus; ibi retinetur summa potestas: at in tali fœdere inæquali manet libertas.

Secundo

Secundo in fœdere tali inæquali *inaequalitas se tenet non ex parte potestatis*, sed tantum authoritatis, & dignitatis: at potest inæqualitas stare cum utriusque libertate; licet unus Rex aut populus præ altero habeat authoritatem & dignitatem.

Tertio sicut *patrocinium* privatum non tollit libertatem personalem: ita nec publicam, quæ sine summo imperio intelligi nequit.

Nos censemus *priorem* sententiam accuratius loqui.

SUMMA CAPITIS QUARTI.

I.

Bellum *inferiorum* respectu Magistratus supremi Jure Divino semper est illicitum; quia **REBELLIO** est, non *bellum*.

II. Injuriam nemo privatus contra *superiorem* potest vi & armis repellere, sed patienter ferenda est.

III. Constat id ex Juribus vet. Testamenti;

IV. Et multo clarius ex novo Testamento, quod est *fœderis* veteris expositio.

V. Exempla veterum Christianorum id etiam docent; quorum admiranda fuit constantia in adversis & *persecutionibus*.

VI. St. Junii Bruti & aliorum sententia refellitur, qui putant Magistratui inferiori, ut *Parlamentis*, licere resistere, & vim vi opponere.

VII. Neque hic periculum grave, imò ne neces-

necessitas ultima patrocinator; cum Magistratus inferior re ipsa sit subditus.

VIII. Aliter dicendum est, si Rex saltem *titulum* non REM habeat, ut fuere Reges Spartanorum.

IX. Sic etiam; si se abdicavit imperio, vel Regnum pro derelicto habuit; tum enim amplius Rex non est.

X. Sic etiam, si Rex Regnum, qui illud in patrimonio non habet, ab alienare velit, resisti potest à STATIBUS: Regis tamen Personæ semper parcendum.

XI. Idem dicendum, si Rex hostili planè animo sit adversus Rempublicam; tum enim tanquam furiosus tractari potest.

XII. Vel cum committit id, quo commisso & patrato *Status* regni seu populus expressè in collatione regni significavit, se illi nulla obedientia teneri velle; tum enim Rex recidit in *privatam* Personam.

XIII. Vel cum Rex violenter arripit partem, quam populus seu Status sibi in collatione Regni reservarunt.

XIV. Si in delatione Imperii dictum sit, & pacto sancitum, ut in certo eventu & casu resisti Regi possit.

XV. Invasorem licet vi repellere, dum in actu est invasionis, non postquam longa possessione jus nactus est.

XVI. Licita ergò est resistentia, quamdiu
nulla

nulla pactio intercessit, vel fides ipsi data non est.

XVII. Si ante invasionem Lex publica lata sit de occidendo quovis invasore, eo magis licet resistere.

XVIII. Aut etiam, si auctoritatem tribuit is, qui Jus imperandi verum habet ut Rex verus.

XIX. Extra hos casus invasorem vi dejicere aut interficere non licet; ne in discrimen Respublica per motus cruentos veniat.

XX. Si res adhuc sit controversa ad quem pertineat Regimen, optimum est subdito, si possessionem sequatur.

Observ. I. ad Thes. 6. libr. 1. c. 4.

An Magistratui inferiori liceat insurgere contra superiorem, si sua abutatur potestate?

Hanc decidit Grotius negative contra Hottomannum, Danæum & Junium Brutum, qui vero nomine juxta Grotium est Moræus, juxta Osiandrum Paræus, juxta Bœclerum Hubertus Languetus. *Probat* autem Grotius suam sententiam

Primo ex natura subordinatorum, quia Magistratus inferior sit subordinatus superiori; ut, quicquid faciat contra voluntatem superioris, id defectum sit ea facultate, ac proin

pro

utique *divina sunt originis*; idque rectè probant argumenta antea prolata, neque dissentire videtur Grotius. Nam ipse quoque asserit potestatem supremam, cujus judicia publica pars aliqua potentialis, seu, ut alii loquuntur, annexum sunt, juris esse divini. At si considerentur *ratione modi & formæ externæ, à facto sunt humano*. Quis enim diceret ex gr. Dicasterium Tubingense ratione formæ suæ externæ, ut quod tot præcisè sunt Assessores, non plures, quodque ab eo non datur inquilinis provocatio &c. hoc juris esse Divini aut naturæ. Et sic de aliis. Interim hoc punctum plenius elucidabitur infra, cum de origine Majestatis dicemus.

Observ. IV. ad Thef. 3.

An Deus in Evangelio præcipiat, ut in periculum vite adducti debeamus potius occidi, quam occidere?

Hoc punctum tractat prolixè Pufendorf *libr. 2. cap. 5. §. 14. Dn. Kulpisius* statum quæstionis geminum facit hoc modo: Si videam, me non posse effugere, nisi interficiatur aggressor; metuam verò ne ille damnationem æternam incurrat: an salvo Jure Naturali ipsum interficere queam, quæritur, & affirmo. An autem charitas Christiana ad quid amplius nos hic obstringat, jam non definio.

finio. *Hæc Kulpis*: Quæstio itaque prima est de Jure Naturæ, quid vi illius facere queam; altera quid juxta principia Christianæ charitatis.

Laudatus Pufendorf existimat, nec per Jus Naturæ, nec per charitatem Christianam nos obligari, ut patiamur ab aggressore nos occidi sine defensione.

Rationes ejus sunt: Primo quia non sit probabile, me magis sollicitum esse debere de anima alterius, quàm alter iste de sua est. Si ergò iste neglecta animæ suæ cura vitam meam impetat: cur ego preciosissimæ rei meæ, ejusque irreparabilis, dispendio istius animam reddimam. *Secundo* Jure ejus periculi non haberi rationem, in quod quis non tantum sua se culpa conjicit: sed & ex quo se liberare potest, quando vult; potest autem maximè in præsentis casu, si videlicet petulanter me oppugnare desistat. *Tertio* non constare, an talis aggressor damnationem sit evasurus, si vel maximè jam occisus non fuerit. *Quarto* sententiam oppositam majorem tribuere favorem sceleris & impietati, quàm pietati; sic enim latrones & aggressores temerarij inviolabiles redderentur; contra pii homines in perpetuo viverent metu mortis, dum nefariis homicidis cogerentur jugulum præbere, ne, dum resistunt, ipsi in periculum æternæ damnationis incurrant. *Denique* eum, qui invaditur, non
ita

ita semper esse paratum, ut non spatio aliquo opus sibi putet componendæ animæ, & subducendis vitæ rationibus, seu ut sarcinas colligat ante, quàm proficiscatur è vita, ut loquitur Varro de Re rust. L. 1. c. 1.

Verum enim verò *pro opposita sententia* non minus validæ videntur militare *rationes*.

Nam *primo* qui cum aggressore congreditur, & per ipsius necem vitam suam salvare intendit, non potest non in ardore pugnæ effervesce, & ex ira stimulos accipere. At qui *iratus*, seu qui irato animo *ex hac vita discedit*, in summo versatur animæ periculo; ira enim & fides salvifica & charitas, quæ indivulso nexu cum fide conjuncta est, simul non stant. Qui ergò hac ratione temporalem vitam salvare intenderet, amitteret æternam, si in conflictu occumberet.

Secundo regula generalis in christiana moralitate est, quod id, quod turius & à peccandi periculo remotius est, in negotiis animam nostram concernentibus, sit sequendum. At *turius* longè est, in tali casu *pati*, quam *agere*; patiendo enim innocenter nemo peccat, at vero agendo.

Tertio non legitur, quod *Abel*, à fratre *Caino* impugnatus, sese defendere voluerit etiam cum periculo vitæ *Caini*, sed quod *passivè se habuerit*. At is ipse *Abel* in catalogo legitur *fidelium*, & hæredum vitæ æternæ. *Heb. 11. v. 4.*

Quarto

Quarto nec cum *Justitia*, multo minus cum *charitate Christiana* conveniens est, ut *minus malum nostrum*, temporalis scil. *vita*, malo *eterno & irreparabili depellatur*.

Denique nulla virtus in *Scripturis* magis commendatur quàm *patientia Rom. 2. v. 7. cap. 8. v. 19. 25. 1. Cor. 6. v. 7. Jac. 1. v. 3. Hebr. 6. v. 12.* & *Augustinus* ait: paratus debet esse homo *justus & pius*, patienter eorum *malitiam* sustinere, quos fieri bonos quærit, ut potius *numerus* crescat bonorum, non ut pari *malitia* se quis numero addat malorum.

Et sanè in *FORO THEOLOGICO* hæc *posterior* sententia videtur *probabilior & melior*; quia *tutior*, *quanquam* etiam in *personis* possit esse *discrimen*. Aliud enim est, si *Persona Ecclesiastica* aggressorem occidat; aliud si *Laicus*. De *Persona Ecclesiastica* seu *Clerico* extat *decretum Pontificis Romani Nicolai apud Gratianum dist. 50.* his verbis: De his *Clericis*, pro quibus consulisti, scilicet qui se defendendo *paganum* occiderunt, an postea per *penitentiam* emendati possint ad *gradum pristinum* redire, aut ad *altiolem* conscendere: *Scito*, nos nullam *occasionem* dare, nec ullam *tribuere* eis *licentiam*, quemlibet *hominem* quolibet modo *occidendi*. In eadem *sententia* est *Bernhardus*, qui ait, *Clericus* qui *necessitate* sese defendendi *alium* occiderit, esse in *culpa*, licet *minore*, quàm si *invasisset*.

Mirius

Mitius sentiendum est *de Laico*, imprimis v. gr: de milite, aut persona tali, cujus æstimatione in eo quoque stat, si fortitudinis virtutem exercent.

Quamquam etiam hic *magna cautela* opus sit, nempe ut defensor talis vitæ suæ non aliud spectet, quam defensionem eamque moderatam, nequaquam occisurus invasorem, si qua alia ratione vitam suam salvare possit. Nam si immoderata est defensio, vel vindictæ cupiditatem habet: non erit immunis ab homicidii peccato in conscientiæ foro, si mors invasoris sequatur. Quam difficile autem sit hæc duo separare à defensione sui, novit ille, qui naturæ nostræ corruptionem & vindicandi libidinem omnibus connatam novit. Et hæc ratio est, quod etiam Patres ita de defensione sui loquantur, ut plerumque pro illicita eam habeant; nimirum sentientes difficillimum esse homini, ut, dum in sui defensione contra violentum hostem versatur, vel manum ab immoderato defensionis actu, vel animum ab omni vindicandi studio compescat.

Quisquis ergo animam suam seu beatitudinem æternam magis diligit, quam temporalem vitam, is sanè videtur malle in virtute patientiæ expirare, quam se in periculum extremum animæ & beatitudinis conjicere.

Obf. V. ad Thef. 3. n. 3. ad verba:
*Jubemur amare proximum juxta
 nos, non pro nobis ipsis.*

*An aequalis amor debeat esse Noſtri
 ac Proximi?*

QUæſtio magna eſt apud Moralistas, an,
 cum in præcepto divino dicitur, diliges
 proximum Tuum, ſicut Te ipſum, æqualitas
 omnimoda præcipiatur?

Grotius videtur in *affirmativam* inclinare,
 nec deſunt rationes pro hac ſententia.

Nam *primo* verba ipſa præcepti æqualita-
 tem talis amoris videntur præ ſe ferre; quem-
 admodum æqualitas honoris in illis verbis ha-
 betur, ut omnes honorificent filium, ſicut
 honorificant patrem *Job. 5. v. 23.* Ubi vox *ſi-
 cut* non poteſt inferre inæqualitatem; alias
 filius in divinis non eſſet paris cum Patre Ma-
 jeſtatis.

Secundo in Scripturâ exempla leguntur *ſum-
 morum Vivorum*, qui ſalutem ſuam poſtpo-
 ſuerunt aliena. Sic *Exod. 32. v. 32.* *Mofes* Deum
 orat pro *Iſraelitis*: aut dimitte eis hanc no-
 xam, aut dele me de libro vitæ, quem ſcri-
 pſiſti; *Paulus* vero *Rom. 9. v. 3.* optat anathe-
 ma eſſe à *Chriſto* pro fratribus. Ubi ſatis
 clarè apparet, *Mofen* & *Paulum* ſalutem pro-
 ximi propriæ antepoſuiſſe.

K

Tertio

Tertio in bene constituto corpore *membrum unum obicit se periculo pro salute alterius, præsertim præstantioris magisque necessarii, ut brachium pro capite: ergò & in corpore mystico id fieri debet, quo majus id intimioris dilectionis argumentum præ se fert; quod enim plus fervarum cupimus, magis diligimus.*

Denique Paulus 1. Cor. 13. v. 5. dicit, charitas non quærit, quæ sua sunt: ergò potius diligere debet proximus, quam nos ipsi.

Verum rationes pro opposita sententia, & quæ non omnimodam æqualitatem in amore sui & proximi statuit, sine dubio sunt validiores.

Ubi in antecessum sciendum, hunc alias ordinem in amore poni, ut primò loco ponatur Deus, secundo loco nos ipsi, tertio verò loco id, quod juxta nos est. De primo loco non est dubium apud authores: quod verò ordinem inter nos & proximum attinet, ille liquido indicatur in verbis præcepti; dicitur enim, diliges proximum Tuum, sicut Te ipsum. Ubi significatur, dilectionem hominis ad se ipsum esse velut exemplar & regulam dilectionis ad alterum, non contra. Neque enim, sicut dictum est, diliges proximum Tuum, sicut Te ipsum: ita reciprocè legitur, dilige Te sicut proximum. Cum ergò exemplar & regula sit prior es, quod illis accommodatur: consequens est, unumquemque se magis, quàm proximum debere diligere.

Idem

Idem *secundo* probatur ex eo, quia nemo tenetur alteri dare eleemosynam, nisi ex eo, quod sibi vel non est necessarium, vel non aequè necessarium. Unde non dicit Salvator, legis regis de charitate authenticus interpret: qui habet tunicam, det eam proximo non habenti; sed qui duas habet tunicas, det alteram non habenti; & qui habet escas similiter, *Luc. 3. 11.* Unde frequenter etiam Augustinus & alii Patres docent, ex superfluis, & non ex necessariis, nos teneri eleemosynas dare; hoc enim postulare ordinem charitatis, ut primum necessitati propriæ, deinde de non necessariis etiam necessitati prospiciatur alienæ.

Tertio hoc fecit *Elias* Prophetarum maximus, & pro honore divino ardentissimus; nam ad mulierem viduam *1. Reg. c. 17. v. 13.* dixit: fac mihi primum subcinericium panem, tibi autem & filio facies postea. Ubi amorem à se incepit.

Ad rationes igitur pro opposita sententia respondetur.

Ad primam quidem, vocabulum Sicut in Scriptura saepe non notare aequalitatem; sed admittere graduales differentias, aut ad minimum discrimina ordinis. Sic de Christo dicit *Moses Dent. 18. v. 15.* prophetam de fratribus Tuis, sicut me suscitabit Dominus: cum tamen latissimum sit discrimen dignitatis inter *Mosen & Christum*; prout hoc etiam *Paulus*

ostendit *Hebr. 3. v. 2-6.* Dicendum igitur est, in mandato dilectionis præcipi, ut eo modo proximum diligamus, quo nos ipsos. Qui modus vero in eo consistit, ut ei ex animo bene velimus, benè faciamus, nullum inferamus damnum: seu in illis duobus præceptis, quorum alterum est affirmativum, alterum negativum *Matth. 7. v. 12:* quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, vos & illis facite &c: quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.

Ad secundam respondent quidam, Moſen hyperbolico sermone usum fuisse, ad significandam amoris magnitudinem: *Alij* explicant ita, ut dicant fuisse propositionem *hypotheticam*, si scilicet possibilis esset deletio ex libro vitæ. Idem dicendum de loco Pauli *Rom. 9. v. 3.*

Ad tertiam dicitur, si unum membrum sese pro salute alterius objicit, id non tam facit ex intentione servandi alterius membri, quam totius corporis, cujus salus ex tali membro potius, quam à se dependet. Nam sine capite corpus salvum esse non potest, at sine brachio potest. Ideo autem pro toto se pars opponit; quia bonum partis à toto dependet; atque adeo actus ille ab amore sui proficiscitur.

In loco *1. Cor. 13. v. 5.* Paulus tantum dicit, charitatem non quærere privata bona, sed publica; non honorem sui, sed DEI; non commoda temporalia, sed salutem proximi.

Observ

Observ. VI. ad Thes. 6. & 7.

*Qua sit Origo Potestatis Summae,
sive Majestatis?*

NON male *Bæclerus* in *Commentario ad Th. 6. & 7.* ait, *Grotium* nobilissimam hic ordiri disputationem de summa potestate; ubi addit, æquum est, primò originem ejus indagare.

Heic verò tam *varia* & dissonantes sunt *sententia*, ut rectè dixerit *Grotius*, rem per se haud ita expeditam ex tam variis *sententiis* multò impeditiorem esse redditam. Nos præcipuas tantum notabimus.

Prima ergò *sententia* est *Miltonij* celeberrimi illius *Angli*, qui *populum Anglicanum* contra *Salmasium* in causa *Regicidij* defendit, item *Althusij* in *Polit.*: à quibus non præculabit *Dn. Vitriarius* in *Colleg. Mæsto.* qui statuunt, *Majestatem originem suam habere à populo*: Unde, si quis *Rex* aut *Princeps* excedat terminos suæ potentiz, ipsum à *populo* posse in ordinem redigi, neque obligatum esse ad obedientiam præstandam. *D. Vitriarij* verba sunt: *Princeps* notorios *Imperij* sui terminos excedens, hoc ipso desinit esse *Princeps*, & evadit *privatus*; quia tota *Potestas*, quæ *Principem* facit, consistit in legitimo *Imperio*, ex quo nascitur obligatio in *subditos*; ubi au-

tem definit in Principe legitimum illud Imperium, definit quoque subditorum obligat.o.

Samuel Pufendorf. in tract. de Jur. N. & G. libr. 7. cap. 3. §. 1. ait, summum Imperium in proximè & immediate resultare ex pactis, quibus civitas coaluit; posita scilicet in populo submissione, & in altero, Rege scilicet vel Principe, submissionis acceptatione, resultare summum Imperium seu Majestatem tanquam qualitatem quandam moralem: nec tamen dici posse, quod princeps jure tantum humano Imperium habeat; cum Deus velit & probet imperia. Nam cum in magna hominum multitudine Lex naturalis commodè exerceri nequeat citra Imperium civile: patere Deum, qui Legem istam hominibus injunxerit, præcipere quoque, ut societates civiles instituantur, quatenus tanquam media excolenda Legi naturali inserviant.

Dn. Kulpisius distinguit inter causam universalem & proximam: fortè melius inter remotam & proximam. *Deum* imperij civilis causam esse universalem, utpote à quo imperandi & parendi ordo sit institutus: proximam verò esse pacta hominum in civilem societatem coeuntium; ex illis enim Majestatem tanquam qualitatem moralem resultare, quæ sententia non nisi in modo loquendi differt à *Pufendorfij*.

Dn. Obrecht in Observationibus suis Lampadiura

padium sequitur, & distinguit, inter essentiam & existentiam; *civitatem* ait esse *subjectum potestatis ratione essentia*, *Regem* autem vel *Principem* esse *subjectum existentia*, quæ Philosophia ex imis visceribus Metaphysicæ desumpta est.

Tesmarus mavult cum communiore sententia distinguere inter *mediatum* & *immediatum*. *Summam potestatem in Rege* aut *Principe* non esse à *Deo* immediate, sed *mediate*.

Hobbesius putat, originem summæ potestatis esse à *mutuo metu*, tanquàm à causa movente & impellente; *proximam* autem efficientem esse *factum*.

Bæclerus in Comm. in Groc. p. 193. ait, summam potestatem arcessendam esse non ab humano tantum facto, sed à *jussu divino* & *Lege Natura*, sive tali facto humano, quo *Juri Naturæ* obtemperatum itur. Qui enim societatem præceperit, cum quoque societatis ordinem præcepisse.

Denique *Theologi communiter* statuunt, *summam potestatem esse immediate à Deo*; designationem autem *Persona in Regnis electivis stare apud populum*. Et pro hac sententia militat *Gerhardus de Mag. P. Hülfeman: Brev. c. 21. §. 3. Dn. Osiander* in annot. Quibus accedunt ex *Jct. Zieglerus, Reinkingius*, item *Salmasius* in defens. Reg. Joh. Frid. *Hornius. Pol. 2: Quin & Patres magno numero pro*

hac sententia stant, ut *Origenes, Tertullianus, Irenaeus, Chryostomus, Nazianzenus, Epiphanius.* &c.

Non solum cum prolixum nimis foret, has omnes sententias sub examen vocare, *duas tantum principales tractabimus*; illam scilicet, quae asserit summam potestatem esse *immediate à Deo*; & deinceps Pufendorfii, qui eam *remote tantum à Deo* esse contendit, *proxime verò ex patris* resultare. Proponemus autem rationes utriusque partis, quae nobis validiores videntur: non enim numero, sed robore opus est.

Pro prima ergò sententia communiter producit testimonium Pauli Rom. 13. qui dicit: *non est potestas nisi à Deo, &* quae sunt potestates. à DEO sunt ordinatae: itaque quisquis obstitit potestati, DEI ordinationi obstitit; *Dei enim minister est.* Quibus verbis clarissimè DEO, tanquam unice causae, adscribitur origo potestatis summae citra concursum & coefficientiam aliam per particulam *nisi.* Sicut enim alias Theologi orthodoxi rectè colligunt, Justificationem nostram unice esse ex FIDE citra concursum bonorum operum; quia *Gal. 2. v. 16.* dicitur, hominem non justificari *nisi* per fidem: ita pariter emphasis illius particulae *Nisi Rom. 13.* attendenda est. Porro Reges & Principes vocantur à Paulo ministri DEI: sed qui minister est, ille à Domino suo accipit, non ab alio. Tertio Apostolus Reges describit

bit tanquàm *vicarios Dei*, sicut etiam Autor libri *Sap. c. 8. v. 15.* At Vicarius potestatem suam accipit vicariam à Principali, & planè non à populo. Sic Vice-Rex Neapolitanus non accepit à populo potestatem, sed abs Rege Hispaniæ.

Unde facilè colligitur, *non valere hic distinctionem Tesmarij & aliorum inter mediatum & immediatum*; quasi populus immediate conferat Majestatem, Deus verò mediatè. Unde enim populus eam immediatam Majestatem habet, à se non, ergò à DEO. Sensus ergò Paulinus hic erit: Vos populus, qui immediatè à DEO summam potestatem accepistis, estis minister DEI; Rex verò, in quem vos transtulistis hanc potestatem, est minister vester immediatè, & non DEI, nisi mediate & reductive. Atque ita Rex minister est DEI, quatenus est ministrorum DEI, quo nihil absurdus dici potest. Sanè si hoc voluisset Paulus, cur non potius apertè & sine ambagibus dixit ad Romanos: Imperator vester immediatè est minister vester, à vobis primò dependet ejus Majestas, & mediatè à DEO. At hoc non dicit, sed Reges & Principes bis ibi ministros vocat DEI, nunquàm verò populi.

Secundo vis obligativa in Legibus Regum & Principum atque eorum omnium, qui summam potestatem habent, non potest aliunde provenire, quàm à solo DEO immediatè; nam

obligatio illa non est tantum ad actum exterior-
rem, sed etiam pertingit ad usque conscientiam,
eamque stringit. At *forum conscientia*
planè non pertinet ulla ratione ad populum,
sed *tantum ad Deum*. Cum ergò in legibus
suis & per eas summæ potestates etiam indu-
cant obligationem in conscientiam vi pote-
statis: necesse est eam à DEO originem habere.
Videatur *Castro Libr. de Leg. Pœn. cap. 4. & S. Navarrus. cap. 13. Salas. disp. de Leg. Sect. 1. num. 6. Sayrus de reg. libr. 3. c. 4. Greg. de Valent. Tom. 2. disp. 7. quest. 5. Reginaldus libr. 13. num. 147.*

Et hoc maximè necessarium est ad gubernationem Reipublicæ & ad bonos mores subditorum formandos, ut Princeps sive Legislator humanus leges condere possit, quæ obligent in conscientia. Alioqui enim lata porta aperiretur hypocrisi & simulationi; & subditus tantum eousque Legem servaret, quousque sciret, quod ejus non observantia principi manifestaretur.

Tertio optimè hoc deducit *Bœclerius Comm. in Grot. p. 199. ex DECALOGO*, quem à Deo immediatè processisse, nemo sanus negabit; *in quarto autem præcepto* ejus imperium parentum in liberos sancitur. Sicut autem præceptum de honore parentum obsequioque illis debito etiam apud Ethnicos ita acceptum, Magistra natura, & explicatum est, ut parentum vocabulo

cabulo omnes significarentur, qui aliis imperio præsumunt: ita merito ex illo Decalogi dictamine omnis imperandi parendique ordo & obligatio derivatur.

Frustra autem est *Pufendorf* *Libr. 7. cap. 3.* qui ad hoc *Bœclerianum* ait: Circa quartum præceptum Decalogi, quo obsequium erga Imperium civile sancitur, observandum est, per illud *non excludi causas proximas*, queis Imperium productum fuit; sicut præceptum de furto non faciendo originem dominii non excludit. Frustra, inquam, hæc, imò tantum non impiè dicuntur. Nam *primo* quis Christianus æquis auribus audiret, præcepta legis moralis non excludere causas proximas, seu Deum esse causam tantum remotam talis præcepti; causas autem proximas esse homines, populum v. gr. *Deinde* causa remota non attingit ita effectum, uti causa proxima: quis autem diceret, vim imperandi, quæ in quarto præcepto sancitur, non ita attingi à Deo, quemadmodum attingitur à populo. *Tertio* Lex moralis pœnam dicitur, maledictionem æternam: an & hæc maledictio dicitur tantum à Deo ut à causa remota, à populo verò tanquam causa proxima? *Quarto* quod instantiæ loco affert, invalidum est, dum ait, præceptum de furto non faciendo originem dominij etiam non excludere. *Invalida, inquam, hæc est instantia;*
nam

nam origo dominiorum non est causa proxima furti (absit, insaniret, qui ita philosopharetur); sed est hypothesis quædam non causativa furti, sed potius ipsi planè adversa. Nam ut dominia rerum in tuto essent, ideo furtum est prohibitum, non productum.

Denique Prov. 8. v. 15. 16. dicit Salomon, *per Sapientiam regnare Reges*, & potestates discernere justitiam. Ubi per sapientiam intelligitur non creata, sed increata; non habitua-
lis prudentia, sed sapientia *hypostatica*, hoc est, filius DEI; ut constat ex attributis v. 14. ubi hæc Sapientia dicit: *meum est consilium, mea est prudentia &c.* quæ non nisi Personæ subsistenti competunt. Si ergò per Sapientiam increatam regnant Reges: tunc non regnant per homines contradistinctos sapientiæ increatæ, atque hanc potestatem instituenti. Deinde uti huic sapientiæ tribuitur Creatio, quæ est immediata operatio: ita per Sapientiam hanc Reges regnant immediate, non mediatè per homines; alias homines proximius influerent in illam potestatem quam DEUS.

Verum enim verò licet hæ rationes pondus suum habeant: nihilominus *pro opposita sententia*, quæ asserit, potestatem talem non esse immediate à DEO, sed mediante populo, *speciosa militant rationes.*

Nam *primo* si potestas aut Majestas in Regibus

gibus &c. immediatè esset à DEO: tum sanè *aqualis esset in omnibus* Regibus & Principibus, easdemque haberet proprietates durationis, perpetuitatis aut successionis; vel si quæ aliæ sunt. At hanc æqualitatem non esse patet; in quibusdam enim est potestas simpliciter *Monarchica*, ut in Regno Turcico aut Gallico; in quibusdam cum temperamento *Aristocratica*, uti est in Imperio Romano; item quibusdam Regibus data est potestas non solum Personæ, sed *etiamejus Generationi*, ut sic dicam, id est, ut possint ad filios vel nepotes dignitatem transferre; aliis verò datur *pro Persona imperante tantum*, & sine *successione prolis*, uti est in Regno Poloniæ. Variæ itaque illæ dominandi rationes non sunt ab *institutione Divina*, sed ab humana; ab ea enim talis varietas provenit.

Secundo ait Pufendorf: illa *Majestas*, si est immediatè à DEO, *aut est productum* quid ab *initio mundi*; *aut nunc*, quoties Rex eligitur, producitur. Item antequàm in Rege aliquo sedem inveniat, *an est substantia* vel *accidens*. Porro *an una est Majestas* per universum orbem, *cujus particula* in singulos Reges sint distributæ; an verò singuli Reges habent totalem *Majestatem*. Denique defuncto Rege an illa *Majestas* à DEO reassumitur, an perit, an verò per *μεταμύχων* in aliud subjectum transit? Quicquid horum dicatur, absurditatibus videtur premi. Ter-

Tertio Petrus in 1. Epist. c. 2. v. 13. dicit, parendum esse magistratui, tanquam humana Creatura. Si ergo parendum Magistratui, tanquam humanæ Creaturæ: tum sanè illi non potest obediri, tanquam à DEO immediatè existenti; alias enim non esset humana Creatura, sed Divina; quod enim immediatè à DEO est, id non humanum, sed divinum est.

Denique si majestas immediatè esset à DEO: tum impie facit populus v. gr. Poloniæ, aut in Imperio Electores, quod eam potestatem, quæ à DEO, constringant, limitent; sicut impium est constringere Leges divinas, aut illos limitare; cum eo ipso, quo sunt divinæ, inviolabiles sint.

In hoc divortio sententiarum, ubi tam speciosæ pro utraque parte stant rationes, existimamus, utramq; sententiam aliquid ex vero habere.

Prima quidem rectè docet, primam Originem & Constitutionem potestatis, sive illa in Monarchia, sive Aristocratia, seu Democratia resideat, esse à DEO; & fundatur in quarto præcepto Legis moralis. Nam uti ibi potestas patria in liberos à DEO est fundata: ita potestas illa suprema in eadem Lege fundata & stabilita est.

Secunda sententia etiam hoc ex vero habet, quod potestas hæc non sit ita immediatè à DEO, ut excludat simpliciter interventum humanum, aut homines tanquam causas instrumentales; quin & per pacta illam potestatem restringi posse.

se, nemo est qui jure dubitare possit. Sicut enim patria potestas per Leges civiles aut Imperia restringi potest: ita etiam regia.

Tertio probe est advertendum, quod licet *determinationes, restrictiones & limitationes* potestatis talis sint ex pacto: nihilominus rectè non posse dici, quod potestas, ut talis, ex pacto resultet, ut Pufendorf censet. Si enim ex pacto humano resultat, quomodo potest esse originis divinæ.

Denique sciendum est, potestatem hanc, quam in Regibus dicitur Majestas, non esse aliquid *PHYSICI*, quasi à Deo infundatur Regi aut Principi, per modum *qualitatis*; sed est aliquid *MORALE*, ortum ex dispositione Divina trahens, qua per Legem suam sancivit, ut potestas hæc sit sancta & inviolabilis, & cui resisti non debeat. Sicut ergò legum divinarum auctoritas & vis coactiva non est aliquid *physici* sed *morale*: ita nec potestas & vis imperativa in Regibus.

Observ. VII. ad Thef. 16.

An & quomodo promissa & Juramenta obligent Reges & Principes? & an per ea minuatur Imperium Summum?

Nobile hoc punctum & grave vocat Bœclerus *Comm. p. 345*: sed quod studio partium factum sit iatricatum,

Adver-

Advertendum est primò Doctores non uniformiter loqui. Obrechtus in annot. ad Grot. p. 1062. Statum quæstionis ita format: *An is veram proprieque dictam potestatem habeat Regiam, qui, antequàm ad Imperium admitteretur, promisit quædam populo aut Deo, quæ ad Imperii rationem pertinent; & sic respondet negativè.* In eadem sententia est Dn. Kulpis. in Coll. Grot. p. 15.

Bæclerus distinguit inter promissum, quo saltem voluntas Regis declaratur, & inter tale quo FACULTAS restringatur. Aut enim, inquit, promisit aliquid Princeps, quod ad Jura Majestatis pertinet; & tum potestatem summam non habebit; aut promisit juravitque generaliter, se Jus sine ambitione & odio dicturum, saluti civium invigilaturum, & quæ alia ad virtutem boni principis pertinent; & tum, inquit, non imminuitur Imperium.

Pufendorf Libr. 7. cap. 6. §. 10. p. 1063. distinguit inter Imperium Summum & Absolutum. Summum Imperium non desinere, etiamsi Rex promiserit, se v. gr. Leges fundamentales Regni velle observare, & certa quædam negotia non expedire sine consilio Procerum vel populi: quanquàm rectè dicatur, tale imperium non esse absolutum.

Velthufius de princ. just. & dec. distinguit inter promissum nudum, & inter promissum, quod habet rationem *Pactionis* cum subditis
pro-

promissum posterioris generis minuere potestatem, non verò prius.

Grotius ait, non desinere Imperium summum, etiam si Rex promittat aliqua subditis, etiam quæ ad Imperii rationem pertineant: quanquam fatendum sit, *arctius* quodammodo reddi imperium, sive obligatio tantum cadat in exercitium actus, sive etiam directè in ipsam facultatem.

Dn. Osiander negat *arctius* reddi Imperium, si obligatio tantum cadat in exercitium actus; in facultatem autem planè non cadere posse obligationem.

Nos existimamus primo, si promissio, & maximè *jurata*, pertineat ad rationem Imperii: tunc tale Imperium non posse dici verè *Monarchicum* & absolutum. Et in hoc subscribimus *Obrechtio* & *Kulpisio*, & rationes pro hac sententia satis validæ sunt. Nam ex tali promissione nascitur *efficax obligatio* ad servandum illud, quod promissum est. Ubi autem est obligatio ad præstandum aut omittendum, ibi diminuta est libertas ac potestas agendi aut omittendi, & sic diminuta est etiam in Principe facultas absoluta & imperativa.

Secundo Princeps per promissionem talem juramento firmatam se, moraliter loquendo, ipsum incapacem facit, ut attingat partem illam Imperii, cui in delatione sceptri ipse renunciavit, & jurato promissit, se illam inter

Jura sua numerare non velle; ergò *diminuta* utique illius erit *potestas*.

Tertio quod quis per *injustitiam* & *perjurium* sibi vindicare vellet, illud illegitime & invalidè sibi vindicaret. At *Princeps*, qui contra promissum & juramentum eam Imperij sibi partem vindicaret, cui renunciavit, per *injustitiam* & *perjurium* id faceret. Nam ut Cicero ait *offic. 1.* fundamentum justitiæ est fides, id est, dictorum conventorumque constantia ac veritas; eaque de causa fides est appellata, quia fiat, quod dictum est. Ergò per promissum, inprimis juramento firmatum, *Princeps* sibi ipsi minuit & constrinxit vim Imperandi.

Frustra autem est *Dn. Osiander*, qui ait, obligationem non cadere posse in *facultatem imperandi*.

Primo ex eo, quia si caderet in ipsam facultatem: tum sequeretur, quod non esset integra, adeoque planè non *Majestas*.

Secundo si obligatio caderet in *facultatem Imperandi*: tum caderet in id, quod à Deo est *immediate*; hominem autem non posse restringere id, quod non sit in ejus manu, sed à solo DEO descendat.

Tertio si in ipsam *facultatem* caderet obligatio: tum sequeretur, quod populus non saltem eligeret Regem vel Principem, sed & *facultatem* conferret: at hoc esse absurdum, cum *facultas* illa nihil sit aliud in Re, quam *potestas* seu *MAJESTAS*.

Frustra

Frustra, inquam, hæc sunt; nam quod *primam* rationem attinet, ex ea tantum sequitur, quod Majestas talis, quæ per promissiones & pacta restricta est, non sit *absoluta sed limitata*. Nam sicut alias potestas paterna restringi & limitari potest, ut supra jam quoque dictum: ita etiam illa potestas, quæ alias est constitutiva Majestatis; utriusque enim unum est fundamentum in quarto præcepto Legis moralis. Licet itaque *Majestas* propriè loquendo non habeat partes integrantes, ut supponere videtur argumentum: habet tamen suos *gradus & latitudinem*. Unde inter omnes potestates Europæ nulla est, quæ cum altera etiam in ratione *facultatis* conveniat, sed omnes gradibus differunt.

Ad secundam dicit *Obrechtius*, quod licet facultas illa *In Se* & absolutè non possit restringi: attamen, si loquimur de ea relativè, quatenus refertur ad certum subjectum, negat illam potestatem, quæ est *in hoc vel illo* subjecto, restringi non posse.

Addimus, stante hac sententia reos fore Anglos Sacrilegij; quia ipsi jus fisci, sive facultatem Collectarum & Tributorum, à jure Regio & potestate ejus avulsere. Et quid dicendum esset de nostro Imperio, ubi Imperatori ademta est *facultas* libere disponendi circa Sacra, quin & circa multa Politica, quæ non potest sine consensu Electorum.

Secundo respondet *Obrechtus*, facultatem seu potestatem illam dari à Deo non per modum PRÆCEPTI, sed per modum INDULTI. Concedit, inquit, DEUS Regibus absolutam potestatem: jam verò quæ alicui indulgentur, uti possunt amitti, ita etiam restringi.

Verum hæc responsio nobis planè non satisfacit; partim quia falsum est, potestates superiores esse à Deo tantum per *Indultum* seu *Indulgentiam*. Sicut enim *patria potestas* non est per indultum solum; ita nec illa superior; simul enim in eodem præcepto Legis moralis continentur & fundantur. Partim quia sanctitas & inviolabilitas potestatum superiorum non satis esset in salvo; si dictæ potestates essent à Deo tantum per *Indulgentiam*. Partim denique si potestates illæ non restringi tantum ab hominibus possint, sed etiam amitti: tum potestates tales facili negotio deponi possent; per depositionem enim amittuntur talia.

Ad tertiam dicimus, populum eam facultatem dare posse, quàm habet. Sic populus *Anglicanus* jus fisci, quæ magna pars est potestatis superioris, transcribere procul dubio in Regem potest. Porrò qualis est ratio exercitij facultatis & potestatis, talis est ratio ipsius potestatis. Nam exercitium non minus est *Juris Divini*, quàm facultas; imò vana est facultas destituta *exercitio*. Sicut ergò exercitium in certo genere potest restringi
per

per pacta: ita etiam ipsa facultas & potestas.

Observ. VIII. ad Th. 17. 18. 19. & 20.

An detur status Reipublicæ

mixtus ?

TRactat hoc punctum *Grotius* in quatuor thesibus, quamvis subobscurè. *Bæclerius* hanc quæstionem vocat arduam, & in hunc usque diem non expeditam.

Pufendorf censet Respublicas illas, quæ alias *mixtae* dicuntur, potius irregulares dici posse. Sed ut in hoc negotio recto pede incedamus, advertendum est

Primo, in Republica quædam pertinere ad statum ipsum; quædam ad administrandi modum. *Mixtura* in Republica tangit statum: quæ autem administrandi modum respiciunt, ibi propriè loquendo *mixtura* locum non habet; sed *temperamentum* melius dicitur, ut rectè advertit *Bæclerius*.

Secundo advertendum, vocabulum *mixtura* vel *mixtionis*, ex Regno Physico desumptum, esse nihil aliud juxta Philosophiam antiquorum, quàm duorum aut plurium *miscibilium* alteratorum unionem, unde illa in qualitatibus locum habere dicebatur. Hodie dum nova Philosophia qualitates eliminavit, & *particulas* invexit, aliter definitur. Suf-

L 3

ficit

ficit id tantum notasse, si vox mixturæ retineatur in præsentē quæstione, tum non esse concipiendam modo quodam Physico, sed partim morali, partim politico.

Unde *tertio* notandum. *Pufendorfium* non malè in locum *mixta* Reipublicæ introduxisse statum *irregularem*; sic ut illa Respublica *irregularis* dicatur, in qua nulla ex tribus regularibus formis deprehendatur. Sicut enim vox regulæ magis accedit ad *expressionem* status & *Politicum ordinem*; cum ordo justus *regularis* quoque dicatur: ita, quod ordinem non tenet in Republica ac statu, irregulare merito dicitur.

Quarto notandum, diversissima esse *morbum* in Republica & irregularitatem. Potest esse Respublica sana, & tamen irregularis: quæ autem *morbofa est*, sana dici non potest. Sunt autem morbi in Republica duplicis generis: quidam dicuntur morbi seu vitia status, ubi videlicet Leges & Instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi aut regionis; morbi autem hominum sunt, si is, qui Reipubl: præest, artibus regnandi destituitur, nullaque aut exigua cura tangitur, eamque pravorum ministrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam prostituit, prout rectè tradit *Pufendorf*.

Hæc à thesi ad hypothesin transferendo, quæstio hodie ardua est: an imperium nostrum *Romano-Germanicum* sit referendum inter Respublicas irregulares, seu mixtas; an

verò status ille sit verè *monarchicus*; ex hujus enim exempli decisione de aliis iudicium facile ferri potest. Equidem *Reinkingius*, *Henricus Henninges* & nuper *illustri Lanckerus* prolixè defendere conati sunt, statum nostrum esse dicendum *Monarchicum*: Excellentiss. Dn. D. *Schwederus* tamen cum aliis censet esse mixtum ex *Monarchia* & *Aristocratia*. *Severinus de Monzambano*, aut verius *Pufendorf*, censet esse *irregularem*.

Nos existimamus, præsentem statum Imperii Romano - Germanici nec rectè dici absolute *monarchicum*, nec rectè *morbidum*, nec *monstruosum*; sed *monarchicum* cum temperamento *Aristocratiz*, atque adeo certo sensu *irregularem*.

Rationes nostræ sunt: *primo* quia status ille non est secundum regulam perfectæ *Monarchiz*. Ad *Monarchiam* enim propriè talem requiritur, ut in una persona resideat potestas summa disponendi circa *sacra* & *profana*, condendi aut tollendi leges, sancienti fœdera, tractandi pacem, gerendi bellum: at talem potestatem absolutam non esse in Imperatore nostro, loquuntur *Capitulationes*, imprimis etiam *Leopoldina*.

Secundo partes *Majestatis* potentiales, seu jura, sunt ita divisa in Imperio, ut quædam soli *Cæsari*, quædam *Cæsari* & *Electoribus*, quædam aliis quoque *Principibus* *Statibusque* con-

junctim competant, quo ipso magna irregularitas indicatur. Nam in Republica alias regulari, sive ea sit Monarchica, sive Aristocratica, sive Democratica, Jura Majestatis censentur indivisa esse. Quemadmodum enim uni personæ in propriè dicta Monarchia ea competunt indivisim: ita in Aristocratia Optimatibus indivisim, & in statu Democratico populo pariter sine divisione.

Tertio in exercitio Jurium Majestatis ordines quoque Imperij in plurimis causis, tanquam causæ coefficientes, concurrunt cum Imperatore; sicut si ille concursus desit, actus talis, licet ab Imperatore exercitus, sit nullus ac invalidus. At ubi concursus alterius concusæ necessarius est, ibi sufficienter intelligitur, quod causa illa altera non habeat potentiam integram, seu potestatem moralem, ad productionem effectus moralis.

Neque hic nodum solvit distinctio *Lynckeri*, cum distinguit inter *causam influentem & conditionem sine qua non*. Quasi verò ordines imperij non influant in multis negotiis imperij cum Imperatore per consensum suum ut causæ; sed tantum quod consensus sit conditio sine qua non. Non, inquam, hoc sine injuria Ordinum dici, nec rectè etiam statui potest. Nam non tantum sine consensu tali actus Imperatoris sunt nulli: sed etiam per eum fiunt validi & legitimi, quod manifestò arguit

CON-

concausalitatem & coefficientiam. At conditio sine qua non nullam vim aut efficaciam habet; ut patet ex approximatione ignis ad lignum. Neque enim approximatō, quæ est conditio talis, facit, ut ignis urat; cum ustio sit effectus, unice igni & formaliter competens. Injurius est in Ordines Imperii, dum consensum ipsorum & suffragia in negotiis Imperii v. gr. in Comitibus decretis, ita extenuat & enervat, ut planè nullum effectum habeant. Conditio enim sine qua non nihil efficit aut operatur; nec etiam ab intrinseco est necessaria ad productionem effectus; sed tantum extrinsecè se habet, & aliunde etiam suppleri potest.

Cæterum si quis malit Imperium nostrum cum Bœclero statum mixtum ex Monarchico & Aristocratico, quàm irregularem vocare, in eo litem non movebimus. Quæstio mera esset de voce; nam hæc mixtura regulariter non competit formis Rerumpublicarum.

Observatio IX. ad Thes. 21.

An qui inequali fœdere tenetur, summum Imperium habere possit?

TRactat hanc quæstionem sicut & alteram de nexu feudali Grotius, ut eo magis pateat, in quo sita sit vis & Majestas ac Summitas Imperii.

Stans autem, quod fœdus inæquale nihil

L 5

mi-

diminuat de summo Imperio, & quod simul hæc duo stare possint: ubi tamen rationes haud invalidæ videntur contra militare.

Nam *primo* ubi est fœdus inæquale, ibi *ex ipsa inæqualitate nascitur quædam superioritas & inferioritas*: at ubi talis est, ibi non videtur summum stare posse Imperium; ubi enim summum, ibi nihil supra est.

Secundo fatetur ipse Grotius, quod *in tali fœdere prælatio quædam sit*, ut alter alterum comiter revereri debeat: at talis præ eminentia & prælatio præ altero iterum non videtur stare cum summitate Imperii,

Tertio in tali fœdere inæquali *alter est sub protectione & fide quasi alterius*: at constat, quod ipsa necessitas petendi protectionem alterius, aut saltem etiam utilitas, quam speramus ex alterius cura & præsidio, multum diminuat de authoritate, & sic de summitate. Quin cæcus sit, qui non videat, quod Reges qui alios protegent, eos plerumque primi opprimant. Nihil enim magis innatum est sceptris & coronis, quam vicina invadere, & latè dominari.

Pro contraria sententia nihilominus stat Grotius.

Primo quia ubicunque *populus manet liber*, & alterius imperio non est subjectus; ibi retinetur summa potestas: at in tali fœdere inæquali manet libertas.

Secundo

Secundo in fœdere tali inæquali *inaequalitas se tenet non ex parte potestatis*, sed tantum authoritatis, & dignitatis: at potest inæqualitas stare cum utriusque libertate; licet unus Rex aut populus præ altero habeat authoritatem & dignitatem.

Tertio sicut *patrocinium* privatum non tollit libertatem personalem: ita nec publicam, quæ sine summo imperio intelligi nequit.

Nos censemus *priorem* sententiam accuratissimè loqui.

SUMMA CAPITIS QUARTI.

I.

Bellum *inferiorum* respectu Magistratus supremi Jure Divino semper est illicitum; quia **REBELLIO** est, non *bellum*.

II. Injuriam nemo privatus contra superiorem potest vi & armis repellere, sed patienter ferenda est.

III. Constat id ex Juribus vet. Testamenti;

IV. Et multo clarius ex novo Testamento, quod est *fœderis* veteris expositio.

V. Exempla veterum Christianorum id etiam docent; quorum admiranda fuit constantia in adversis & *persecutionibus*.

VI. St. Junii Bruti & aliorum sententia refellitur, qui putant Magistratui inferiori, ut *Parlamentis*, licere resistere, & vim vi opponere.

VII. Neque hic periculum grave, imò ne necess-

necessitas ultima patrocinator; cum Magistratus inferior reipsa sit subditus.

VIII. Aliter dicendum est, si Rex saltem *titulum* non REM habeat, ut fuere Reges Spartanorum.

IX. Sic etiam; si se abdicavit imperio, vel Regnum pro derelicto habuit; tum enim amplius Rex non est.

X. Sic etiam, si Rex Regnum, qui illud in patrimonio non habet, abalienare velit, resisti potest à STATIBUS: Regis tamen Personæ semper parcendum.

XI. Idem dicendum, si Rex hostili planè animo sit adversus Rempublicam; tum enim tanquam furiosus tractari potest.

XII. Vel cum committit id, quo commisso & patrato *Status* regni seu populus expressè in collatione regni significavit, se illi nulla obedientia teneri velle; tum enim Rex recidit in *privatam* Personam.

XIII. Vel cum Rex violenter arripit partem, quam populus seu Status sibi in collatione Regni reservarunt.

XIV. Si in delatione Imperii dictum sit, & pacto sancitum, ut in certo eventu & casu resisti Regi possit.

XV. Invasorem licet vi repellere, dum in actu est invasionis, non postquam longa possessione jus nactus est.

XVI. Licita ergò est resistentia, quamdiu
nulla

nulla pactio intercessit, vel fides ipsi data non est.

XVII. Si ante invasionem Lex publica lata sit de occidendo quovis invasore, eo magis licet resistere.

XVIII. Aut etiam, si auctoritatem tribuit is, qui Jus imperandi verum habet ut Rex verus.

XIX. Extra hos casus invasorem vi deicere aut interficere non licet; ne in discrimen Respublica per motus cruentos veniat.

XX. Si res adhuc sit controversa ad quem pertineat Regimen, optimum est subdito, si possessionem sequatur.

Observ. I. ad Thef. 6. libr. 1. c. 4.

An Magistratui inferiori liceat insurgere contra superiorem, si sua abutatur potestate?

Hanc decidit Grotius negative contra Hottomannum, Danæum & Junium Brutum, qui vero nomine juxta Grotium est Moræus, juxta Osiandrum Paræus, juxta Bœclerum Hubertus Languetus. *Probat* autem Grotius suam sententiam

Primo ex natura subordinatorum, quia Magistratus inferior sit subordinatus superiori; ut, quicquid faciat contra voluntatem superioris, id defectum sit ea facultate, ac proin
pro

pro actu privato habendum. Et hoc argumentum censet Obrechtus fortissimum.

Secundo probat ex Scriptura 1. Ep. Petr. 2. ubi Apostolus aperte dicat, aliter esse obediendum Regi, aliter Magistratibus inferioribus, his scilicet tanquam missis à Rege, adeoque ut ab illo dependent.

Tertio ait, in populo Hebræo nunquam Magistratum inferiorem illud sibi jus sumsisse, ut Regibus vim ullam opponerent: licet multi Juris divini & humani contemtores fuerint.

Hinc sententia, præter supra citatos, sese opponunt *Feldenus, Pareus & Vitriarius.*

Rationes Feldeni sunt: primam desumit ex ipsa natura Magistratus inferioris, qui licet sit inferior, interim tantam distantiam non esse, quanta sit inter Regem & Subditos. Licet igitur subditus resistere non possit: posse tamen Magistratum propter cognatam potentiam. *Secundo* per sententiam Grotii reddi Rempublicam seu Civitatem infelicissimam; dum libidini Regis exponatur absolute: sed hoc esse Juri Naturæ adversum, quod respiciat utilitatem & commodum Reipublicæ. *Tertio* Cives hac ratione in extremam redigi servitutem.

Sic & *David Pareus* Professor Heidelbergensis licet non velit positivè asserere, quod subditis competat Jus resistendi principi Tyranno: tamen id asserit de Magistratu inferiori. *Rationes* ejus sunt: primo quia etiam Rex

Rex aut Princeps adstrictus fit ad Leges tam divinas quàm humanas, sive ad Regni sui aut Republicæ fundamentales *Deut. 17. v. 20.* Lex autem Dei non solum tyrannidem prohibeat, sed etiam jubeat legitime coercere, unde *Gen. 9. v. 6.* dici, qui sanguinem hominis effuderit, ejus sanguinem quoque per homines effundendum esse. *Secundo Imperatorem in Codice testari, se nolle, ut contra Jus decreta sua in Judiciis locum habeant; sed debere fieri irrita; si forsitan cognoscantur à Justitia secedere. Tertio Magistratum furiosum rectè amoveri ab officio auctoritate publica; & sic Nabuchodonosorem fuisse abjectum à consortio hominum Dan. 4. v. 30: pariter ergò talem Regem amoveri rectè posse, quia furioso sit similis hoc ipso; dum sit grassator in proprium corpus, hoc est, Rempubicam.*

Vitriarius adeo in affirmativam sententiam inclinatur, ut etiam *subditis meris asserat potestatem* depellendi Regem aut Principem; modo hæc duo concurrant in superiore: si primò terminos Imperii excesserit; si secundo certum planè sit, Principem aut Regem talem injuriis afficere subditos suos. Hoc enim in casu, inquit, licita est omnibus defensio, licitumque iis uti remediis, sine quibus se defendere nequeunt.

Verum NOSTRO judicio hæc omnes sententia planam viam faciunt ad seditiones; & planè adver-

adversantur Juri divino, quod Principibus & Regibus inviolabilitatem asserit.

Unde, quod *rationes Feldeni* concernit, *respondemus ad primam*, non posse competere Magistratui inferiori jus resistendi Magistratui superiori; quia per ordinem ad superiorem te ipsa se habeat *ut Ens dependens*, ut ministeriale, imò ut persona privata. Uti ergò *contra naturam dependentie est*, exurgere velle aut assurgere supra independens; uti minister, quia talis, non habet Jus supra Principalem: ita nec Magistratus inferior supra superiorem; nisi planè ordinem omnem velimus intervertere.

Ad secundam respondit dudum *Tacitus Hist. l. 16. Bonos Imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos.* Neque hoc repugnat Juri Naturæ, ut etiam malos Imperantium mores feramus. Unde verum est illud Livii, ut parentum sævitiam, sic imperantium, patienter ferendo leniendam esse. Quin Lex moralis, quæ quoad substantiam eadem est cum Jure Naturæ, præcipit in quarto præcepto, ut reverenter habeamus superiores nostros.

Ad tertiam dicimus, miseram esse quidem conditionem civium, si in malum iaciant Regem: sed hanc *miseriam patienter ferendam, & non intempestivo remedio exasperandam.*

Quod *ad rationes Parisi* attinet, & illæ solvi possunt.

Nam

Nam quod *primam* concernit, respondetur, *aliud esse*, summam potestatem *subjectam esse* legibus divinis; *aliud eam subjectam iudicio Magistratus inferioris*. Deinde *aliud est*, eam *restrictam esse* ad Leges Regni fundamentales; *aliud est*, ipsam in ordinem redigi & *coerceri posse* per vim, à Magistratu inferiori illatam. Vice-Rex Neapolitanus adstrictus quidem est ad Leges Regni Neapolitani, & ad eas, quas Rex Hispaniæ ipsi posuit: neque tamen, si eas violat, à Magistratu inferiore Neapolitano puniri potest, sed tantum ab Hispaniæ Rege. Cui ergò Reges & Principes sint Vicarii Dei in his terris: ideòque illi rationem reddere tenentur actorum suorum, non verò Magistratui inferiori,

Ad secundam dicitur, laudabilem esse equidem vocem Imperatoris, qui irrita voluit esse decreta sua, quæ à Justitia essent alienas sed propterea *non est consequens*, ergò voluit iste Imperator, ut dependeret à Magistratu inferiore; sicut illum de throno *deturbare* posset, si forsitan contra Justitiam ageret.

Ad tertiam dicitur, quod, licet Rex tyrannus sit furioso ex parte *similis: non tamen ex toto*. Nam furiosus mente captus est, & incapax ad regimen: at de tyranno dici non potest, quod mente captus sit. Julius Cæsar à Cassio & Bruto & magna parte Senatus Romani habitus fuit pro tyranno, qui tamen

M

cap.

capacissimus erat ad imperandum. Neque exemplum *Nabuchodonosoris* huc quadrat; quia ibi *singulare Judicium Dei* intercessit; tum etiam quia planè is mente captus fuit, & idoneus à Deo redditus; tum denique, quia ad sanam mentem rediens, etiam ad Imperium rediit. Neque dicitur, quod populus seu Magistratus inferior ipsum de folio deturbarit, sed ea fuit dispositio divina.

Quod ad sententiam *Vitriarii* attinet, ea planè *cruda* est. *Quis* enim amplius *Princeps tutus erit*, si licet contra eum insurgere, si terminos imperii excefferit. Aut cur hanc conditionem omisit *Paulus Rom. 13*, cum de inviolabilitate superiorum potestatum discurret; quæ tamen eo inprimis tempore maxime necessaria videbatur ob Imperatorum pessimos mores, qui non tantum Imperii terminos excefferunt, sed omni injuria Christianos affecerunt.

Observ. II. ad Thef. 8.

An, si Rex Imperium à se abdicaverit, aut habeat pro derelicto, in eum post id tempus omnia liceant, quæ in privatum?

Affirmat *Grotius*, negat *Osiander* ex rationibus, primò quia talis, qui abdicaverit Imperium, nihilominus adhuc *retineat veteris vestigia splendoris*, unde ipsum pro privato simpliciter haberi non posse.

Secundo

Secundo quia, qui ita deposuerit Imperium, populum regimine antecedaneo ita sibi devinxerit, ut iuritu eorum bonorum, quæ acceperit populus tempore regiminis, *gratitudinis & reverentia nexu* maneat illigatus.

Tertio quia, licet potestas cesset, *maneat tamen autoritas*; sicut maneat autoritas Patri, etiamsi filius sit emancipatus, & egressus domo.

Sed hæc argumenta non videntur magnum robur habere.

Non primum; posito enim, quod aliquid splendoris remaneat in tali, qui se abdicavit imperio: ille tamen *splendor qualiscunque non facit*, ut non sit referendus in numerum privatorum. *Deinde* aut ille splendor refertur ad populum, quem antea rexit; aut ad Regem successorem. Non potest referri ad Regem, cuius splendor verus absorbet facile hanc umbram. Imò sicut duo Solis splendores non dantur: ita etiam non datur duplex in regno. Si verò referatur ad populum; tum ille non efficere potest, ut non possit talis persona pro privata haberi respectu Regis successoris.

Ad secundum dicitur, plus per id non concludi, quam quod populus ex gratitudine reverenter illum habere debeat, qui se abdicavit imperio: at si ille non se exhibuit talem, ut grata debeat esse ejus memoria, quid tum dicendum erit? *Dein* non tam quærit Grotius,

M 2

quid

quid ex decentia quadam debeat facere populus, quàm quid Juris sit; *diversa* autem sunt *questiones juris & decentia*. Ad hac abdicatus ille Rex non respicitur à Grotio in ordine ad populum, sed in *respectu ad Regem successorem*, vel alium, sub cuius deinceps dominio est.

Observ. III. ad Thef. 20.

An privatus in re controversa iudicium sibi sumere non debeat, sed possessionem sequi?

Communis & vera Moralistarum sententia est, quod *in dubiis* aut rebus controversis id, quod *tutius* est, sit *sequendum*: per tutum autem intelligunt, quod à peccandi periculo est remotum.

In proposito itaque casu *rectè* censet *Author*, quod *privatus* in re controversa & dubia circa Principem *possessionem sequi debeat*, hoc est, illum pro vero Principe agnoscere, qui est in possessione.

Nam cum *supra ingenium privati* sit, momenta rationum examinare; quin nec facile eorum notitiam impetrare possit: tanto æquius est, si in re incerta id, quod certius & tutius est, sequatur. Magna laus quondam *Attici* fuit, cum Pompejus & Cæsar pro Imperio

perio certarent, & diu pendula & anceps esset fortuna, quo se flecteret. De isto enim Attico refert Historicus, quod in æquali gratia apud utrumque fuerit. Pompejus videbatur in possessione; Cæsaris autem res videbantur ampliores ob robur exercitus: hic autem Atticus cum quæreretur, cujusnam partes sequi vellet, ingeniose respondit: *præda ero Victoris.*

Cæterum uti in Civilibus non mala regula est Grotij, quod in re controversa & dubia privatus sibi sumere iudicium non debeat, sed possessionem sequi: ita *in rebus fidei hoc non procedit*; ibi enim nec possessio valet, nec præscriptio, sed veritas.

Observ. IV. ad eandem Thef.

*An ex nummo rectè redarguerit
Christus Phariseos? & an ille nummus fue-
rit argumentum atque indicium
solidum possessionis?*

Litigant circa hoc Theologi, nec pauci sunt, qui putant, nummum illum non fuisse sufficiens argumentum probandi, quod Judæi obligati fuerint ad tributa pendenda Imperatori Romano.

Nam *primo* inquit, *non est consequens*, utimur nummo, qui præfert alicujus imaginem: ergo statim illi sumus subiecti, aut te-

M §

nemur

nemur tributum ipsi pendere. Nam & *Abrahamum usum fuisse moneta Hebraeorum*; neque tamen illis subiectum fuisse.

Secundo *Judei* non tantum *Romana*, sed & *Græca*, usi fuere moneta: neque tamen exinde concludi potest, quod tum *Græcis*, tum *Romanis* fuerint subiecti.

Tertio de præsentī *utimur moneta Gallica, Hispanica, Belgica, Anglica* in *Germania*: neque tamen *Germania* his est subiecta, prout etiam hoc agnoscit *Obrecht* ad hunc locum.

Nihilominus *opposita sententia*, quod scilicet nummus ille infallibile signum fuerit subiectionis, & quod *Christus* tanquam os veritatis rectè collegerit, longè *verior est*.

Quod ut constet, sciendū, inter *Judæos* duo fuisse genera nummorum; primum genus fuit proprium *Judæis*, nempe *Sicli, didrachma, & stateres*; alterum genus fuit *Romanum*, uti erant *denarij & sestertij* &c., & in his tributa sua solvi postularunt *Romani*. Hinc *Christus* postulat, ut sibi non numisma *Hebræorum*, sed *Cæsaris* seu census, præberent. Memorat etiam *Philostratus in vita Tiberij* drachmam argenteam *Tiberii* imagine fuisse signatam. Ipse igitur nummus pretium habens ex edicto *Cæsaris*, *Cæsarisque nomen & vultum præ se ferens*, testabatur *Cæsarem* summum in *Judæam* Imperium reipsa

re ipsa obtinere; idque à Judæis, nummo illo utentibus, agnosci.

Occo aliam inscriptionem memorat, quæ fuerit hæc: *Cæsar Augustus* ex una, & ex altera parte: *capta Judæa*; quod 90 annis ante hoc colloquium cum Pharisæis factum, cum Hircanus cum suis Pompejo se dedidit.

Objici quidem poterat, ipso facto Romanos Judæis *imperare*, at *nullo jure*: sed Christus ostendit, hoc ad propositam quæstionem non pertinere. Nam cum nec quies gentium sine armis; nec arma sine stipendiis; nec stipendia sine tributis haberi queant, ut Tacitus loquitur: sequitur, ei, qui imperat, tantisper, dum imperat, pendenda tributa, ut pretium communis tutelæ, quam præstat nobis, quisquis est publici Imperii possessor.

Denique ipsi *Rabbini* & *Maimonides* concedunt, quod ubi *Regis peregrini nummus valeat*, ibi signum sit, quod subjectus sit populus illi Regi. Hinc etiam Abigaelem Davidi respondisse, cum diceret, an nescis Samuelem me in Regem unxisse: numisma Sauli Regis adhuc obtinet.

SUMMA CAPITIS QUINTI.

I

Causa efficiens Belli alia est principalis, alia
adjuvans, alia instrumentalis. Causa

M 4

princi-

principalis in bello plerumque est is, cujus res agitur: in privato privatus; in publico potestas publica.

II. *Non tantum pro sua Causa* quis bellum gerere potest; sed & pro cognatis, pro sociis & pro benefactoribus injuria affectis.

III. *Causæ instrumentales* sunt servi vel subditi.

IV. *Natura Jure à bello nemo prohibetur:* quanquam jam Clerici plerumque sunt exempti.

Observ. I. ad Cap. V. Thef. 1.

An ideo manus nobis datae sint, ut possimus esse Juris nostri vindices?

Ita asserit Grocius inquit: Naturaliter quisque sui Juris est vindex; ideo manus nobis datae.

Castigat hanc assertionem D. Oslander.

Primo quia manus à Deo datae sint homini in statu *Integritatis*, ubi non necessum fuerit Jus nostrum vindicare; cum fuerit status meræ innocentiae, pacis & tranquillitatis, ubi nemo alterum læsisset.

Secundo finem Creatoris fuisse, non saltem dare proportionem corpori humano; sed etiam naturale instrumentum ad apprehendendum utilia & necessaria, item ad laborandum in Paradiso.

Tercio statum belli esse statum ex vitio homi-

num ortum: non potuisse ergò ex prima intentione Creatoris manus datas esse ad bellum.

Quarto cum *privata vindicta semper sit in vitio*: non posse dici, ab authore naturæ datas esse manus in hunc finem; nisi velimus Deum authorem peccati constituere, quasi ipse hominem armaverit ad privatam vindictam, quàm tamen toties in verbo suo tanquàm peccaminosam rejicit & damnat.

Nos existimamus, rem facilè expediri posse ex ipso Dn. Osiandro. Nam ille ipse concedit, manus datas esse homini, tanquàm instrumentum non tantum ad bonum apprehendendum; sed etiam ad malum propulsandum tum *in statu innocentia*, tum in statu lapsus, ergò etiam datæ sunt ad defensionem sui, item ad vindicandas res suas.

Secundo non est sensus Grotij, quasi vellet vindictam privatam stabilire, in quantum illa est ultio indebita de inflictio malo; sed is *in genere* tantum dicit, quod *naturaliter* quilibet vindex sit furis sui.

Tertio prima hominis arma sunt sapientia & prudentia: illis vero non sufficientibus, ad manus, tanquàm ad *secundum genus armorum*, eundem est, ut rectè advertit Tesmarus,

Observ. II. ad Thef. 3.

*An filii & subditi rectè possint dici
Instrumenta patris & principis?*

Afferit hoc Grotius, negat Feldenus ex tri-
plici ratione:

Primò inquit, filius & pater habentur pro
una persona: ergò filius non potest dici instru-
mentum patris.

Secundo causam instrumentalem esse igno-
bilissimam: at filium & patrem esse *paris con-*
ditionis.

Tertio subditos cum Imperante *idem corpus*
constituere.

Sed *responsio facilis* est ad has rationes.

Nam *primò*, quando filius & pater habentur
pro una Persona, illud fit per fictionem
Juris Civilis; *Jus verò divinum* asserit, *filium*
debere sub obsequio paterno stare, atque adeò
obedientiam in illis præstare, quæ imperat.
At hoc jam importat rationem instrumenti;
cum ejus *uti* sit, ut agat & operetur, ut mo-
tum à principali causa.

Ad secundam dicitur, causam instrumen-
talem non in illo rigore debere sumi, ut est igno-
bilissima causarum; quanquam magna sit dif-
ferentia inter instrumenta animata & inani-
mata; *animata non semper sunt tam vilis con-*
ditionis.

Ad

Ad tertiam dicimus, subditos cum Imperante unum corpus morale constituere: sed in hoc corpore *Princeps est caput*, aut potius *anima*. Sicut ergo anima se habet in homine ut principale agens; manus verò ut instrumenta: ita etiam se habet in magno corpore Reipublicæ Princeps & Subditus.

SUMMA
CAPITIS PRIMI
LIBRI SECUNDI.

I.

C*Ausa belli justa*, si vox justitiæ propriè accipiatur, non est alia, quam *injuria*.

II. Hæ injuriæ aut nondum factæ sunt; aut jam sunt factæ. *Si injuria nondum facta* sit, & tamen intentetur: tum bellum tale vocatur *defensio*. *Si facta* est injuria, tum bellum suscipitur vel *in reparationem injurie, vel in pœnam*.

III. *Defensio justa* est etiam cum *cade invasoris*; quia *jure Natura* cuius sui conservatio commendata est.

IV. Quin, si *in statu Naturali* res consideretur, *etiam innocens* interfici potest; si aliter salvare vitam meam nequeam: at verò *juxta regulas Christianismi id non licet*.

V. *Periculum vite* debet esse *præsens*; *metus qualiscunque* non sufficit: si tamen *periculum*

culum certo appareat, poterit *invasor occupari*.

VI. Idem procedit, si periculum *mutilationis membri*, maximè *nobilioris*, imminet.

VII. *Pro pudicitia salvanda etiam licet invasorem occidere*:

VIII. Quanquam *etiam* defensionem *omittere*.

IX. *Illicitum* autem est, occidere eum, etiam si *invasor illicitus sit*, *cujus vita multis prodest*, *ex: gr: Principis*.

X. *Ad vitandam alapam* talis defensio *etiam licita est*, *spectata justitia expletrice*.

XI. *Pro rebus meis salvandis possum etiam furem occidere*:

XII. Quanquam *Lex Hebræa & Solonis* distinguat inter *nocturnum & diurnum*. Plus licet in *nocturnum*, quam *diurnum*.

XIII. *In novo Testamento* ea *licentia repressa est*.

XIV. *Lex civilis impunitatem* dans tali *cedi*, *dat eam in foro externo*, *sed non interno*.

XV. *Licet Magistratui duos*, *mortem committos*, *duello inter se committere*.

XVI. *Prævenire licet vim* nondum *præsentem*:

XVII. *Ad imminuendam tamen vicini potentiam non licet ad arma prorumpere*.

XVIII. *Defensio aliorum injusta est*, si *justo petantur bello*.

Observ.

Observ. I, ad Cap. 1. libr. 2. Th. 3.
De moderamine inculpata tutela.

Nonnulli Doctores distinguunt inter moderamen inculpata tutela, & moderamen defensionis: & dicunt, ad illud plus requiri, quam ad moderamen defensionis. Exempli gratia: si aliquem occido in defensione, quem tamen vitare potui non occidendo: tunc id me fecisse dicor, non ex moderamine inculpatae tutelae, sed defensionis.

Tria enim essentialia requiruntur ad moderamen inculpatae tutelae.

Primò ratione causae, ut alter me injustè offenderit. Nam si justè me impugnet, sive aggreddatur: tunc mea defensio est injusta.

Secundo ratione modi, ut sit proportio inter defensionem & offensionem: non tamen requiritur paritas armorum inter utrumque. Vid. Obrechtus. c. 1. n. 5. & seqq. in defens. necess. Potest enim illa imparitas suppleri aliis circumstantiis ex: gr: robore corporis, loco, arte &c. Proportio autem consistit in hoc, ut non majori utatur RESISTENTIA, quam opus est.

Tertio ratione temporis, ut sit in instanti & momento quasi periculi. Nam si intervallum intercedat notabile: tum non amplius defensio est, sed offensio potius. Et hoc locum habet

habet non tantum *in statu naturali*, sed etiam *civili*.

Quicumque ergò ita interficit alterum, qui eum invasit, ut observaverit moderamen inculpatæ tutelæ, is ab omni pœna liber est. Si verò non observaverit ex asse, à pœna tantum liberatur ordinaria, non verò ab omni; & in conscientia vulnus accipit.

Sam. Pufendorf. libr. 2. cap. 5. §. 3. etiam distinguit inter statum naturalem & civilem, ac pugnat, plus licere in statu naturali, quam civili. Id quod in foro externo verum esse potest, sed non INTERNO.

Observ. II. ad Thef. VII

An ad salvandam Pudicitiam honesta Matrone liceat violentum aggressorem occidere?

PRO pudicitia posse pugnari usque ad mortem invasoris, docet *Grotius*: cum eo sentit *Pufendorf* libr. 2. c. 5. §. 11. *Seldenus* libr. 4. c. 3.

Contrarium docuit olim *Augustinus* libr. 1. c. 5. de *Lib. Arbitrio*, & quidem ex hac ratione, quia *Virtus pudicitia amitti non possit sine proprio consensu ejus*, qui oppressionem patitur; in potestate verò cujusque esse non consentire.

Augustini sententiam tenet ex *Moralistis Ludovicus Molina*, qui ait, mulierem relutando

Etando ac se continendo à consensu laudabilius
facere, quam si interficiat oppressorem.

Dn. D. Osiander Augustini sententiæ pari-
ter subscribit, maximè ex ea ratione; quia pu-
dicitia sit *virtus animi*, non corporis; ani-
mum autem *lædi non posse*.

Nos existimamus pœtantorum Virorum,
pudicitiam non in animo tantum, sed & in cor-
pore residere; unde qui virginitatem in cor-
pore lædit, pudicitiam quoque lædit. Et
cum virginitas præcipuum decus, dos atque
integritas sit in fœminâ: non videmus, cur
non *excusanda sit in foro Soli Virgo, quæ in foro
Poli & Conscientiæ in nostra sententiæ est excusa-
tissima*. Quæ enim ex pio quodam zelo non
admittit, ut alter libidinem suam sceleratam
expleat in corpore virgineo & casto; sed ta-
lem nebulonem potius interficit: *pro honore*
non tam suo quam *DEI pugnât*, qui ipsam
custodem suæ dotis posuit. Quin tale factum
Heroicum Virginis non minore loco habemus,
quam illud *Pinehæ*, quod ipse *DEUS* multis
laudibus & beneficiis coronavit.

Rectè *Pufendorf libr. 2. c. 5. §. 11:* In Civi-
tatibus cum Legislatores rectè potuerint capi-
talia supplicia in violentos stupratores con-
stituire: singulis quoque honestis fœminis
potuerunt permittere, etiam cum cæde tueri
id, quod semel amissum recuperari nequit.

Observ. III. ad Thef. II. cap. 1.

An liceat furem interficere ad res suas conservandas?

HOc punctum grave est, & à Moralistis quoque tractatur: & quidem *haud pauci* sunt *Theologi*, quos inter etiam est Scotus, qui *negativam* defendunt. Et *Scotus* quidem provocat ad *Augustinum* *libr. 1. de Civit. DEI c. 21.* asserentem, Deum in Lege sua de non occidendo fecisse quasdam exceptiones, quibus liceat hominem occidere; ubi consequenter significat *omnem aliam eadem illicitam esse, quae in Lege DEI excepta non sit.* Unde infert *Scotus*, quod consuetudo patriæ, secundum quam fures suspenduntur pro furto simplici, sit iniqua & contra Jus Divinum, adeoque abolenda; *maximè in Lege Evangelica*, quæ sit Lex mansuetudinis & misericordiæ. Multò ergo minus censet, privato licitum furem occidere.

Alii affirmativam defendunt, quod nempe, sicut Magistratui licet furem suspendere, ita etiam privato liceat furem talem occidere, pro rerum suarum conservatione.

Ex hac sententia stat *Gregorius Saurus* in *Clavi Regia libr. 9. c. 15.* *Leonhardus Lessius de Just & Jur. libr. 2. c. 9. De Lugo disp. 10. sect. 9.*

Molina Tom. 4. de Just. & Jur. disp. 16. Ferd. Vasquez Controv. illustr. libr. 6. c. 18.

Alii

Alii distinctionibus utuntur, sub quorum auxilio utramque sententiam componi posse contendunt.

Ceterum hic ante omnia, quod forum attinet humanum, advertendum esse censemus, quod ratio habenda sit duplicis status, in quo homo est constitutus; quorum alter dicitur Naturalis, alter Civilis, adeoque pro actionum suarum norma Leges habens vel naturales, vel civiles.

Considerando statum naturalem, certum id est, quod ejus primum fundamentum sit, ne quisque se, vitam suam ac membra, defendat ac tueatur. Hoc JURIS est communis, & nobiscum nati. At quia frustra aliquis jus ad finem habet, nisi etiam media concedantur; inde consequitur, quod quisque facultatem quoque habeat utendi illis mediis, sine quibus vitam suam conservare nequit. Talia autem media sunt alimenta, aliaque ad vitæ sustentationem necessaria Bona, que si quis mihi eripiat, censetur VISCERA ipsa eripere. Videatur Carpzov. proc. Crim. p. 1. q. 32.

Porro in effectu parum vel nihil interest, an directè quis alterum occidat; an ea, sine quibus vitam sustentare nequit, violenter eripiat. In statu ergo Naturali furem alimenterum, sive eorum, quæ ad vitam necessaria sunt, occidere possum.

N

Tertio

Tertio Regula illa juris communis est, quod nemini faciat injuriam, qui jure suo utitur. Unde quicquid oritur ex defensione rerum mearum, id non defensori imputandum, quasi Jura Societatis violasset; sed invaluori est tribuendum, quia se temerè alter nocendo in periculum conjecit.

Denique non imbellis est Molina ratio de Just. & Jur. Vol. 4. pars. 3. disp. 2. dicentis: Si pro defensione bonorum exterorum illicitum esset interficere aggressorem injustum: iniqui audaciores fierent ad diripiendos justos; miseraque in ea parte esset conditio justorum; idque caderet in maximum detrimentum boni communis, quod non est admittendum.

At verò per statum civilem res limitationes accepit; neque enim Civitas vel Respublica in ordine & tranquillitate subsistere posset, si cuivis è civibus ob privatam injuriam, cujuscunque ea nominis sit, hostilia reponere liceret. Non itaque alia civibus circa res suas defendendas competit licentia, quam Legibus civilibus est determinata, ut rectè docet Pufendorf de Jur. Nat. & Gent. lbr. 2. cap. 5. Nec malè Quintilianus declam. 13. Nos, inquit, ideò Magistratus Legesq; à Majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris sit vindex; & assidue scelerum causa se refellant, si ultio crimen imitabimur.

Quare quotiescunque Judicis copia est, nemo in Statu civili sibi ipsi Jus dicere debet; etiam

NON

non in furto, nisi desit tempus Judicem ad-
eundi, atque res servari non possit, si in con-
tinenti non fiat propulsatio. Et hoc vult lau-
datus paulo ante Pufendorf, docens, *Leges ci-
viles injurias, quæ ad res reparabiles tendunt, à
privatis per vim extrinsecam repelli nolunt, cum
per vires publicas facili negotio & citra tur-
bam reparari possint, quæ extra civitates ab invisitæ
non nisi per bellum obtinentur.*

Observ. IV. ad Thef. 17.

*An ad imminuendam potentiam
crescenti Vicino recte arma inferantur?*

Metus crescentis in vicino potentiajus dare
non potest, ad bellum inferendum, si nulla
alia ratio subsit. Nam si incrementum tale ni-
hil habeat ex injustitia; v. gr. si per matrimonia
vel hereditates Regis alicujus potentia crescat;
uti ex, gr. Domus Austriaca maximè tempore
Maximiliani ita crevit, & summa augmenta
accepit; quis hinc diceret, quod talem Princi-
pem liceat oppugnare, præcisè ex eo, quia
ejus potentia crescit. Nulla species hinc juris
prætendi potest.

*Secus se res habet, si Rex aliquis, vel Res
publica, vicinos ex mera libidine latius impe-
randi armis invadat: Sicut v. gr. Rex Gallia
præsens Hollandos Ao. 1672, oppugnavit;
quibus devictis; facile ipsi fuisset Imperium
in totam Europam occupare, prout procul
dubio*

dubio in animo quoque habuit. Hic sanè justus jam metus Imperatori & Hispanis fuit, ad inferendum bellum Galliae Regi; quia immensa ejus ambitio, instar bestiae voracis, ad se trahendo, satis jam ex aliis quoque patebat.

Itaque recte vicino succurro, si accessione ejus suam augere potentiam adversarius conatur, ut eo commodius me debellaret; nostra enim res agitur, paries cum proximus ardet. Ei itaque opitulando, propriae securitati optime & honeste consulimus. Sic Romani toties sociis tulere auxilium, eorumque suscepere etiam defensionem; ne, subactis vicinis, ad se tandem deveniret belli calamitas, & cedere nimis auctae potentiae cogarentur. Sic & alias gentes fecisse, testantur Scriptores. *Arbitratur*, inquit Thucyd. lib. 6. aliquis nostrum, remotiore vicino jam subverso, non deventuram in se quoque calamitatem? Sic, teste Sonora, Romani bellum Phylippo Regi intulerunt, ne, Graecia, impari ad resistendum tantae potentiae, subacta, se moveret in ipsos. Sic Campani pro Sidicinis arma ceperunt, ac tandem Romani utriusque defensionem susceperunt. Quippe cum Campani magis nomen ad praesidium sociorum quam vires attulissent: & ipsi, pulsi in agro Sidicino, in se deinde molem belli verterunt, ita ut ab Romanis auxilium petere coacti sint pro se & Sidicinis. Pro Sidicinis pugnasse, testantur eorum legati, missi ad Roma-

Romanos, qui verbo, re, pro se: *cum videremus*, ajunt, *finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti*, & *ubi conflagrassent Sidicinos, ad nos trajecturum illud incendium*. Ubi notandum, quod injusta vocentur arma, quæ intulerant Sidicinis Samnites. Liv. lib. 7. c. 29. Ex hujusmodi belli inferendi causa Campani satis perspiciebant, Samnites nihil aliud spectare, quam, debellando finitimos populos, imperii propagare fines, & gloriam augere. Hinc itaque justus ipsos metus inceserat, ne, subactis vicinis, ad se belli calamitas deveniret tandem. Itaque suadebat communis salutis & securitatis ratio, imminuendam crescentem Samnitium potestatem junctis viribus, quod eorum nimis auctæ, debellatis vicinis, potentia resistere impares essent.

Observ. V. ad Thef. 14.

An liceat Magistratui graviores pœnas dictare, quam Lex Divina sancit? atque adeo an liceat furem suspendere, vel interficere?

GRAVISSIMA hæc est quæstio, non tam in Foro externo, quam interno, & à Doctoribus variè tractata. Grotius Scotum, Doctorem illum subtilem, sequitur, & putat non licere, si pœnæ usque ad vitam extendantur. Quod ideo mirum videri potest, quia aliàs

Grotius in ea est sententia, quod Leges Hebraeis à DEO datæ, & maximè forenses, neminem alium populum obligent, quam ipsos Hebræos.

Dn. Kulpifius in Colleg. Msc. ita loquitur: *Summa Potestas potest extendere terminos Juris Naturalis; Jus autem Naturæ vult, ut delicta puniantur, & quidem graviora gravius. Sed Modus, pœnæ relictus est summis potestatibus, qui deinde pro Rerumpublicarum conditione, vel delictis grassantibus, possunt exasperari & mitigari.*

Ad argumenta Grotii contraria respondet Kulpifius. Ad primum quidem, cum dictus Grotius ait, *fas non esse, quemquam ad mortem damnare, nisi ob delicta, qua LEX, per Moysen data, morte punivit;* ad hoc, inquam, respondet, *Legem non esse Causam efficientem pœna, sed potestatem summam:* hanc autem propter quodvis delictum habere jus vitæ ac necis; cum sit *JUS MAJESTATICUM*, ubicunque ergò hæc Majestas sit, ibi etiam tale jus esse.

At verò hæc responsio planè inanis videtur. Non enim *questio est Hugoni Grotio, an Lex sit Causa efficiens pœnæ, sed hoc, an MAJESTAS humana, quæ à DEO dependet, & quæ plus JURIS non habet, quam ipsi à Divina Majestate est concessum, possit pœna mortis delictum afficere, quod DEUS justissimus Judex in Legibus suis sanctissimis non voluit.*

Unde

Unde nos *censemus furtum longè melius posse puniri, per pœnas corporis AFFLICTIVAS, licet non VITÆ ABLATIVAS: ex. gr. si talis fur damnetur ad operas publicas per unum vel plures annos, aut etiam ad tempus vitæ; aut pro quantitate furti, si præter operas singulis septimanis vel mensibus publicè quoque per lictorem vel carnificem castigetur. Talis enim pœna fines pœnarum longè melius attingeret quam suspendium; esset enim in emendationem delinquentis & in exemplum aliorum, ante quorum oculos talis fur non laboraret tantum publicè, sed etiam fustigationem sustineret,*

SUMMA
CAPITIS SECUNDI
LIBRI SECUNDI.

*De his quæ hominibus communiter
competunt.*

I.

Dupliciter aliquid nostrum est; vel cõmuni Jure hominum, vel nostro singulari

II. Jus cõmune cum exordio rerum & hominum cœpit; DEUS enim primo nostro Parenti, & cum eo toti posteritati, Jus contulit in res omnes inferioris naturæ, ut patet ex tabulis divinis *Gen. 1. v. 29.*

Nota. An unquam fuerit COMMUNIO vel positiva, ut videtur velle *Grotius*, vel negativa, ut *Puffendorf* censet, lis est inter eruditos.

N 4

III.

II. Mare juxta Grotium ita commune & liberum est, ut ne possit in proprium Jus abire; id quod *Saldenus* & alii negant.

IV. Sunt nonnulla, quæ fieri possunt propria, licet nondum talia sint: ut sunt loca inculta, feræ, pisces.

V. Interim, qui Imperium habet in terras & aquas, lege impedire potest, ne talia acquirantur; ut de feris pene jam ubique invaluit.

VI. Habet etiam proprietas acquisita suas observationes, ut: quod in summa necessitate cesset, reviviscente naturali communione; nec vim faciat, aut furtum committat, qui eo casu rebus, ut communibus, utatur.

VII. Ubi tamen cavendum, ne fiat, nisi ubi alia ratione subveniri necessitati nequeat.

VIII. Deinde, ne permittatur, cum possessor est in pari necessitate.

IX. Denique, ut, si possint, restituantur ablata; cum jus utendi talibus restrictum ad id videatur.

X. Pater autem hinc, occupari locum in pacato, nefas esse, nisi periculum ab hoste aliter evitari nequeat, fiatque eo animo, ut, cessante necessitate, restituantur.

XI. Altera proprietatis acquisitæ observatio est, quod cesset, cum potest utilis esse aliis, sic ut proprietario per id nihil decedat.

XII. Sic flumen, à populo occupatum, commune est ad potum.

XIII.

XIII. Et terræ marisque pars propria facta communis est ad transitum ob justas causas, qui transitus tamen prius postulandus. Neque denegari potest ob metum, qui jus alterius non tollit, & declinari potest, si inermes datisque obsidibus transmittantur. Pertinet hoc & ad merces, etiamsi ex eo lucri quid decedat illi, cujus regionem transeunt, cum hoc pro damno nequeat haberi.

XIV. Nec vectigalia fas est imponi, nisi ob securitatem eis præstitam, aut commoda præsertim onerosa.

XV. Pertinet huc quoque jus morandi ad tempus ex justa causa, & ponendæ momentaneæ causæ.

XVI. Etiam habitatio perpetua expulsis alicubi debetur; si imperium constitutum subeant; & id agant, quo seditiones evitantur.

XVII. Quin & locus, si quis superest, desertus, i. e. talis, qui omnino non colitur.

XVIII. Commune jus ad actus datur vel simpliciter, vel ex suppositione. Simpliciter ad eos, sine quibus vita commode duci nequit.

XIX. Sic emere necessaria, jus est commune omnibus, nisi possidens ipse illa re indigeat, quæ emenda.

XX. At non vendere, quia liberum esse cuique debet, acquirere quid, vel non.

XI. Item ducere uxores, commune est jus, quod negari nequit indigentibus. Quod si peregrini-

peregrinis negatum, factum id vel ob copiam mulierum apud alios, aut ad certum genus matrimonii ac legitimum pertinuit.

XXII. Ex suppositione datur, si communiter quibusvis permittitur; tunc enim unus populus sine injuria excludi non potest, nisi delictum præcesserit.

XXIII. Permissio autem intelligitur eorum, quæ debentur ex jure naturali; non eorum, quæ dantur per beneficium, ex relaxatione legis specialis.

XXIV. Pactum interim cum alio populo de non, nisi sibi, vendendis certis mercibus non illicitum; si, qui emunt, vendere velint aliis justo pretio; neq; nefas lucrum alteri prævertere, licet LL. civiles Monopolia fere prohibeant.

Observ. I. ad Thes. I. & 2. cap. 2.

LIB. II.

Quodnam fuerit proprietatis & domini exordium? & an unquam Communio Bonorum fuerit?

TRactat Grotius in hoc capite secundo nobile illud punctum de exordio domini, quod quidē etiam jam tetigit L. I. cap. 2. thes. I. ubi & nos sententiam nostram diximus: sed nunc plenius est dicenda. *Assertit autem Grotius primo, Deum humano generi generaliter jus*
contra-

contulisse in res inferioris naturæ, ut quisq; arripere potuerit ad usos suos, quod vellet: durare etiam potuisse hunc statum, si homines vel in simplicitate prima permansissent; aut in mutua charitate. Statuit itaque *ab initio rerum omnium fuisse communionē. Secundo* asserit, *post lapsum* hominis variis artibus ac studiis **AMBITIONEM & DISCORDIAM primum divisisse terras in gentes.**

A sententia Grotii non videtur abire *Testamentus*, ut cernere est in notis. *Ex Patribus* haud pauci sunt in eadē sententia. *Chrysoſtomus cap. 6. Luc.* ait: A Deo percepimus omnia: quod autem dicimus Meum & Tuum, mendacii sunt verba; & *in oratione de S. Philogonio*, agens de vita beata, inquit: Auferetur ibi adversa valetudo, morbi, peccandi materia, ubi non est Meum ac Tuum, frigidum illud verbum, & quicquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella. Sed & *Ambros. off. lib. 1. c. 28.* natura, ait, omnia omnibus in commune protrudit, sic enim Deus jussit generari omnia, ut partus omnibus communis esset, & terra foret omnium communis quædam possessio. Natura igitur Jus commune generavit, usurpatio Jus fecit privatum.

Pufendorf lib. 4. cap. 4. §. 2. distinguit *communionem Honorū*, atq; aliam dicit esse *positivam*, aliam *negativam*: *positivam* illam non admittit, sed *negativam*. *Negativam* ait consistere

In eo, quod Deus concesserit homini *ius* quoddam *indefinitum ad ea omnia*, quæ in terra sunt, aut terra producit, sicut homo potuerit ea ad usus suos applicare. Negativa dicitur hæc communio, quia res ejusmodi fuerint nullius: indefinitum verò Jus vocatur, quia modus utendi hoc Jure, ejusque intensio & extensio, arbitrio ac dispositioni hominum à Deo fuerit relicta. Unde *porrò* ait Pufendorf: Res per nullum Dei expressum mandatum factas fuisse *proprias*, aut communes communionem scilicet positivam; sed hoc *relictum fuisse dispositioni hominum*, ut scilicet super hoc disquirerent, quod societati & tranquillitati humanæ quàm maximè sit conveniens. Denique ait, *Adamum non habuisse definitum dominium*, sed *tantum indefinitum* in res inferiores; neque id formaliter, sed concessivè; non actu, sed potentia; quin nec jus Adami dominium rectè dici posse, quamdiu solus fuerit.

Dn. Kulpifius in Colleg. Grotiano pag. 26. utramque communionem & positivam & negativam rejicit, tanquàm figmentum, scholasticum; quod nec fuerit unquàm, nec possibilis sit, non solum postquàm homo lapsus fuerit, sed & si in statu integritatis perseverasset. Unde *putat, proprietatem originariam cepisse* non occupatione aut divisione hominum; sed *concessione Divina*; quin tandem in eam cum *Obrecht* senten-

sententiam descendit, ut dicat, primævam orbis in diversa Imperia partitionem *Lege Nature præceptam esse.*

Hausit ista citatus Dn. Kulpisius maximè a *Bœclero*, qui in *Comment. ad Grot.* per multa argumenta ostendere satagit, Communionem Bonorū nec unquam fuisse, nec possibilem esse. Unde ait p. 22. *proprietatem & dominium certissimum factum esse juris naturalis, juris hominum mentibus inscripti, adeoque divini.*

Primum argumentum sic ipse format p. 43. Quod jus à primo rerum hominumq; ortu appetentiam alieni vetuit, furtumq; interdixit, illud proprietatem constituit. At Jus naturæ primævū aliena appeti, aut furto subinvereri vetuit: ergò Jus naturæ proprietatē & dominium constituit. Major clara est Bœclero; furtum enim nullum est, ubi nihil proprii; alieni nihil est, ubi omnia sunt communi. Minorem probat, quia non furari est ipsum præceptum Juris naturalis, ut mentibus hominum inscriptum, ita in decalogo expressum.

Secundo si talis status communionis esset: ille ne per minimum temporis spatium durare potuisset; fuisset enim *nature rationali & sociali contrarius.*

Tertio ait, post lapsum homines nunquam potuerunt sine Lege vivere, ut esset vita socialis; igitur nec sine distinctione dominiorum. *Illam enim communio Bonorum pugnat cum Lege,*
 que

quæ assignare & distribueres possidendas solet.

Quarto posita communione Bonorum non daretur certa *Reipublica forma*, id est, civitas non esset civilis; nec societas esset socialis. Societas enim civilis ordine imperandi parentique, certa que ejus ordinis forma continetur.

Quinto Charitas luculentius apparet in *Communicatione eorum*, quæ propria sunt, quàm citra proprietatem: ergò distinctio bonorum etiam in eo statu locum habuisset, ubi summa fuisset Charitas, hoc est, in statu Integritatis.

Sed respondet ad hæc argumenta *Pufendorf*,

Ad primum, non omnia *furis Natura Objecta* statim cum illa *Lege* extitisse; cum multa demum ex conventionem & institutis humanis demum provenerint. Ita *Legem de homicidio* objectum non invenisse Adamo solo existente; neque *Legem de adulterio*, nullo existente præter ipsum adultum; nec *legem de falso testimonio* ante judicia constituta; neque *legem de non concipienda domo*, cum nulla adhuc domus existeret; neque *legem de honorandis parentibus*, antequàm *Eva* peperisset. Videantur etiam quæ dicta sunt supra.

Ad secundum respondet, communionem illam in actu quidem signato consideratam durare non potuisse; nisi homines perpetuo voluissent esurire, & nudi ambulare: potuisse autem cum aliquo temperamento proprietatis; quam

quamdiu neque maximus hominum numerus existeret; & iidem vitam simplicem agerent. Unde etiam quo magis numerus hominum augeri cœptus fuerit, eo majorem fuisse necessitatem res proprietati subjiciendi. Porro ait, quando asseratur, natura omnes res negativè fuisse communes: non hoc dici, quasi Jus naturæ præcipiat, ut iste status rerum perpetuo conservetur; sed quod res consideratæ citra ul- lum antegressum factum humanum tales fue- rint, ut non magis ad hunc quàm ad illum per- tinerent.

Ad tertium dicit, non omnes Leges dominia rerum præsupponere, itaque illas potuisse ob- servari. Operosiore quidem Legum apparatu opus esse post divisa dominia rerum; cum ante paucis legibus genus humanum regeretur: ipsam autem *communione simplicem* duntaxat ac parum veluti digestam vitam, non tamen planè *ex legem & infocialem efficere.*

Ad quartum quàmvis Pufendorf non re- spondeat: existimamus tamen dici posse, il- lud contra Pufendorffium non militare. Ille enim *non asserit, Communione illam negati- vam durare potuisse etiam in magno hominum nu- mero: sed hoc tantum dicitur, quod res, prout à Deo primitus productæ fuerint, nullius, & indefinitè concessæ Generi humano fuerint; ut penes homines postmodum steterit, an res il- las*

las distinguere per dominia velint, an in communione positiva vivere.

Ad quintum dicitur, Charitatem fore perfectissimam in actu & habitu in altera vita: non tamen ibi fore distinctionem dominiorum. Ad hæc nondum probatum est, quod in statu Integritatis fuerit distinctio dominiorum. Et huic sententiæ etiam nos subscribimus.

Observ. II. Cap. II. Lib. II.

Quo modo & ordine, seu per quos introducta fuerit rerum divisio?

AD hoc punctum respondet Grotius, factum id fuisse pacto quodam aut expresso, ut per divisionem; aut tacito, ut per occupationem: neque dissentit ab hac sententia Pufendorf.

THEOLOGI altius ascendunt, & primum divisorem Adamum faciunt, & dicunt, cum Deus res produxerit in prima rerum creatione, condito & creato jam homine ad imaginem & similitudinem suam; probabilissimum esse Deum Parenti nostro primo dedisse positivum & actuale Dominium totius Orbis; & consequenter ad eum pertinuisse, autoritate sua paterna res omnes inter filios suos dividere; nec ipsos sine voluntate parentis potuisse aliquid usurpare; atque ita fuisse per continuatam successionem filiorum & parentum continuatam etiam rerum divisionem.

Et

Et sanè hic modus videtur *natura* maximè *conueniens*. Nam *Adamus Caput* fuit Generis humani *naturale & morale* : unde etiam conueniens erat, ut dominus quoque esset rerum omnium. Ad illum enim tanquàm ad dominum specialiter Deus adduxit omnia animantia; sic & specialiter illi dicta fuere illa verba: *Ecce dedi vobis omnia Gen. 1.*; deinde hoc etiam expediebat *ad vitandas dissensiones inter filios Adami*. Unde Patres dicunt, Deum totum genus humanum produxisse ex uno homine ad unitatem & charitatem commendandam; ergò simile censendum est de dominio rerum.

Confirmari id potest ex eo, quod *Epiphanius hæres. 66. & Augustinus serm. 113. aliique* referunt: *Noam post diluuium distribuisse mundum in tres partes inter tres filios; & Jurejurando illos obligasse, ut nullus eorum partes alterius invaderet. Idque idè fecisse videri, quia per diluuium rerum dominium revocatum & reductum fuerit ad Noam, tanquàm ad restauratorem Generis humani; unde ad ipsum pertinuisse rerum divisionem. Idemque à fortiori credendum esse de Adamo primo Parente Generis humani. Unde tertio assertio nostra manifesta satis evadit. Nam quia Adamus & Noa Parentes fuere omnium, qui in terra tunc morabantur; nec supra se quenquam superiorem agnoscerent præter Deum! ad eos tanquàm Parentes pertinuit Jure naturali regimen Ge-*

O

neris

neris humani; eisque tanquam parentibus filii obligatione naturali & Jure divino obtemperare tenebantur. Hinc probabilissimum est, in principio Generis humani *coepisse hanc divisionem rerum in filiis Adami*. Nam Gen. 4. dicitur *Abel obtulisse Deo meliora ex grege suo*; ubi manifeste proprietatis & divisio intimatur: *Cain* verò dicitur *ædificasse civitatem*, & eam tanquam *propriam vocasse ex nomine filij Henoch*. Unde à fortiori id verum erit de ipso Adamo.

Ceterum si hæc sententia nimis Theologica videatur: dici posset, divisionem *ante diluvium* factam fuisse *ex communi hominum consensu*; non quod fuerit necessaria positiva conventio, aut consensus quasi actu signato, ut loquuntur Philosophi; sed potius quædam non-repugnantia & tacitus consensus. Quandoquidem in actu ipso exercito homines dividebant & occupabant res, *aliis non repugnantibus*, imò in id consentientibus; ita ut postea nullus posset sine injuria talibus rebus privari, quod in rebus mobilibus facilius fuit, & ideo de his magis legitur in genere, quamvis etiam in rebus immobilibus suo modo locus habeat.

Post diluvium verò dici haud improbabiler potest, divisionem factam esse *conventionem positivam inter filios Noachi*. Nam Genes. 10. hoc satis manifestè insinuari videtur, ubi narran-

tur divisiones gentium & populorum, quæ à filiis Noachi factæ sunt; ibique v. 25. dicitur, filium Heber vocatum esse *Pheleg*, eo quod in diebus ejus divisa sit terra. Et inferius v. 32. dicitur: Hæ sunt familiæ filiorum Noæ juxta populos & nationes suas, ab his divisa sunt gentes in terra post diluvium. Et hoc modo postea à patribus ad filios divisio hæc derivata est. Sic etiam *Gen. 13.* orto jurgio inter pastores Abrahami & Lothi, Abraham quæstionem dedit Lotho, ut dextram vel sinistram oligeret. Et hæc sententia cum Pufen-
dorffiana coincidit.

OBSERVATIO II.

Quonam jure facta sit hæc rerum divisio?

Hoc punctum non immeritò excutitur ob summam affinitatem cum præcedentibus. *Difficultas* autem consistit in eo, quia ex una parte divisio videtur facta fuisse *jure naturali*. Nam *Lumen naturale Intellectus dicitur*, necessariam omnino esse post peccatum rerum divisionem ad pacificum hominum statum & tranquillitatem Republicæ conservandam. Illud autem communiter dicitur esse *Juris naturalis*, quod ratio & lumen naturale Intellectus dicitur: de jure ergò naturali rerum divisio videtur. Quod porro *confirmari potest*

ex sententia *Bœcleri* & Theologorum. Nam si præceptum *de non furando* Juris est naturæ, & primi hominis inscriptum cordi, quod necessario supponit rerum divisionem & proprietatem: tum etiam ipsa divisio ab eodem fonte Juris Naturæ dimanabit. Porro de Jure naturæ est, quod ea, quæ nullius sunt, sint primò occupantis, uti dicitur *in Instit. de rerum divisione* §. 12; sed prima rerum divisio facta fuit per *occupationem*: ergò rerum divisio facta est ex Jure naturali.

Ex alia tamen parte videtur esse *Juris divini*. Nam si *Deus primum nostrum parentem constituit possessorem orbis*, eique arbitrium divisionis concessit: tum origo ejus ad Deum refundi debet. Nam & illa *divisio divina* fuit, cum terra promissionis *Canaan* per sententiam *Judicariam* abjudicata fuit antiquis ejus possessoribus *Cananitis*, & tradita *Israelitis*: sic & *jure divino Regnum Israeliticum David tenuit*, cum illud *Saulo* à Deo fuit abreptum.

Nos in hoc puncto ita censemus, quod *juxta hypothesein*, quam quisque tenet de prima constitutione rerum, sit respondendum.

Nempè *Bœclerus*, *Obrechtus*, *Kulpisius* & *Theologi* communiter necessario vi suæ hypotheseos tenentur asserere, quod *divisio rerum originarie sit Juris Natura*, & sic etiam *Juris divini*.

*At Pufendorf & alii, qui asserunt, primitus res fuisse à Deo productas sub communi-
negativa, illi tenentur asserere, quod nec Jure
divino nec Naturæ facta sit divisio rerum, sed Jure
humano, aut Jure Gentium. In qua sententia etiam
est magnus Moralistarum numerus, ut Ludovicus
Molina de Justit. part. 1. tract. 2. disp. 20.
Dom. Bannez. in pramb. de domin. artic. 1.
Petrus Navarr. libr. 3. de restit. Gregor. de Va-
lencia. Tom. 4. disp. 5. Sor. libr. 4. de Just.*

Quod enim facta non sit *vi Juris naturalis*,
constat; quia, stando in Jure naturali & con-
stitutione rerum prima, *omnia sunt communia*,
ut fert hypothesis. Deinde sic sequeretur,
contra naturam esse communionem rerum,
adeoque *praxis Apostolica* in primitiva Eccle-
sia *militasset contra Jus Naturæ*, quod sine in-
genti absurdo nemo admittere potest.

Sed neque facta est divisio hæc *Jure divino*;
quia non extat tale Jus in *Scripturis*, neque ex
illis colligi aliquis locus evidens potest, in quo
præceperit Deus hominibus, ut res inter se di-
viderent. Quin imò potius scriptura refert,
omnia in communi & indifferenter concessa esse
hominibus à Deo; ut constat ex illo *Gen. 1:*
Crescite & multiplicamini, & replete terram,
& subjicite eam, & dominamini piscibus,
quod indifferenter ad omnes homines pertinet;
&c. Et ecce dedi vobis omnem herbam &c.
Et similiter post diluvium *Gen. 9.* dicitur:

omnia Deus in communi tradidit Noë & filiis ejus.

Sed neque Jure Civili facta est prima rerum divisio; quia ante omne Jus scriptum facta est rerum divisio prima. Habuerunt nempe Cain & Abel bona divisa: *J. filii* etiam Noë Gen. 11. provincias inter se divitas habuerunt: item Abraham & Loth ad pacem inter se conservandam sine ulla Lege civili, solis ductu rectæ rationis, judicantur, similiter oportere terras & greges & possessiones inter ipsos dividi.

Restat igitur, ut divisio hæc facta *J. & JURE GENTIUM ET COMMUNI CONSENSU POPULORUM*, prævio tamen lumine & instinctu rationis. Cum enim natura hominis post peccatum corrupta sit, & inclinata magis ad bonum proprium, quàm ad commune; & insuper agri colendi sint, & alenda pecora, ut sic necessaria hominibus ad victum & vestitum suppeditari possint; commodius autem ista fiant, si possessiones & agri dividantur, & approprientur, quàm si maneat in communi: communi Jure & consensu gentium & populorum conclusum fuit, ut agri, possessiones & dominia dividerentur. Consentit cum his Augustinus Patrum doctissimus, qui late id docet tract. 6. in Johann.

Hæc autem, quæ diximus, procedunt primò de rerum divisione in communi. Etenim divisio rerum particularis & earum appropriaciones

riones particulares, scilicet quod hic ager sit
 hujus hominis, hæc villa alterius, hoc re-
 gnum hujus gentis &c. id factum est partim
 Jure Gentium, partim Jure Civili. Siquidem
 post peccatum, ut diximus, ante omne jus ci-
 vile scriptum homines ductu rectæ rationis
 quædam inter se diviserunt, quibus postea
 plures earum rerum divisiones accesserunt, quæ
 Jure Civili & Principum atque Imperatorum
 constitutionibus factæ sunt. Sicut nunc etiam
 omnis rerum & Jurisdictionum divisio, quæ
 de novo fit, Jure Civili seu positivo fit. Un-
 de citatus ante Augustinus ait: *Quo jure defen-
 dis villas Ecclesie? divino aut humano? Divi-
 num jus in divinis scripturis habemus, huma-
 num in Legibus Regum. Unde quisque possidet,
 quod possidet? nonne jure humano? nam Jure
 Divino domini est terra & plenitudo ejus, pau-
 peres & divites: Jure ergo humano dicitur hæc
 villa est mea, hic servus est meus, hæc domus
 mea est.*

*Secundo procedunt ista de rebus externis; si-
 quidem dominium, quod unusquisque ha-
 bet in suas proprias actiones liberas, in famam
 & honorem, dominium etiam paternum,
 quod habent parentes in liberos, & vir in ux-
 orem ac familiam, hæc, inquam, omnia Jure na-
 turali divisa sunt, ut constat.*

Dicta hæc sunt hætenus supposito lapsu.

Nos enim existimamus contra Bœclerum

& affectus, in statu Innocentia non necessariam fuisse eam rerum divisionem. Tunc enim per donum Justitiæ Originalis summa erat rectitudo in appetitu sensitivo, qui lubentissime sequebatur ductum rationis; ratio autem respiciebat Deum, & Legem divinam sequebatur: unde in eo statum nullus se ipsum inordinato amore diligebat, sed omnes mutuo amore & charitate se complectebantur, & communia propriis bonis præferebant, prout reætatio & Lex divina requirebat. Rursus in illo statu non indigebant homines vestibus, justitia originali omnium oculos pudore & honestate replente; neque domibus & ædificiis opus habebant, quippe quod nulla in Paradiso esset Cæli injuria. Insuper in illo statu absque labore terra affatim suppeditabat hominibus necessaria; &, si qua esset cultura, illa sine sudore fuit, animo potius grata, quàm molesta. Ad quid ergò necessaria fuisset divisio, ubi omnis & perpetua affluentia sine defectu.

Vid. *Cornel. Jansenius* in August.

Dn. Witsius in Oecon.

Martinus Esparza de Artieda.

Seb. Izquierdo de Paradiso.

SUMMA
CAPITIS TERTII
LIBRI SECUNDI.

I.

Exposito ure, in res communiter competente, Grotius pergit ad Jus, quod nobis competit in id, quod nostrum est; nostra autem sunt singulari jure ea, quæ acquisivimus.

II. Acquisitio hæc est vel originaria, vel derivativa. Originaria juxta Grotium fiebat olim vel per *divisionem*, vel occupationem.

III. Duo autem occupari possunt, Imperium & dominium. Imperium propriè est in Personas, dominium in Res.

IV. Quanquam autem spectato Jure naturæ præcisè dominium non cadat, nisi in ratione utentes: Jus tamen Gentium etiam in hoc infantibus & furiosis præspexit, ut & illis *dominia* in res competant; sustinente eorum Personam Genere humano juxta Grotium; aut verius **ÆQUITATE NATURALI**.

V. Flumina & Maria à populis occupari possunt; licet quoad mare dissentiat Grotius.

VI. Flumina indubie censentur quoad *medietatem* Imperia distinguere.

Observat. I. ad cap, III.

Thes. I.

An acquisitio Originaria facta sit per divisionem, vel occupationem?

Grotius existimat acquisitionem Originariam fieri vel per *divisionem*, vel per *occupationem*. Guil. van der Myelen contra asserit, Originariam non posse fieri per *divisionem*; cum omnis Rei *divisio* jam præsupponat proprietatem; sed tantum per *occupationem*.

Vellem, inquit, ut quis mihi describat, qua ratione **DIVISIO** rei institui queat, cujus *dominium* ac proprietatem non habent *dividentes*. Quippe cum *divisio* nihil aliud sit, quam partium cujusque assignatio & distributio facta, conjuncta cum domini translatione; nam eo tendit *divisio*, ut quis suam habeat portionem separatam ab alterius portione, cujus usus sibi soli inserviret cum exclusione alterius: oportet eos, qui *divisionem* instituunt rei, quæ dividitur, habere proprietatem rei dividendæ.

Verum enim verò Dn. van der Myelen ratio nobis non sufficit; nam exempli gratia in *communione negativa*, quæ à Pufendorfio defenditur, nec à Mylio negatur, res primo nullius erant; deinde per *divisionem* potuerunt in proprietatem venire, sicut per *occupationem*. Et Zieglerus rectè dixit, etiam hodiè dari posse

posse talem acquisitionem Originariam per divisionem; quatenus scilicet nova possunt occupari terra, & singulis postea dividi per assignationem. Etsi enim divisio ista ab occupatione prævia dependere videatur: est tamen ea saltem singulorum istorum, & domini privati respectu modus originarius.

Nec obstat his, quod excipit Mylius, quod expressè à Zieglero occupatio præcedanea ponatur divisioni. Aliud enim occupatio quasi vaga & indeterminata, quæ nullam proprietatem adhuc importat: aliud determinata, ratione cuius dicere possum, hæc res est mea; & hæc dominium ac proprietatem infert.

Observ. II. ad Thef. 4.

An Imperium occupari possit ea ratione, qua alia res, qua Nullius sunt.

A sserit hoc Grotius in th. 4. inquit, in his, quæ propriè Nullius sunt, duo occupabilia esse, nempe Imperium, & dominium, quatenus Imperio contradistinguitur.

Sed reprehendit hoc Guil. vander Myelen: Satis, ait, mirari nequeo Grotii errorem, dum Imperium etiam ponit in numero eorum, quæ occupabilia sint, quia Nullius sunt. Nullum enim legitimum in personas Imperium originario modo nobis acquirere possumus. Omnes enim homines sibi

sibi æquales sunt; quare alter in alterum sibi Imperium vendicare nequit, nisi consensu & voluntate alterius accedente.

Verum in hoc discursu notamus primo, nimis generaliter asserere Mylium, quod omnes homines natura sibi æquales sint. Nam si ad primordia rerum & hominum abeamus, constabit, quod ab initio statim fuerit *inequalitas*. Nam primus noster Pater statim habuit superioritatem, tum naturali, tum divino Jure in Conjugem; majorem adhuc habuit in posteritatem suam, quæ ad septem usque secula, in maximo numero ipsum, ut Parentem & Rectorem venerari debuit, nec quisquam tam naturale & vastum Imperium tenuit quam ipse.

Id tamen concedimus Mylio, quod, facta separatione hominum, & maxime post confusionem linguarum Babylonicam, ubi in diversas quasi partes & familias abiit, Imperium non potuerit occupari *legitime* modo originario.

Nam occupatio modo Originario requirit, ut id, quod occupatur, sub nullius Jure sit: at non potest de homine dici, quod NULLUS sit, gaudet enim proprio Jure *libertatis*, quæ ipsi ex se Naturalis est; unde æqualitas quoque inter homines est *Naturalis*. Quare Occupatio hominum nunquam acquiri potest modo videlicet originario, nisi per consensum. Si
autem

autem per *violentiam* fit occupatio : tum non est vera *occupatio*, quatenus significat *modum* acquirendi *originarium* rei, possessione omni *jure* alterius vacuz, ut rectè & erudite docet laudatus Mylius. Quippe ipsa violentia argumentum est *Juris* alieni in re occupata, quod alteri vi detrahitur, & propterea *nullius* esse dici nequit.

Aliud dicendum in *dominio*; res enim possunt esse *nullius*; & proinde per *occupationem* alicujus fieri, quod nunquam de personis prædicari potest. Omnis enim homo, si non amplius est sub patria potestate, aut est *Sui Juris*; aut *Jus proprium*, quod aliàs *Libertas* dicitur, in alium transtulit. Nullus ergò hominum unquam fuit, de quo dici potuisset in *sensu proprio*, quod sit *NULLIUS*.

Observ. III. ad Thef. 6.

Quomodo infantes sint capaces domini?

Questio hæc est ardua & multis controversiis obnoxia : an infantes sint capaces domini?

Ubi primo est notandum, Grotium asserere, neminem esse domini capax, nisi qui ratione utitur. Et hanc sententiam traxisse videtur ex *Moralistis*; ita enim *Lessius libr. de Just. & Jur. libr. 2. cap. 4.*

Quod

Quod soli Creatura rationali competat dominium, ex eo est; quia fundamentum dominii est intellectus & libera voluntas, que soli Creatura rationali insunt. Quod probatur primo, quia illud est fundamentum dominii, per quod homo habet potestatem disponendi de rebus suis; hanc autem habet per Intellectum & Voluntatem, qui per hac immediate habet potestatem in suos actus, & per suos actus in res externas. Secundo quia ratio domini includit potestatem liberam, & ordinationem in finem aliquem.

Quæstio itaque est, cum rationis usum non habeant nec infantes nec furiosi, an & quomodo dominii capaces sint;

Hic itaque cum Grotio lubentes asserimus, quod infantes non sint capaces ad DOMINIUM ACQUIRENDUM, per modum acquisitionis *Originarie*; nam certum est, quod ad hanc requiratur mens & intentio affectusque habendi, vid. *Dn. Kulpisius, in Colleg. Mstco.*

Dn. Pufendorf, idem dicit lib. 4. cap. 4. de Jur. Nat. & Gentium, sic enim loquitur: Illud certum est, infantem & furiosum, quibus usus rationis deest, non posse ORIGINALITER acquirere dominium alicujus REI, seu per immediatam occupationem aliquid suum facere. Causa est, quia ad dominium hoc modo acquirendum necessaria est intentio acquirentis, quod velit hanc rem in posterum habere pro SUA; & simul

ut intelligat, istum aptum esse, ut ipsi Jus exinde nascatur.

At verò alia quæstio est, si non de originario, sed *derivativo* modo instituat. Et hic putat Grotius, quod infantes ideo capaces sint dominii; quia earum Personam sustineat Genus humanum, quæ ratio nimis remotè quæsitæ est, & displicet quoque *Kulpisio in Colleg. Mstto.*

Guil. van der Myelen ex eo derivat; quia infantes etiam gerant Imaginem DEI Creatoris, quæ involvat capacitatem ad dominium in res creatas.

Nobis fundamentum quærendum videtur primò in ipsa naturali æquitate; nam illa dicit: *Quod tibi non vis fieri, id alteri non feceris*, & in hac Regula est perfectissima æquitas. At verò nemo adultus veller, ut sibi infanti bona possessa fuissent erepta, tanquam incapaci dominii.

Secundo etiam illud ex naturali fonte fluxit, cum etiam in Jure Civili dicitur; quod afflicto & misero non addenda sit major afflictio: At vero infantem miserum esse, & furiosum afflicto nemo negabit; cum neuter curam rerum suarum gerere idoneè queat. Cur ergò major miseria & afflictio ipsis erit addenda, per ereptionem bonorum suorum sub prætextu, quod non sint capaces dominii,

Observ. IV. ad Thef. 12.

De flumine, quo jure occupari possit?

Grotius in hac thesi distinguit inter flumen & aquam profluentem. Ubi sciendum, quod per flumen intelligatur certum atq; integrum aliquod quasi corpus, quod suis limitibus est inclusum, ac ripis circumseptum, & alveo contentum; ita ut quemadmodum alveus est pars terræ, quæ ab utraque parte fluminis est, & proinde in ditione & potestate cujusque populi aut Principis, intra cujus territorium fluit, est, ac proinde licet injicere molem, & quæ nascuntur in flumine, ejus sunt vi supremæ Jurisdictionis.

Addit Guil. vander Myelen ad hanc supremam Jurisdictionem vim *dominii Eminentis*. Verum, ut supra ostendimus, dominium eminentis longè est alterius naturæ, quam suprema Jurisdictio; hæc enim fundatur in suprema potestate, cujus effectus ordinarius est Jurisdictio; at verò *dominium Eminens* est aliquid aliud, & exurgit tantum NECESSITATE publica suadente. Occupatur ergò flumen ab occupante & possidente territorium, non verò ab exercente dominium Eminens.

SUMMA.
CAPITIS QUARTI.
LIBRI SECUNDI.

I.

Usufucapiendi non à Jure Civili est introductum, sed fundamentum habet in Jure naturæ & Gentium.

II. Quin & in Jure divino, nam etiam Jephtha ad illud provocavit; & apud Historicos passim prostant exempla.

III. Unde in nostra Sententia fundamentum talis Juris est, salus & tranquillitas publica

IV. Causæ tamen externæ suasoriæ esse possunt,

1. Ut hominum negligentia circa res suas coarceatur.

2. Ne dominia sint in incerto.

3. Ne lites in immensum crescant.

4. Præsumta derelictio.

V. Hinc patet, Usucapionem non tantum inter subditos unius populi, sed diversarum quoque rerum publicarum, sed etiam inter diversos populos liberos, ac reges locum habere.

VI. Quin etiam nondum natis jus suum tacite per derelictionem talem potest decedere, atque adeo contra eos valet Usucapio in sententia Grotii, & spectato jure Gentium.

VII. sed non Jure Civili, quia nondum Natorum personam sustinet Lex.

P

VIII. Prin-

VIII. Principes non tenentur Legibus suis juxta Grotium, quos condidere, de Usucapione; nullus enim princeps intelligitur per Leges à se latas sibi vincula injicere voluisse.

Observ. I. ad Cap. IV. Libr. 2.
Thes. 1. 2. & 3.

*An possessio ex usucapione tuta sit
in Conscientia?*

Pranotandum hîc est, non queri de Foro externo, an Lex illa justa sit, quæ Usucapionem inter homines instituit quoad Justitiam illam externam; sed quæstio est de foro interno & Conscientiæ, an absque consensu Domini res ab alio teneri queat ob præscriptionem temporis à Lege definiti.

Guilielm. Amesius in tract. de conscientia lib. 5. c. 4. id negat, ex sequentibus rationibus.

Nam primò, aut, qui usu capit, est possessor mala fidei, hoc est, ut sciat aut opinetur, rem possessam non esse suam: aut est possessor bona fidei. Si prius, tum illa usucapio manifestè repugnat Juri Naturæ, & sic furibus quoque conceditur dominium rei furtivæ, tantummodo propter moram restituendi; Si verò sit possessio bonæ fidei, tum illa possessio nihil habet, quod non sit in mala fide, præter opi-
nio-

nionem falsam possessoris, quod res sit sua. Hæc autem possessio nullum justum titulum dominii potest afferre in foro Conscientiæ, præsertim postquam per veritatis manifestationem fuerit sublata, & contraria scientia locum habet, qua novimus, rem, quam possedit, fuisse alienam,

Secundò, nulla justa causa afferrì possunt, quare præscriptio bonæ fidei dominium transferat;
Tres tantum rationes solent allegari,

Primò, ne dominia rerum sint incerta,
Secundò, ne lites sint infinitæ.

Tertiò, ut puniatur socordia & negligentia hominum in suis bonis procurandis.

Sed primò omnes istæ rationes æquè militant pro possessione malæ fidei, ac pro illa, quæ bonam fidem habet conjunctam. Deinde prima & secunda ratio non pertinent ad forum Conscientiæ, sed ad Externum tantum, ubi propter illas denegari forsan actio potest vero Domino post exactum tempus lege definitum. Tertia Causa non est vera; Nam Lex præscriptionis non est pœnalis propriè; tum enim dominium non amitteret prior Dominus, neque usucapiens acquireret ante sententiam latam &c.

Contra alii asserunt usucapionem non tantum licitam esse Jure Civili, sed etiam fundamentum habere in Jure Naturæ & Gentium,

atque aded Conscientiam per eam planè non lædi.

Probant hoc primò, *ex Ratione perpetua & homini connaturali*, quæ vult, non res solum hominum sed & ipsos homines subditos esse humanæ societati; ut utilitati bonoque communi subveniant constanter & perpetuo; & sic etiam iis, quæ ob id necessariò constituta sunt, justè pareant. At verò Lex usucapionis & præscriptionis tendit ad utilitatem publicam, conservat societatem communem: Jure ergò ipsi parendum est. Quid enim magis inimicum est societati, quàm lites & jurgia circa dominia rerum? quid magis destrueret commune illud vinculum inter homines, si dominia rerum in incerto essent? Unde benè *Cicero offic. 3.* communis utilitatis derelictio contra naturam est; est enim injusta. At contra communem utilitatem tenderet, qui ex societate humana tolleret Jus usucapiendi.

Secundo, in *Jure Gentium* fundamentum habere hoc Jus patet ex eo: quia sicut per illud discreta fuere rerum dominia, necessitate boni publici exigente; ita idem Jus usucapionem instituere potuit ex eadem Causa utilitatis & necessitatis. Et quod de facto ita instituerit, probat praxis perpetua, non à Grotio tantum, sed etiam ab aliis per exempla ostensa.

Tertio non malè Grotius & Hugo de Roy *ex Jure divino*, usucapionem deducunt; *speciatim*

ciatim ex *Jud. c. 11. v. 26. 27. 28. & 29.* Illic enim recensetur, quod cum Ammonitæ arma moverent adversus Israelitas, ad repetendas veteres Sedes, Jephtha Israelitarum Judex & Dux Ammonitas repulerit præscriptione longissimi temporis, nimirum exceptione ex possessione 300. annorum orta. Justè quidem, ut ipsi videbatur, ob rationem principalem Usucapionis; nam, inquit, cur tanto tempore non inquisivistis in Sedes & Regiones vestras *v. 26.* injusta arma adversus nos sumitis, non enim peccavimus contra vos. Dominus Deus noster Judex sempiternus, Judex sit hodie inter vos *v. 27.* At cum Rex Ammonitarum eam præscriptionem non admitteret, *v. 28.* Pro Judice imploratus DEUS Ter Op. Max, qui, punitis Ammonitis, confirmavit Israelitas in possessionis causa, eosque in ea præscriptione tutos voluit. Voluntatis ac sententiæ divini Numinis indubitatum signum fuit, quod sententiam per Spiritum S. executioni mandarit *v. 29.* & Ammonitæ, ut rationibus ita & armis victi fuerint; in manus enim & potestatem Israelitarum venere. Ubi sanè factò ipso Jus præscriptionis ab ipso Deo approbatum fuit.

Ad rationes iraque Amesi respondetur;

Ad primam quidem, utique ad usucapionem essentialiter bonam fidem requiri; sine illa enim usucapio & præscriptio nullum locum

habet: valdè autem *decipitur Amesus*, cum putat *bonam Fidem Titulum facere* in Usucapione; cum illa qualitas potius Usucapionis non ipse titulus sit, qui est vel Emptio, vel Donatio, vel alius aliquis. Est autem Bona fides nihil aliud, quàm tranquilla conscientia, quæ toto tempore continuatur per leges ad præscribendum constituto, ubi possessor existimat, se esse verum dominum; Unde is, qui rem ita possidet, toto eo tempore dicitur eam bona fide possidere. An verò non solum mala fides superveniens, quod res sit aliena, sed etiam dubitatio, num aliena sit, impediat hanc bonam fidem, atque ad eò invalidam reddat, specialiter infra determinabimus.

Ad secundam dicitur, non has tres solum rationes, videlicet, ne dominia rerum sint in incerto, ne lites crescant in infinitum, & ut puniatur socordia hominum in rebus suis conservandis, allegari pro fundando jure usucapionis: Sed *super esse adhuc alias*.

Nempe *primo juxta Dn. à Kulpis*. præsumptam prioris domini derelictionem, atque inde secutam alterius occupationem.

Secundo juxta Pufendorfium tacitam conventionem gentium, quæ uti pacis causa dominia introduxerit, ita etiam jus usucapionis.

Tertio juxta Petrum de Arragona, Ledesman, & Johannem Medinam, radicatur in dominio Eminente potestatis publicæ, qua dominia ex causis

causis Bonum publicum tangentibus, transferre potest ab uno in alium.

Ad exceptionem tertia rationis rectè respondet Pufendorf p. 645. Præmarium Scopum legis de usucapionibus non fuisse, fontes multare; sed ut ne propter incerta, & in suspenso hærentia dominia civitates perturbentur: Et si ex consequenti fiat, ut, cui ob vindicationem diu neglectam actio deinceps denegatur, damnum aliquod patiatur. Deinde pœna propriè dicta rationem non habet exclusio ab aliquo commodo, quod non nisi vigilantibus & rerum suarum satagentibus expositum est. Hæc Pufendorf.

QUÆSTIO

An dubitatio superveniens, num res sit aliena, vel non, impediatur bonam fidem, atque adeo in validam reddat præscriptionem?

HOc punctum equidem non examinatur à Grotio; nos tamen existimamus illud necessarium esse, ad profundam materiæ de Usucapione & Præscriptione notitiam ubi duas sententias doctorum invenio.

Prima est eorum, qui tradunt, si dubitatio sit ab initio possessionis, tum præscriptionem non valere; at verò non tolli bonam fidem per ejusmodi dubitationem supervenientem. Quamvis

enim, qui dubitet, non possit bona fide incipere rem possidere, & præscribere; si tamen à principio incipiat possidere BONA FIDE, & sine ulla dubitatione; licet postmodum superveniat dubitatio, qua quis hæsitat, an res quam possidet, sua sit, nec ne; non tolli bonam fidem, nec impediri præscriptionem. In hac sententia est *Joh. Medina* de reb. rest. 917. *Covarruvias* in reg. pass. part. r. §. 7. *Ludov. Molina* Tom. 1. de Just. & Jur. dis. p. 63. Prior pars hujus sententiæ haud dubiè vera est; quia bona fides necessaria est ad præscribendum, tanquàm fundamentum justæ possessionis & præscriptionis. Ergò si hæc statim ab initio deficit, sicut *deficiente fundamento nihil potest superadificari*, ita deficiente bona fide nihil potest præscribi. Porro sic dubitans, si rem retineat, manifesto reus fit peccati; quod apud Paulum legitur *Rom. 14*, ubi ait: *quicquid non est ex fide*, hoc est, ex certò & non hæsitante dictamine Conscientiæ, illud est peccatum; at talis possessio est sine tali dictamine. Quod alteram partem attinet, quidam ex moralistis distinguunt, & dicunt dubium esse duplex *speculativum & practicum*. Speculativum esse, quoties quis mente & animo dubitet de re aliqua, quoad ejus qualitatem & conditionem. Practicum verò esse, cum quis non solum in Genere de Conditione rei dubitet, sed etiam an ei liceat agere actum illum.

Ex-

Exemplo rem illustant & dicunt: Si miles dubitet, an bellum sit licitum, tum illud dubium esse speculativum, & cum hoc tamen posse militem belligerare; quia ex altera parte Judicium possit esse practicum sine dubio, videlicet jubentè principe sibi militandum. Si ergò speculativè tantum dubitet possessor, tum illum sine dispendio Bonæ fidei posse rem tenere; Nam in dubio tali valere regulam: In dubio meliorem esse conditionem possidentis.

No sexistimamus, cautè in hoc negotio esse procedendum, ne propter possessionem Rei temporalis æternitatis possessionem amittamus.

Censemus itaque primo, quod qui bona Fide rem possidere & præscribere incepit, (in quod necessarium esse ad possessionem & præscriptionem rei inchoandam modo ante dictum) & postea temporis progressu dubitat probabiliter & rationaliter, an res illa sua sit, nec ne, is obligatur ad diligenter inquirendum, an res sit sua, an alterius. Alias enim possidendo & retinendo indubiè peccat; affectata enim erit ignorantia, quæ præscriptioni legitimæ locum non concedit. Itaque hoc ipso, quo quis probabiliter de re aliqua dubius est, tenetur, ut dictum, diligentiam omnem adhibere, ut rei veritatem inquireat, & ut deprehendat, quis nam sit verus dominus rei, de qua dubitat.

P 5

tractum

tractum vel conventionem facit, de qua dubius est, an liceat, nec ne, is vel tenetur omninò abstinere ab eo actu, vel diligenter se ipsum aliosve peritos consulere, quid Leges ad justitiam illius actus requirant; alioqui temerè actum ageret, & peccaret, dum se exponeret periculo agendi illud, de quo dubius est, an peccatum sit, nec ne.

Grave hîc *monitum* est *Lactantij libr. 3. c. 13.* *Nullus temeritati in talibus negotiis locus esse debet. In aeternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut opinio falsa, aut persona inanis nos deciperit.*

Ex quo ipso colligitur, qui post debitam adhibitam diligentiam adhuc dubius est, an res quam possidet sua sit, an alterius, ipsum *tuta Conscientiâ possidere non posse*, atq; adeo præscriptionem locum non habere. Nam talis possidet dubius *Œ anceps, an peccatum committat, vel non*, imò verè agit contra Conscientiam dubiam, & necessàrio peccat, ad minimum quia se exponit periculo peccandi, juxta illud *Ecles. 3.* Qui amat periculum, peribit in illo, ubi communiter Moralistæ cum nostris Theologis illud periculum intelligunt de periculo peccandi, de quo videatur. *Johannes Major in 4. dist. 15. Soto in libr. 4. de Just. q. 5. art. 4. Martinus Ledesma. 2. 18. art. 1. Ludov. Lopez. part. 1. Instr. Consc.* At qui rem possidet, de qua dubitat, an sit sua, vel aliena

na facit opus, de quo dubitat, an sit peccatum *mortale*; talis enim dubitat, an detineat rem alienam, vel non; cum tamen rei alienæ detentio prohibita sit in septimo decalogi mandato, ergò mala fide detinet & possidet.

Secundo bona fides est illa, ut sæpe diximus, qua quis existimat rem esse suam: sed eo ipso, quod quis dubitat etiam in *Cursu Usucapionis* & præscriptionis, an res sit sua, *desinit existimare, rem esse suam*; dubitans enim neutri parti assentitur, sed in utramq; partem pendulus est & ambiguus; unde per dubitationem interrumpitur bona fides ad præscriptionem necessaria.

Denique per talem Dubietatem læditur & vulneratur *Conscientia*, ut constat; cum tamen bona fides idem sit quod bona *Conscientia*.

QUÆSTIO

Quis titulus necessarius sit ad præscribendum?

ETiam hæc quæstio pertinet ad plenam hujus materiæ intelligentiam, & à moralistis tractatur.

Est autem *Titulus* nihil aliud quàm *radix* & *origo*, unde rei dominium & *fus oritur*.

Duplex autem dici potest: *Vernus* scilicet, & *presumptus*.

Titu-

Titulus verus est vera radix dominiū aut Juris: Præsumptus est, quando præsumitur vera radix, & tamen re ipsa non est. Exempli gratia, qui bona fide rem emit, aut illam dono accepit ab eo, cujus illa non est, credens tamen illum esse legitimam dominum Rei illius: talis emtio aut donatio, quàmvis non sit sufficiens causa & radix ad transferendum dominium, licet traditio accesserit, interim, dum bona fides adest, possidere censetur ex titulo, qui licet in se non sit verus; est tamen præsumptus.

Ad præscribendum igitur non est necessarius verus titulus; cum is, qui rem hic possidet, verè dominium, aut quasi Dominium, vel jus in Re habet; ac proin non indigeat præscriptione ad rei dominium acquirendum: sed satis est Titulus præsumptivus. Sic si is, qui rem ex titulo donationis aut permutationis possidet, probabiliter credat, rem fuisse ejus, qui illam vendidit, aut permutavit: erit præsumptus titulus, qui licet ex se insufficiens sit ad transferendum dominium; sufficiens tamen est ad præscribendam rem certo tempore, eaque de causa dicitur transferre posse rei dominium.

Cæterù multo magis requiritur ad præscribendum bona fides, quàm titulus, ut rectè observat.

Covarruvias in regul. possess. p. 2. Michael Salen, tract. de dominio, Potest enim locum habere

habere præscriptio sine titulo, sed nunquam sine bona fide. Quanquam enim in præscriptione decem vel viginti annorum, quæ ordinaria est & Civilis, tituli allegatio & probatio necessaria sit, in præscriptione tamen triginta, quadringenta aut plurium annorum de Jure Pontificio & Cæsareo, titulus non requiritur, sed tantum bona fides.

Observ. II. ad Thes. 12.

An Lex de usucapione & præscriptione prodesse possit Subditis contra principem?

Pro affirmativa parte stant quidam Jurisconsulti, ut Cravetta de antiq. temp. part. 4. Menoch. Conf. 2. n. 71. atque alii; Ex his potissimum rationibus, quia primo Lex de usucapione & præscriptione fundetur in *Jure Gentium*, quodque aded non solum sit obligatio subditorum sed & principum.

Secundo tacitum hic esse *consensum* Principis, qui rem aut Jus dereliquerit subditis.

Tertio ait Gronov. rationem Grotii in Contrarium planè esse nullam, quod scilicet se per modum Legis nemo obligare possit, adeoque nec Princeps; quanquam enim Legem ferat de Usucapione, principem tamen sub illa non comprehendi, Hanc, inquam, rationem

nem Gronovius pro falsissima habet, cum Princeps se obliget Lege, dum Legem ferat.

Nos existimamus si quæstio sit *de Juribus*, quæ ad Principem spectant, nullam ibi præscriptionem locum habere.

Primo enim omnia ad præscriptionem *requisita deficiunt*; nam subditus est subjectum inhabile ad præscribendum; obsequium enim & tributorum solutio injuncta est ipsi Jure divino.

- *Secundo* res præscribenda est juxta *Commercia* subditorum & ejusmodi, ut à subdito possideri nequeat: ac sine possessione nulla datur præscriptio.

Tertio subditus nunquam potest esse in bona fide, dnm invadere & præscribere vult rem, quam scit divina & humana Lege ad se pertinere non posse, ut sunt Jura ad principatum spectantia.

Aliud dicendum videtur *in materia Contractuum*; ibi enim Princeps non spectatur ut Princeps, sed *ut persona quasi privata*.

Observ. III. ad §. 15.

Quanam res præscribi non possint?

Grotius in ultimo paragrapho tangit eam quæstionem, quænam res præscribi non possint; & adducit exemplum de iis, quæ sunt *meræ facultatis*;

Nos

Nos pro supplemento dicimus : Primo quasdam res præscribi non posse, propter earum *nobilitatem*; Ut sunt res DEO dicatæ, & quæ ad cultum illius pertinent, ut sunt templa, sacella, cœmeteria, vèstes sacræ, cinerum conditoria. Item res religiosæ, res publicæ, ut plateæ, forum, pontes, publicæ viæ, &c. & generaliter, quæ non sunt in commercio hominum, seu bonis privatorum. Si enim nemo earum potest esse Dominus, quomodo poterit *præscriptio* locum habere, cum *præscriptio* sit adjectio dominii.

Secundo non præscribuntur *Res vitiosa*, ut res furto vel vi ablatæ. Quamdiu *vitium* non purgatur, adeo quidem, ut, etiamsi per mille manus ambulasset, semper Dominus à possessore eam vindicare possit, nullo restituto pretio, præterquam expensis in sustentationem v. g. animalis factis, ut tradit Justinianus in Inst.

Dixi, *quamdiu vitium non purgatur* quod pluribus modis fieri potest; primò si fur evaderet hæres illius, cui furatus: Si secundo, res ad dominum suum reversa fuerit, post furatum; vel etiam cum dominus eam furi venderit,

Porrò non possunt præscribi res, quæ Testamento prohibentur abalienari. Justitia ejus notata est à Legislatore *l. fin. §. 3. C. Communia de legatis*: ubi dicitur, *ut nec Usucapiones*

nec longi temporis præscriptio, contra legatarium, vel fidei commissarium procedat.

Tertio; *Res pupillares*, tam mobiles, quam immobiles, ne quidem longissimo tempore præscribuntur, & hîc favor pro pupillis, sicut in æquitate naturali fundatur ita ab Imperatore per Legem est firmatus. In *lege 3. c. de præscript. 30. annorum.*

Huc pertinent etiam *Minores.*

Quarto apud *Jctos fundus dotalis* etiam præscribi non potest, ut legitur in *L. 15. ff. de fundo dot. &c.*

Vid. Lud. Molina tract. de Just. & Jure.

Observ. VI. ad eandem Thef.

Quando dormiat præscriptio?

HÆc quæstio etiam pertinet ad supplementum Capitis hujus. Est autem dormitio, seu interquiescentia præscriptionis, quando *præscriptionis cursus sistitur* quidem, sed, ita ut elapsa tempora non omnino quasi in nihilum recidant, sed ut cessante *Causa dormitionis*, priora & jam elapsa tempora (tempore dormitionis subducto) cum posterioribus conjungantur, & ex istis *una fiat præscriptio.*

Primo itaque dormire dicitur *præscriptio*, tempore grassantis pestis, nam cum illo malo grassante, quilibet potius opus habeat meditatione mortis, & præparatione, ut cum spe
melio-

melioris vitæ, exeat ex hac moralitate; neq; alius per momentum quasi tutus sit, ratione vitæ; unde stolidum foret, multas curas habere, de bonis temporalibus. Adde quod eo tempore plerumque fora omnia cessent, ne quis Jus suum querere possit. Hinc jure in eorum tristi articulo præscriptio dormire dicitur.

Secundo, bello sæviente, & hostilitate, pariter præscriptio dormire dicitur; nam ut alias inter arma silent Leges; ita etiam illæ de præscriptione. Unde *Can. prim. action. 16. q. 3. in fine.* Non erit objicienda præscriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.

OBSERVATIO V.

Quomodo interrumpatur Præscriptio?

DUplex est species interruptionis, *Naturalis & Civilis*; naturaliter interrumpitur præscriptio, quotiescunque post eam rectè inchoatam aliquid ex substantialibus deficit; v. gr. *bona fides, titulus, possessio, &c.*

Civiliter interrumpitur, non tantum per sententiam condemnatoriam, sed etiam per *litis contestationem*; imo etiam in quibusdam casibus, per *citationem*. De quibus videantur *Moralistæ, & Jurisconsulti.*

SUMMA
CAPITIS QUINTI.
LIBRI SECUNDI.

*De acquisitione Originaria Juris
in Personas.*

I.

JUS originariè in Personas acquiritur, ex Generatione, consensu & delicto. Ex generatione acquiritur Jus Parentibus in liberos; ita tamen ut Jus mariti sit potius & majus.

II. Tria in liberis sunt tempora, primum est infantia & imperfecti judicii. Secundum crescentis judicii, ita tamen ut filius maneat pars familiae. Tertium Judicii perfecti, cum filius ob maturam ætatem excedit è familia.

III. In primo tempore omnes actiones liberorum sunt sub dominio Parentum. In secundo illæ actiones subsunt, quæ ad familiam paternam statum pertinent.

IV. Unde in utroque hoc tempore jus coercendi pertinet ad Parentes.

V. Jus paternum ita naturaliter inhæret, ut avelli non possit. Potest tamen pater in Casu necessitatis oppignorare & vendere filium.

VI. In tertio tempore filius evadit sui juris, manet tamen obligatio reverentiæ.

VII. Interim Leges Civiles seu voluntariæ possunt hæc Jura dilatare, vel restringere.

VIII. AL.

VIII. Alterum Jus Originarium est ex *consensu* vel consociatione. Illud est in Matrimonio.

IX. Naturali jure putat Grotius licitum esse plures uxores ducere; & Polygamiam prohibitam tantum esse Lege Evangelica. Male!

X. Ad Valorem Conjugii requiritur consensus Parentum, licet id neget Grotius: quamvis eum supplere queat magistratus.

XI. Gradus prohibiti in Jure divino, fundantur in naturali verecundia, quæ turpitudinem naturalem, in facto præsupponit.

XII. Quæ Lege Civili prohibita sunt matrimonia, non faciunt ea invalida, sed poenâ subjiciunt.

XIII. Præter societatem Conjugalem, sunt etiam aliæ, quæ sunt vel publicæ vel privatæ. Utraque hoc habet, quod pars major obliget singulos: manifeste enim iniquum foret, ut pars major sequeretur minorem.

XIV. Jus originarium *ex consensu per subjectionem*, est ex subjectione vel privata, ut per *abrogationem*, quæ tamen jus potestatis patriæ non transfert plane in alium.

XV. Item *per deditionem in servitutem perfectam*; quæ nihil aliud continet, quam perpetuum debitum operarum pro alimentis & aliis vitæ necessariis.

XVI. Jus vero vitæ ac necis non dat naturaliter, etsi Jus Civile alicubi cædibus servitorum dat impunitatem.

Q 2

XVII.A

XVII. At in iis, qui in servitute nascuntur, res se aliter habet, nam cum liberi non nisi ob necessitatem alimentorum dentur à parentibus in servitute, unde jus domini habent in eos, non ex consensu, sed tantum pro præstitis vitæ necessariis diu ante, quam pro iis exhibere possent operas. Quod si Domini sævitia sit immanis, fugere licebit, ne Apostolo quidem invito, qui adversus eos solum agit, qui servitute omnem negabant.

XVIII. Est & *imperfecta servitus* in diem, aut sub conditione, ut libertorum, glebæ adscriptorum, mercenariorum.

XIX. Ex *subjectione vero publica*, cum populus se alii, uni aut pluribus dedit; estque hæc subjectio vel plena perfecta que, vel minus.

XX. Est & jus ex subjectione *sine consensu* per delictum, quo quis meruit libertatem amittere, & redigi in servitute, non privati solum alicujus, sed totius populi, qualis perpetua est servitus, cum illa sit personalis, utraque interim perfecta pro modo delicti.

Observ. I. ad Cap. V. §. I.

De Origine Juris Parentum in Liberos.

Quamnam sit origo Potestatis & Imperii Parentum in liberos, variè sentiunt Doctores

res. Quatuor autem sunt principales in hoc puncto sententiæ.

Prima est Hobbesii, qui asserit, quod in statu Naturæ ille sit dominus liberorum, in cujus potestatem primò liberi veniant: Et hac ratione Puerperam in statu Naturæ, simul matrem ac dominam fieri liberorum: nam & dedisse eam proli vitam, & simul accedere, quod eam nutriat; unde per se patere, quod prolem suam velit non hostem habere.

Vid. Hobbes. cap. 9. n. 2. de civ.

Pufendorf. lib. 6. c. 2. §. 2.

Quod ipsum, nescio ex qua ratione Kulpisius vocet Jus victoriæ: cum nemo Jus Victoriæ sibi adscribere queat, nisi qui hostem devicit: per puerperium autem mater non dicitur hostem devicisse, sed amicum potius protulisse in lucem. Equidem Hobbes simile producit, de victore; sed non ait, quod ex Jure victoriæ mater habeat primum Jus in prolem.

Secunda Sententia est Hornii, qui Originem hujus Imperii derivat ex communicatione & dispositione divina. Omne enim Imperium quod homini in hominem competat a Deo communicari. Sed displicet hæc sententia Pufendorffio, qui eam exinde *refutat*.

1. Quia nimis abjectum sit de Deo sentire quod ille infinitam suam Majestatem homini communicet, ac idem specie Imperium quod in Deo sit, homini etiam communicetur.

Q 3

2. Pro-

2. Producit Locum ex Matth. 10. v. 28. ubi dicitur non esse timendos homines, qui tantum corpus occidere possint: Sed Deum timendum, cujus potestas & Majestas tanta sit, ut corpus atque animam occidere queat.

3. Qui delegatam potestatem habeat, illum eandem exercere potestatem, cum eo, qui delegavit: nisi quod is habeat ut propriam; hic ut alienam. Hoc autem de Deo & homine dici non posse.

Tertia est Grotii, qui censet eam ex Generatione esse desumendam, ad quam, quia pater & mater concurrant, ideoque utrique parenti jus acquiri.

Hanc sententiam refutat Hobbes, ideo, quia concursus Patris sit exiguus. Secundo incertus. Tertio voluptuosus. Quarto matrem per 40. septimanas alere & portare infantem, quinto cum dolore summo edere in lucem.

Pufendorf eam refutat, quia per Generationem homo nascatur similis alteri.

2. Prolem productam, quoad Naturalia per omnia nobis esse æqualem.

Unde ut nobis fiat inæqualis alio titulo opus esse.

3. Generationem tali actu exercere, quem delectationis causa suscipiamus, quem proinde proli non ita imputare queamus, ut volens nobis nostro Imperio subjiatur.

4. Unde

4. Unde Generationem plus non dare, quam occasionem ad Jus & Imperium in prolem acquirendam.

Quarta ergo sententia est Pufendorffii, qui asserit duo esse, quæ fundent proximè illud Imperium.

Primo alimentationem liberorum & curam quam exhibeant parentes; & quidem ex præscripto Juris Naturæ & socialitatis.

Secundo hanc curam non posse ritè exerceri nisi parentes habeant potestatem, ut dirigant, liberorum salutem.

Provocat ad Sir. cap. 30. v. 1. Qui amat prolem suam, is eam tenet sub metu & disciplinæ virga, ut exinde gaudium capiat,

Kulpisius sententiam Grotij denique ex præsumto liberorum consensu rejectis aliis adoptat; Pufendorffium autem, his rationibus rejicit,

Primo, quod licet Lex Naturæ præscribat Parentibus curam alimentorum, exinde tamen plus elici non posse, quam *Officium* Parentum, non jus ac potestatem.

Deinde licet aliqua *Potestas* exinde in liberos resultet, eam tamen non esse tam profundam, prout hic statuenda sit.

Tertiò Consensum præsumptum esse invalidum, quia non possit præsumi consensus tacitus, ubi expressus non sit dabilis.

Denique sequeretur, si liberi consensum illum non præstarent, quod etiam deinceps obedientia cesset.

Nos existimamus Hornii & Grotii sententias copulativè hic sumendas esse. Jus ergo Parentum in liberos fundamentum quidem habet ex Generatione; sed illud longè arctius, & sanctiore vinculo constrictum est per Jus Divinam, quod DEUS Parentibus contulit.

Observ. II. ad Capituli 5. §. 2.

De ætate liberorum diversa.

Grotius hinc distinguit inter tres ætates liberorum. *Prima* ipsi ætas est, ubi liberi non habent *judicium perfectum*. *Secunda* ubi judicium habent perfectum. *Tertia*, ubi familiam Paternam exiere: Et juxta has tres ætates *Curam & Venerationem* quoq; parentum distinguit.

Dn. Zieglerus contra ait, parum refert, an duo vel tria tempora distinguantur; quia liberis reverentia & obediendia etiam tum competat, cum sacris Paternis jam exierunt: Legem divinam in hac parte non distinguere; adeoque nec nobis distinguendum esse.

Dn. Pufendorf in libr. 6. cap. 2. *de Jure Natura & Gentium* contra ait: se nescire, quare Zieglero ista distinctio in tres liberorum ætates displiceat. Quamquam enim sacre literæ indistinctim liberis obsequium erga Parentes inculcent, illas tamen non prohibere, quo minus certo modo tractetur puer, & plenæ ætatis filius.

Nos

Nos cum *Pufendorfio* censemus, distinctionem in tres ætates non tantum in naturali distamine fundatam esse, sed etiam illum magno iudicio carere, qui eam non intelligat, vel etiam in praxin non deducat. Quanquam enim obligatio obsequii & reverentiæ præstandæ parentibus, ita sit comparata, ut nullo tempore, nec ulla status mutatione tolli omnino possit; certum quoque, quod auctoritas Parentum in liberos jure divino sit perpetua, simulque impossibile sit, ut filius desinat esse à Parente, & proinde quamdiu in vivis est Pater, tamdiu filius habeat relationem ad illum, ut genitus ad generantem, quæ relatio est fundamentum, cui innititur obsequii & reverentiæ præstandæ necessitas: Potest tamen potestatis exercitium aliquam subire mutationem, mutata conditione & ætate liberorum, quo enim liberi infantia propiores, eo major est patria potestas; quo magis autem incipit ætas & Judicium maturescere, eò paternum Imperium evadit citius.

Observ. III. ad Thef. 5.

*An Pater filium possit oppignorare,
aut paternum Imperium in alium derivare?*

Patria potestas, si in sua radice spectetur, hoc est, in quantum descendit ex jure Ge-

nera-

Qs

nerationis, tum ita ossibus inhæret, ut loquuntur Jurisconsulti in alia materia, ut talis potestas non videatur in alium posse transferri; nam ut natura impossibile est, ut ille, qui naturalis pater est, pater esse desinat: ita etiam impossibilis videtur ejusmodi Juris translatio in alium, quod Patri, ea ratione, qua Pater est, competit.

Unde videtur per se certum, patrem filium nec oppignorare nec vendere posse, nisi *ultimus* adlit *necessitatis* casus; quo pertinet Lex Thebanorum, quam refert Ælianus *lib. 2. c. 7.* *Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abijcere, capitis supplicio constituto. Verum si extrema mendicitate pater laboret, sive mas sit, sive femina infans, jubet lex eum statim a materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre: qui, accepto levi pretio, alicui tradit, cum quo pactum & conditiones intercedunt, ut bona fide infantem aliat, & adultum servi aut servæ locum habeat, & pænie ejusdem operis in mercedem educationis.*

Sic & Constantinus Imperator, licet ex lege XII. Tabularum licitum non esset oppignorare vel vendere liberos, tamen excepit casum extreme paupertatis; & æquum ipsi visum fuit, ut inops pater, destitutus omnibus ad se sustentandum mediis, filium possit vendere sanguinolentum, id est, recens natum, a matre adhuc rubentem, concessa tamen patri facultate vel
cui-

cuilibet alii, etiam ipsi alienato, in pristinam libertatem alienatum asserendi, restituta emptori pretio, aut alio mancipio oblato; verum cum eidem Imperatori fortasse sibi incumbere videretur providere, ne quis, societatis civilis membrum, ad eas angustias famis necessitate adigeretur, ut in propria viscera aliquid iniqui, sed, urgente necessitate, tamen licitum, moliretur, abrogavit illam legem, constituendo, ut inopes parentes de publico alimenta petere debeant, si domi non habeant, unde se sobolemque suam tueri possint ac sustentare, quod extat *Cod. Theodos. lib. 21. lib. XL. tit. 27. Provinciales, egestate victus, atque alimoniam inopia laborantes, liberos suos vendere vel oppignorare cognovimus: Quisquis igitur huiusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quippe liberos suos agere ac difficile sustentet, per fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adjuvetur. Abhorret enim à nostris moribus, ut quenquam fame confici, vel ad indignum facinus prærumpere, concedamus. Suadet id naturalis, quæ homini cum homine intercedit, cognatio; suadet Christiana charitas, qua nos mutuo debemus amplecti; suadet humanitas, qua sublata, corrumpit omnis societas & hominum inter se commercium, à quo pendet vitæ humanæ beatitudo.*

Videantur Authores pro & contra disputantes.

Zieglerus in libr. 2. cap. 5. p. 270.

Osiander in Observ. p. 27.

Pufendorf libr. 7. cap. 2.

Kulpifius in Colleg. msc.

Clasenius libr. 1. cap. 2. in Pol.

Conring. cap. 19. de F. J.

Hornius cap. 3.

Guil. vander Mylen Commentar. in Grot.
p. 177.

Observ. IV. ad Thef. 29. Cap. V.

An ex Jure Naturali fluat, ut partus matrem seu ventrem sequatur?

Negat Grotius, & putat tantum esse ex Jure Romano & Gentium, Idque primo ex eo; quia, cum etiam in brutis patres non minus, quàm matres fœtuum curam gerant, hoc ipso ostendi fœtum utriusque esse communem; quàm rationem approbat Tesmar ex Quintil.

Secundo si lex Civilis tacuisset, partus non minus patrem quàm matrem fuisset secutus; signum ergò est, hoc tantum provenire ex dispositione Juris Civilis.

Tertio tempore necessitatis extremæ pater non minus, spectato Jure Naturæ, prolem vendere & in servitutem adjudicare potest, quàm mater.

Contrarium sentit Pufendorf libr. 6. c. 3. §. 9. item Tesmar.

Pri.

Primo quia originariè proles ad matrem pertinet; patrem verò sibi jus in prolem ex pacto tantum matrimoniali quærere.

Secundo inquit non operæ tantum, sed & ipsum corpus servientis dominio cedit, & ad ipsum pertinet; si ergò serva prægnans sit, proles eandem conditionem sequitur,

Tertio ait *Tesmar*, mater certa est regulariter, nec abnegare partum potest: at pater, & incertus est, & negare potest se esse patrem.

Quarto mater dum prægnans est, subtrahitur sæpè servitio domini, redditurque ad multas operas inutilis, quin sæpe mortis periculo exponitur. Jam verò naturale admodum est, ut quem incommoda & pericula sequuntur, is quoque commodorum sit particeps.

NOS existimamus Jus Naturæ posse dupliciter accipi.

Primo pro Lege præcipiente ea, quæ intrinsicè honesta sunt, & vetante, quæ sunt turpia: hoc modo nec servitus nec libertas, nec generatio pertinent ad illud Jus; priora enim sunt certus aliquis hominis status, qui nec sub præcepto, nec sub prohibitione Legis est Naturæ, Generatio autem est aliquid physici & de se præscindit à rō esse morale.

Si verò per Jus Naturæ intelligatur id quæ, quod est congruum cum ratione, aut ipsi non repugnat: tum existimamus, sicut ad generationem filii concurrunt pater & mater; sicut

sicut porrò Deus in quarto præcepto non minus agnoscit Jus in Patre quàm in Matre ergà liberos; nec minorem illi quàm huic tribuit potestatem & venerabilitatem: ita non minus partum patrem sequi, quàm matrem; imò certa ratione majus esse Jus patri quàm matri.

Observ. V. ad eandem Thef.

Si Pater & Mater serviant, an partus fiat servus?

DN. *Vitriarius*, in hoc puncto planè secedit à Grotio, & *Negative* quæstionem decidit. *Primo* quia cuique proprium Jus à Natura datum sit, ut scilicet *naturaliter nascatur liber*. *Secundo*, *Libertas*, inquit, *non est res patrimonialis*, nec obstat, quod dicatur partum ventrem sequi; hoc enim non de hominibus sed rebus esse intelligendum, quæ sub dominio sint. *Tertio* inquit, *Jure naturali neque Calamitates parentum, neque pacta eorum partui nocere posse*.

Non cum Pasendorffio contra censemus. Nam *primo* commune est illud, quod *implantata solo cedant*: & corpus servile æquipollenter est solum Domini. *Secundo* pater & mater si serviant, *nihil habent proprii*; ergò nec partus eorum potest esse proprius ipsis. *Tertio* Dominus ut

ser-

servo & servæ alimenta præstat: ita etiam par-
turi; ex titulo itaque alimentatiōnis etiam ad
ipsum pertinet. Huc pertinent rationes pro-
priori sententia à forriori si uterque parens ser-
viat.

Quod ad rationes Dn. Vitriarii attinet, Respon-
demus ad primam, gratis supponi, quod unicui-
que hoc Jus à Natura datum sit, ut liber na-
scatur; sanè ut quidam nascuntur principes,
quidam Barones, alii nobiles, alii plebei pro
conditione parentum: ita quidam nascuntur
liberi, alii possunt nasci servi; quia principia
Generationis sunt servilia.

Ad secundam dicitur: licet libertas non
sit res patrimonialis, strictè loquendo, est
tamen qualitas moralis ad statum hominis per-
tinens, quæ qualitas à parentibus in liberos de-
volvi potest.

Ad tertiam dicimus, illud neque Theologicè,
neque Juridicè verum esse; nam Calamitates,
imò peccatum primi nostri Parentis nocuit in
infinitum posteritati; & exilium, quod dicta-
tur parenti, aut confiscatio bonorum ob de-
lictam, nocet filiis. Imò nec medicè procedit;
nam morbos, podagram, lepram atque alias
infirmiuitates nocere filiis patet.

Vid. Dn. Vitriarius in Colleg. Msc.
Dn. Kulpisius in Colleg. Msc.
Dn. Guil. van der Mylen.

Observe

Observ. VI. ad §. 32.

Quomodo publica populi alicujus delicta puniri queant?

Non infrequens est, ut si populus aliquis peccavit, puniatur per privationem libertatis. Sic cum Ao. 1618. Bohemi Palatinum in Regem eligerent, repudiato Ferdinando Cæsare; & postmodum acie vincerentur, pro pœna fuit, quod gravissima ipsis postmodum servitus imposita fuit.

Sic olim Romani, Bruttios, quia primi totius Italiae ad Hannibalem desciverant, postquam Hannibal Italia decessit, superatique Pœni sunt, non amplius pro sociis habuere, sed Magistratibus, in provinciam euntibus, parere, & preministrare servorum vice jusserunt. Gell. lib. 10. cap. 3. Attamen quia in publicis delictis vindicandis non minus, quam privatis, observandum, ut pœna sit proportionata delicto, ita nec populi servitatem perpetuam esse oportet; quippe licet populus nunquam intermoriatur, sed semper unus idemque populus, etsi mutantur partes, maneat, & proinde servitus, ei semel imposita, quasi transferatur in succedentes serosque nepotes: attamen propter hanc populi conditionem, non oportet gravius puniri, quam quisque privatus; Hæc dicimus, ex puncto æquitatis.

SUM-

SUMMA
CAPITIS SEXTI
LIBRI SECUNDI.

I.

Aquisitio derivativa dupliciter fit, vel per *factum* hominis, vel per *Legem*. Homines enim rem illam, cujus sunt domini, ex naturali jure in alium transferre possunt.

II. Translatio talis, necessario fieri debet per *signa externa*, quæ declarativa sunt *actus interni* voluntatis: Consummatur translatio per *Traditionem*.

III. In eo, in quem fit *Translatio*, requiritur quoque voluntas accipiendi, per *externum signum* ostensa.

IV. Inter primas & nobilissimas species Translationis est alienatio Imperii, quæ in Regno Patrimoniali absoluta esse potest.

V. In Regno Usufructuario talis translatio neque in toto, neque in parte Regni locum habet, nisi adsit consensus populi.

VI. Nec tamen etiam PARTI jus est secedere à Corpore Reipublicæ, nisi evidenter pateat, quod aliter se servare non possit.

VII. Patrimonium quoque populi, sicut dignitati regis sustinendæ datum, alienari non potest à Rege, ac ne quidem pars ejus minimum valens, nisi cum consensu populi.

R

VIII. Sed

VIII. Sed à patrimonio distinguendus ejus fructus, qui alienari ab eo potest.

IX. Pars tamen patrimonii pignori dari potest à Rege plenum habente Imperium, quoniam ut ad tributa, sic ad lutionem pignoris, populus ejusmodi Regi tenetur.

X. Alienari quoque aliquid testamento potest, cum jure naturæ liceat alienare in eventum certum, revocabiliter ante eum eventum, retento jure possidendi ac fruendi, quod fit in testamentis.

Observ. I. ad Cap. VI. Libr. 2.

An traditio pertineat ad abalienationem tantum ex dispositione Juris Civilis, sive ex Jure Gentium, an verò etiam naturaliter, sive ex jure Natura?

IN hoc puncto affirmativam sententiam tenet *Strauchius, Dn. Kulpisius & alii.*

Pufendorf distinguit, & dicit, dominium posse considerari, vel prout notat qualitatem merè moralem, secundum quam res ad aliquem pertinere, ipsiusque dispositioni subiecta esse debere intelligitur: vel prout etiam adjunctum habet, aliquid facultatis Physicæ, ut, quæ circa eandem nobis placuerint, statim in effectum possimus deducere. Ad prius dicit, non esse necessariam traditionem, sed ad posterius

sterius. Clarius postea mentem suam aperit, cum dicit, dominium quandoque considerari posse, prout præscindit à possessione; aliquando prout cum illa conjuncta est. Si hoc posteriori modo consideretur, tum habere ultimum quasi complementum proprietatis per traditionem, qua posita, plenè suos effectus exserat.

His positis ait: *Traditionem non requiri naturaliter, siue ex Jure Natura, ad abalienationem, sed dominia per sola pacta transire posse in alios, si videlicet dominium consideretur nudè, tanquam qualitas moralis, & prout abstrahit à possessione.*

Hoc probat primo, quia post pactum completum, seu post Jus, pacto in alterum translatum, *res statim ad alterum pertinere incipit.* Si itaque Jus ad rem per pactum naturaliter ab uno seu ab alienante transit in alterum: ergo traditio non est essentialiter requisita, sed tantum ex dispositione Legis Civilis. *Secundo, alienans statim post pactum nullum actum legitime potest circa illam rem exercere, nisi qui faciat ad possessionem alteri tradendam: unde consequens videtur, quod etiam ante traditionem dominium ejus rei sit translatum.* *Tertio, traditio ipsa non fit liberè, sed ex quadam obligatione, & sic ex necessitate: at, qui dominus adhuc rei est, liberè adhuc circa eam disponere potest.*

Contra tamen *Feldenus* & alii existimant, traditionem *Jure Natura* requiri ad alienandum.

Quia primò, ante traditionem, aliquis tantum habet juxta *Jura communia*, *Jus ad Rem*, non verò *Jus in re*, atque adeo actionem instituere potest tantum *Personalem* non *Realem*, quod manifestum signum est, talem dominium rei plenum ante traditionem non accepisse, sed, ut loquitur *Feldenus*, tantum imperfectum. *Translatio itaque necessaria est ad rei translationem.*

Secundo, ante traditionem nemo potest rem ad usus suos applicare; uti aliàs dominus rei perfectus potest: unde iterum colligitur, *traditionem ad dominium plenum pertinere.*

Tertio, post traditionem rem mihi vindicare possum, ubicunque ea sit; at verò ante traditionem id nequeo. Ergò *translatio Jure Natura est necessaria*, ut res sit mea.

Nos existimamus traditionem equidem non esse necessariam ad rei alienationem, esse tamen *rationi naturali valde congruam.*

Secundo, censemus: ante traditionem perfectum quidem dominium posse esse, quantum scilicet ad *Jus*, & in actu primo; licet effectus quidam *Juris* non dentur, nisi posita traditione.

Tertio dicimus: traditionem proprie loquendo non esse complementum *Juris*; ut censet *Puffendorf.*

fendorf. (scilicet *in se*, & ut Jus est; sed potius esse *applicationem* Rei, circa quam Jus habeo.

Observ. II. ad Thef. 3.

An alienatio Imperii possit esse penes populum?

Grotius distinguit inter Regem, qui Regnum habet in *Patrimonio*, & inter Regem, qui quasi *Usufructuarius* est: illum ait posse alienare regnum, sed non hunc, sine populi consensu.

Hoc taxat Dn. D. Osiander.

Primò, ex eo, quia penes quem est *Majestas*, penes illum etiam est *potestas abalienandi*, at non penes populum, sed penes Regem est *Majestas*. Ergo:

Secundò, *falsum* ait esse, Regem habere tantum tale Jus, quale *Usufructuarius*: *partim*, quia hoc vocabulum pertineat tantum ad Jura *privata*; *partim*, quia alias sequeretur, proprietatem & *Majestatem* ac regnum residere penes populum.

Tertiò, repugnare hanc assertionem, cum eo quod *Grotius* dixerit. *libr. 1. cap. 1.* Ubi Regibus asseruerit *dominium Eminens* in bona subditorum; qui autem *dominium* habeat *eminens*, eum posse abalienare quod velit. *Dissentit ab Osiandro Obrecht & Pufendorf.*

Rationem dissensus assignat *Pufendorf.*

palmariam, quia, qui primitus in Civitatem coiverunt, pacto se obstrinxerint, quod uno eodemque Imperio regi velint, quamdiu intra ejusdem Civitatis fines degere placeat; unde ut singuli sibi Jus quæsierint per tale pactum, ut inviti è civitate non possint ejici, aut sub alterius Imperium tradi, nisi in pœnæ vicem: ita universis in singulos idem Jus esse quæsitum.

Ad rationes *Osiandri* responderet *Obrecht*.

Ad primam, distinguendo inter *Majestatem*, & *modum habendi Imperium*; Regem habere posse *Majestatem*, sed non statim plenè habere posse *Imperium*: unde à *Majestate* ad *modum habendi* non valere consequentiam.

Ad secundam dicit, Regem non dici à *Grotio* *usufructuarium*, sed tantum, tale *habere jus quale usufructuarium*. Deinde falsum esse, quod hic titulus usufructuarii pertineat tantum ad privatos. Denique non esse consequentiam à proprietate ad *Majestatem*.

Ad tertiam dicit, dominium *Eminens* pertinere tantum ad *Casum necessitatis*; item ad bona singulorum.

Denique asserit *Obrecht*, & ex eo *Dn. Kulpis*, in tali abalienatione *populum* habere se per modum *Causæ efficientis*, Regem verò ut *Conditionem sine qua non*.

Observ. III. ad Thef. 4. Cap. VI.

*An ad alienationem partis Imperii
necessario requiratur Consensus partis,
que alienatur?*

Grotius hic tenet partem *affirmativam*,
cum *Ferdinando Vasquio* libr. I. *controv. Illu-*
str. cap. 5.

Rationes sunt; *primo* quia, qui in civitatem
coiverint, talem contraxerint Societatem, quæ
perpetua & immortalis sit ratione partium, quæ
integrantes sunt: Unde sequi has partes à
suo corpore invitis illis abstrahi seu avelli non
posse, quia non ita sint sub suo corpore, ut
sint partes corporis naturalis, quæ sine corporis
vita vivere non possint, & idè rectè in usum
& conservationem corporis abscindi.

Secundo corpus tale voluntate contractum
esse, ac propterea jus ejus à primæva volun-
tate esse metiendum, quæ minimè credi possit
talis fuisse, ut Jus esset corpori eas partes ab-
scindere à se, & alteri in ditionem dare.

Tertio ait *Vasquius*, Causam impulsivam cur
respublica in unum corpus coeat, aut unquam
coierit, esse utilitatem communem, atque
adè quæ omnium partium ex æquo sit; sicut
ergò ex hoc motivo in unum corpus transive-
riat, sponte & pleno consensu, ita sine earum

consensu non posse abalienari & à corpore separari.

Nos existimamus bene distinguendum esse inter Respublicas; quædam enim sunt heriles, ubi ferè ea est imperantium p̄testas in subditos, qualis est dominorum in servos: in his sanè consensum populi requiri ad alienationem partis, Grotius nunquam probare poterit; dari autem tales res publicas ipse agnoscit. libr. I. c. 3.

Secundo, talis imperans primariò sibi consulit, suamque quærit utilitatem, & non nisi per accidens respicit ad subditorum commodum, non ergò necessum est, ut consensum habeat subditorum in abalienatione.

Quod spectat eas Respublicas, quæ potissimum eorum, qui parent, utilitatem respiciunt, ibi etiam non est necessarius consensus populi, nisi fortè in sola democratiâ; nam & ibi penes optimates Jus est & facultas liberè agendi & disponendi, prout aliquid proficuum videtur Reipublicæ. Si itaque salus publica videatur id exigere, utique alienatio decerni & institui potest, ex arbitrio eorum qui reipublicæ præsunt.

Neque hîc obstat, quod populus talis reipublicæ in perpetuam societatem coierit: Hoc enim perpetuum non Physice, sed *moraliter* est accipiendum; imò sub tacita ea exceptione, nisi moralis intercedat impossibilitas

con-

conservandi totum, sine alienatione partis. Elegans in hanc rem locus est apud Ammianum Marcellinum 17. c. 10. Contemne partem, ut cætera regas securus: prudenter reputans, Medelarum quoque artifices urere nonnunquam ac secare, & partes corporum amputare, ut reliquis uti liceat, integris.

Et sanè si civis impendere debet vitam pro salute Reipublicæ; Cur antistes ejus non possunt partem separare, in conservationem totius?

Interim id advertendum, quod si quasi divisa fuerit Majestatis ratio, ut pars sit penes populum, pars penes unum aut multos, ut videtur in Poloniæ Regno, aut si illi, qui in dignitate sunt, non nisi Magistratu fungantur, tum nulla injussu populi & aliorum quorum interest, ab alienatio fieri potest; Quicquid igitur contra fit, ut & quicquid non fit in Rebus publicis melioribus ad communem usum, illud omne ipso Jure nullum est, & populum non obligat.

Denique hîc notamus, merito mirari Gronovium, cur Grotius tam religiosè disputet, an principibus & Regibus competat Jus alienandi partem summi imperii; cum longè procliviores sint, ad aliena invadenda & rapienda, quàm quod velint provincias ab alienare.

Porro rectè idem observat Gronovius, hanc quæstionem videri planè otiosam, nisi in casu

R s

ex-

extremæ necessitatis, ubi verò necessitas alienationem talem imperet, frustra quæri de Jure; cum necessitas ante omnem non saltem Regem, sed etiam rationem sit.

Denique rectè etiam taxat Grotium, quod dicit: partes has, non ita esse sub suo corpore, ut sint partes corporis naturalis, quæ sine corporis vita vivere non possint, ac proin jure abscindi in corporis usum; Contrarium enim exinde sequitur. Nam si illæ corporis vivi partes, extra suum corpus vivere non possint; contra verò partes reipublicæ; ergò hæ Jure majori cum facilitate abscinduntur à corpore, quàm illæ aliæ.

Observ. IV. ad Thef. 14.

An Testamentum, seu potestas testandi sit Juris Naturalis, an Gentium, an Civilis?

Hoc punctum etiam meretur discussionem, quod tangit Grotius, dum Testamentum non saltem speciem facit alienationis, sed etiam addit, quod *Substantia Testamenti sit cognata Dominio*, atque exinde etiam *Juris Naturalis*; quanquam forma sit à Jure Civili.

Quod ergò quætionem attinet, cum quæritur, ad quod Jus potestas testandi pertineat? advertendum est, triplicem esse sententiam. Nam *Juris Naturalis* esse, tenuerunt ex antiquis

Bal-

Baldus & Alexander, quos citat & laudat *Ludovicus Molina* n. 12. ex recentioribus *H. Grotius*, *Guil vander Mylen* & alii. Esse *Juris Gentium* defendit *Covarruvias* var. resol. libr. 3. c. 6. n. 7. & haud paucos pro se citat, quo etiam inclinat *Pufendorf*. Esse *Juris Civilis* tenuit *Accursius*, *Philippus*, *Cornelius*, quos sequitur *Ferdinand. Vasquius* in *Illustr.* quæst.

Qui pro hac sententia stant, rationem afferunt, quia homo non habeat à NATURA potestatem disponendi de ulla re, pro illo tempore, quo ipse omnis *Juris* incapax est, & quo definit esse membrum *Reipublicæ*; nam transferre *Dominium* in alium, propria autoritate, est velle alium *suo loco* habere jus illud, quod ipse, si veller, posset retinere. Unde, sicut non possum nunc disponere de re, quæ quidem aliquando mea fuit, nunc autem non amplius est, ita ex *Rei Natura* præcisè non possum disponere de re, pro illo tempore, quo illa res non potest esse amplius mea.

Pufendorf paria penè habet libr. 4. cap. 10. inquiens: cum res illæ, quarum dominium est introductum, vivis hominibus inserviant, ad mortuos autem res humanæ nihil amplius attineant: igitur non ita necessarium videbatur, ut dominium in se contineret facultatem disponendi, quid circa res alicujus post mortem debeat fieri. Sed sufficere poterat, si
quis

quis suæ potestati res subjectas haberet, quousque viveret, nec eam ultra vitam extendere posset; de bonis autem eorum, qui inter homines esse desierunt, vivis disponendi cura relinqueretur. Deinde cum mortui rebus humanis exempti sint, impunè ipsorum voluntas ac dispositio, à vivis adhuc facta, videbatur posse negligi. *Id cinerem, & manes credis curare sepultos?* Argumento est, quod antiquissimi suos ad ultima mandata observanda jurejurando adstringere consueverint, velut nullo humano vinculo satis valido Vid. *Genes. 24. v. 2. 3. c. 47. v. 29. c. 50. v. 25. Diodorus Siculus l. 2. c. 33. de Parsode morturo.*

Huic difficultati de mortuo non amplius existente succurrere voluit Author novæ Methodi *Jurisprudentiæ*, dum asserit, de mortuos, meliori sui parte, hoc est ratione *Animæ* adhuc vivere, atque exinde fluere valorem Testamenti. Unde inquit *j Testamenta, mero jure, & citra Legum Civilium confirmationem, nullius essent momenti, nisi ANIMA esset immortalis. Sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum; quos verò reliquerunt heredes, concipiendi sunt procuratores in rem suam.*

Sed hæc sententia subtilis magis est quam solida. Et primò quidem subtilitas in eo est inanis, quia si ex. gr. hæres rem per Testamentum acceptam abalienare vellet, tum teneretur prius animam testatoris consulere, an possit

sit

fit vel debeat rem talem alienare, cum anima adhuc sit domina, citra consensum autem domini, rem ab alienare non licet. Deinde si res ab atavis, proavis, avis per testamenta transit ad successores, tum avus tantum fuit procurator, proavus pariter, usque ad Atavum, & forte etiam ultra. Quid si lis inter hos procuratores oriretur?

Adhæc bonorum possessio est res aliqua corporalis, nec ad animam formaliter pertinet, sicut & ipsa bona temporalia sunt tantum ad sustentationem vitæ corporalis, non animæ, cui plerumque plus oneri, quam commodi faciunt; ergo animæ immortalitas non potest esse ratio pro Testamento fundando.

Quare censemus, potestatem condendi Testamentum, in *equitate naturali*, adeoque etiam in Jure Naturæ esse fundatam: licet *forma externa* Testamentorum sit ex Jure Civili. Nam *primò* nihil *æquius est*, quam ut quis ea, quæ magno labore & sudore paravit, possit vel in cognatum sanguinem, vel in benefactores transferre. Deinde societatis quoque interest, ut quis suorum bonorum liberam habeat facultatem disponendi, etiam post mortem pro lubitu; aliàs enim, si bona post mortem, tanquam vacua, à quovis invadi possent, quis dubitaret, quod nemo habiturus esset curam rei familiaris, in diem viveretur, quin pro-

prodigalitati, vel commestationibus summa daretur occasio? *Tertio* vix ullus alienandi modus tam firmus & favorabilis est, quam is, qui fit per Testamentum, unde etiam Paulus ipse *Gal. 3. v. 15.* de Validitate Testamentorum & inviolabilitate ultimarum voluntatum testatur.

Quarto Salus totius Generis humani stat in eo Testamento, quo filius Dei nos hæredes constituit, quod sanè Testamentum valorem seu validitatem suam non habet, ex dispositione Juris Civilis, sed ex natura ipsa sua, & ex dispositione illius, qui author & conditor est Juris Naturæ. *Quinto* Paulus Juris Consultus rectè ait, ratio Naturalis, quasi Lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem addicit: cui consonat Paulus alter divini Juris & Naturalis interpret Authenticus, cum ait *2. Cor. 12. v. 14.* Parentes liberis debere thesaurizare. At hæc thesaurizatio effectu careret, si liberis *Bona* non possint per Testamentum relinqui.

Nihilominus rationes dubitandi tum Samuelis *Pufendorfi*, tum *Ferdinand. Vasquij*, ex quo *Pufendorf* sua traxisse videtur, etiam speciem habent.

Nam *primo* inquit *Pufendorf*, dominia esse introducta, ut vivis hominibus inservirent, ad mortuos autem res humanas nihil attinere; itaque non necessarium videri, ut dominium

in

in se contineret facultatem disponendi, quid circa res alicujus post mortem debeat fieri.

Secundo mortuos rebus humanis esse exemptos; impunè ergò ipsorum voluntatem ac dispositionem posse negligi; unde Jacobum Patriarcham filium Josephum jurejurando obstrinxisse, ut ultima; mandata post mortem observaret, velut nullo humano vinculo alias satis valido. *Gen. 47. v. 29.*

Tertio ait *Ferdinand. Vasquius* Bona defunctorum ex NATURA REI bona esse vacantia, & quasi derelicta, adeoque seposita Lege Civili & spectata saltem natura Rei, cedere primò occupanti.

Quarto hominem seposita Lege Civili, non posse habere jus disponendi de re ulla, tempore in quo Juris omnis incapax sit: at demortuum Juris non posse esse capacem, quia ne sit quidem. Unde sicut non possum disponere de Re, quæ quidem aliquando mea fuit, jam verò non amplius mea est, ita ex REI NATURA non possum disponere de Re pro illo tempore, quo illa res non potest esse mea. Quod enim *Author novæ methodi Jurispr. p. 6.* ait. Testamenta nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis; Sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideò manent domini; quos verò hæredes reliquerunt, concipiendi sunt procuratores in rem suam. id planè absolum est.

Anima

Ánima enim qua talis non petit dominium in res corporales, maximè separata; imò est incapax iis utendi, fruendi, quin & possidendi. Adde, si Theologicè loqui velimus, quod objectum unicum animæ, quo frui debet, sit spirituale, bonum videlicet illud incommunicabile, quod est Deus; quò pertinet illud Augustini, fecisti nos Domine ad TE & irrequieta est mens nostra donec redeat ad TE.

Quare existimamus Testamenti factionem juris esse *Natura* & *Civilis*, & sic utramq; sententiam conciliabilem esse: Nam *Juris Naturalis* eo sensu dici *Testamentifactio*, quod valdè consentaneum sit naturæ, ut quis ea bona, quæ labore & sudore suo in vita acquisivit, in alium possit devolvere; Accedit quod & eorum, qui sanguine nobis junguntur, maximè autem liberorum cura nobis ex ipso rectæ rationis dictamine sit injuncta; at verò in hoc maximè consistit cura, ne inopes vivant, sed etiam bona possideant, ad vitæ sustentationem necessaria. *Tertio* conveniens est, ut membra *Reipublicæ* haberent *rationabile incitamentum*, congregandi divitias & abundantem etiam sustentationem, atque abducerentur à prodigalitatís vitio, quo multi inficerentur, si scirent, non posse se sua relinquere, quibus maximè velent, in primis autem pertinet ad Interesse *Reipublicæ*, habere cives opulentos; & hæc ratio pro *Jure Gentium* etiam potest valere.

Inte-

Interim quod certam formam Testamentorum attinet, ea est ex dispositione Juris Civilis, quæ pro exigentia Reipublicæ aut circumstantiarum, certum modum, & solennitates potest præscribere; ut aliæ solennitates requirantur ad Testamentum militare, aliæ ad solenne in specie ita dictum, aliæ ad Codicillos.

Observ. V. ad eandem Thes.

An Testamentum sit propriè sic dicta alienatio?

Grotius id asserit: Unde Testamentum dicitur finit, quod sit alienatio universi patrimonij, in mortis eventum, ante eam revocabilis, recente interim jure possidendi & fruendi.

Pufendorf negat, & ait, quod alienatio sit translatio Domini ab uno in alterum, ubi necessario duæ Personæ requiruntur eo tempore, quo alienatio perficitur, existere, ita ut res dici queat alienæ, abs quo in alterum fuit translata; atqui Testator, quamdiu in visvi est, plenissimum retinet jus in omnia bona sine ulla diminutione; ergò nihil alienasse videtur. quod exinde satis perspicitur, quia testator testamentum suum toties, quoties vult, potest mutare, & alium scribere hæredem, legata in alios conferre, vel aliud conderetamentum, priore rupto: Contra verò testator quamprimum expirat, statim do-

S

minus

minus esse definit, quia post mortem dominium, ut cætera omnia, solvitur; ergo nec alienatio eo tempore facta videri potest, quando alienanti res amplius aliena aut sua dici non potest, neque hanc difficultatem tolli ait Pufendorf, si dicamus alienationem fieri, quando testamentum scribitur, sed eam interim ab eventu mortis suspendi. Quippe, ut alibi annotavimus, in alienatione requiri, ut duorum voluntates concurrant, scil. transferentis & accipientis; at qui frequentissimum esse aliquem ignorare se hæredem scriptum, antequam post mortem tabulæ testamenti apertæ fuerint; ignorantis autem nullam esse voluntatem, quibus inspectis, tempus deliberandi hæredem habere, an velit adire aut repudiare hæreditatem. Deinde cum omne jus hæredis testamentarii incipiat à morte testatoris; ergo ante mortem nullum ipsi jus extare, quod ab eventu mortis suspensum dici possit. Hæc Pufendorf subtiliter satis.

SUMMA
CAPITIS SEPTIMI.
LIBRI SECUNDI.

De acquisitione qua fit per Legem.

I.

Acquisitio derivativa ex Lege, est triplex: aut enim est ex Lege Naturæ, vel Gentium, vel Civili.

II. Le-

II. Lege Naturali acquiritur res, per de-
tentionem, cum pro remea retenta, aliam tan-
tundem valentem accipio: sed hoc licitum tan-
tum est cessantibus judiciis.

III. Per successionem ab intestato; quando
scilicet aliquis per Testamentum non significa-
vit, cui res suas post mortem velit relictas;
tamen enim præsumitur, quod proximo sangui-
ne vel cognatione, eas destinaverit.

IV. Alimenta debentur liberis non ex de-
bito Justitiæ Commutativæ, sed altiori quo-
dam modo. Unde naturale est, ut liberi suc-
cedant in bonis Parentibus.

V. Ubi liberi desunt, probabile est de-
functum bona sua iis velle reddere, unde vene-
runt.

VI. Bona verò propria industria acquisita
intelliguntur iis relicta, qui sunt charissimi,
ut proximi cognati.

VII. Imperia etiam hac ratione transeunt
ad liberos, si scilicet sunt Patrimonialia & hæc
reditaria.

VIII. In allodialibus & feudalibus res ex
legibus & pactis est resolvenda.

Observ. I. ad Cap. VII. Thef. I.

An Lex iniqua sit, qua bona naufragorum fisco adjudicat?

HÆc lex nullibi magis valuit, quàm apud *Christianos*, quod meritò pudendum; nunc tamen passim abrogata est, unde *Christianus Danicæ Rex* sublata ea lege dixit, petiisse sibi annua centum aureorum millia.

Ausus tamen est scævam illam, & ab omni humanitate alienam legem *Caramnel* defendere, sicut & *Bodinus*, ex rationibus sequentibus.

Primò quia *Rex potest interdicerè* navigantibus, ne ad *litora* accedant hæc aut illa; ergò potest etiam accessum concedere, sed sub illo onere quod, si naufragium patiantur, omnes suas merces & divitias perdant.

Secundo cum nemo *peregrinus* obligatus sit, ut adeat talia litora, *censetur* ultrò, & voluntariè *admittere gravamen* impositum accedens.

Tertio *suprema Monarchia* est suorum *litorum domina*, atque exteras naves aut admittere aut repellere potest, imposito tributo aut certo gravamine; cui gravamen nimium videatur, illum posse abstinere ab eo litore.

Sed hæc sententia contra omnia *Juris Naturæ principia* impingit.

Nam *primò* per eam *leditur* illud, quod *suum cuique sit tribuendum*; eripitur enim nau-

naufragantibus id, quod ipsorum erat; tanto majore injustitia, quod per sævitiam maris innocenter afflictis nova additur afflictio. Unde benè Cassiodorus dixit, crudelitatis genus esse, ultra naufragium velle desævire.

Secundo hæditur per illud fundamentalis illa *Lex Natura*: Quod tibi non vis fieri, id alteri non feceris. Quis enim est, qui sibi naufragium passo, etiam bona eripi, æquis oculis aspiceret? quis tyrannidem eam non accusaret?

Tertio Paulus *Actor. 28.* laudat humanitatem barbarorum in Insula Melitensi, quod naufragis omnem misericordiam exhibuerint. Ultra barbaros itaque agit, qui naufragis sua eripit.

Ad rationes itaque *Caramuelis* responderetur.

Ad primam quidem Principem aut Regem, qui prohibet appulsum ad litora maris, si nulum ipsi exinde periculum, si appulsus saltem sit navium merces vehementium, malè facere; longè autem pejus, si grave istud onus imponat, ut bona naufragorum ipsi cedant. Per talem enim legem prodit, quod nulla misericordia tangatur, quod sævior ipsa sit tempestate, quæ tales merces reliquit adhuc salvas, nec in profundum demerit, & denique quod voracior sit ipsis maris gurgitibus.

Ad secundam dicimus, quod licet nullus obligatus sit, ad appellendum ad istud litus, tamen, si per tempestatem eo projiciatur, cur

tam duriter tractari debet is, in cujus potestate non erat fugere litus tam AVARUM? Ex quo ipso etiam patet, quid ad tertiam sit dicendum.

Observ. II. ad Thef. 2.

An liceat occulta compensatione uti? seu an liceat, vi Justitia explettricis, id quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei mea, aut mihi debita, cum eam ipsam consequi non possim, aliud tantundem valens accipere, auferre aut tollere?

Affirmat Grotius, sed ita, si videlicet Judicia cessent; si aliter tuum consequi non possis, aufugiente forte debitore, aut si per Judicem Juris explementum haberi non possit, scilicet probatione deficiente.

Moralistæ, ut *Johannes Sanchez & Cardinalis de Lugo*, eousque licentiam hanc extendunt, ut dicant, licitam esse occultam hanc compensationem, etiam si debitum tantum sit *probabile*.

Sed *Dn. Cancell. Oslander* planè in contrarium abit. Videbimus utriusque partis rationes.

Pro Grotio videtur militare. *Primo* quod per expletionem talem, seu compensationem proximo non inferitur injuria, & ego jure meo
utor

utor, in vindicatione scilicet rei meæ, ad minimum quoad *æquivalentiam*, ergò nulla videtur ratio esse prohibens eam compensationem; quin ipsum Jus Naturæ, quod cuique suum tribuit, videtur id planè concedere, & in hoc fundata est regula Juris civilis in l. 2. §. 1. ff. de rebus creditis.

Secundo ex ipso Jure Naturæ defendit Hebræos *Irenæus*, quod in compensationem operæ res Ægyptiorum ceperint; *Ægyptij enim inquit, populi Israelitici erant debitores*, non solum rerum sed & vitæ suæ: *Tertullianus* idem tractans secundo *adversus Marcionem*, inquit: Reposcunt Ægyptii de Hebræis vasa aurea & argenta; contra Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, & ostendunt multò minus exactum, quam quod debeatur.

Tertio si Judex justus mihi actori rem adjudicaret, cernens debitorem, aut alium unquam possessorem, me re mea defraudare vellet; Nulla ratio apparet, cur cessante Judicio, non ipse queam mihi rem, vel etiam per æquivalens vindicare, atque ita compensatione uti.

Vid. *Card. de Lugo de Just. & Jur.* qui hoc extendit ad id, si modo probabiliter credam, rem esse meam, aut alium esse debitorem.

Contra militat Dn. *Cancell. Oslander.*

Primo, quia hæc sententia; laxet conscientiam,

tiam, & deviet à Veritate divina; tutius enim semper esse in Conscientia suscipere id, in quo non pecco, quàm in quo pecco; pecco autem inquit, si in casu deficientis probationis, quando Juris explimentum per Judicem obtinere non possum, mihi met ipsi Jus dico; non pecco autem, sed tantum patior aliquid, si in tali casu jacturam rei meæ facio.

Secundo Consequentias esse funestas, quæ ex illo principio fluant: quemlibet enim hac ratione dicturum potius jus, quàm ut Judicem adeat; hinc in Republ. maximam fore confusionem.

Tertio hac ratione *magis se implicaret* is, qui tali compensatione uteretur; conquerente enim altero de vi illata, & neglectu sententiæ Judicis, vero Domino deinde vi eripietur id, quod privato ausu recuperare studuit; & illi assignabitur, qui non est legitimus dominus.

Nos existimamus dissidium hoc facile componi posse, si de compensatione illa sit sermo sub certis conditionibus, quas etiam procul dubio præsupposuit *Grotius*.

Nempe *primo* ut debitum sit *certum*, aut ut certus sim rem meam alterum possidere.

Secundo ut non habeas *spem*, alio medio debitum tuum obtinendi, ne quidem per viam *Juris*.

Tertio ut facta compensatione, non admittas *secundam* solutionem.

Quarto

Quarto ut hac compensatione, non sis *causa* damni longè gravioris alicujus innocentis, qui fortasse fiet suspectus de furto.

Ex quo ipso colligitur non tantum quid respondendum sit ad rationes Dni. Osiand. sed etiam quid censendum sit de sententia quorundam moralistarum Sanchezii imprimis, qui putat cum aliis *sui* similibus, si saltem habeam probabilem rationem, rem esse meam, aut alterum esse debitorem, me statim compensationem hanc iustituere posse.

Verum hæc sententia omninò falsa est; nam hæc licentia utendi compensatione in debito etiam tantum probabili, gravissima incommoda in societatem humanam introduceret; imprimis frequentes animorum diffidentias & suspiciones: quicumque enim invicem litem haberent probabilem, unusquisque posset timere, ne alter attentaret compensationem occultam sibi licitam: alius probabiliter conjectans eam compensationem jam esse factam ab adversario, vellet iterum recompensare; alius existimans, se non posse illam impedire, vellet compensando prævenire.

Item homines facilè sibi persuaderent probabilitatem alicujus Juris, præsertim amplectendo sententiam quorundam apud Dianam, quod pro Injuria circa famam illata debeat fieri restitutio in pecunia, si non fiat in honore & fama; imaginarentur, inquam, sibi, se ab

S P

aliis

alijs ratione famæ læsos esse, nec sperate posse satisfactionem, ideoque inferrent, licere sibi compensationem in pecunia. Multi subterfugerent judicia cogitantes, suum Jus probabilevisum iri Judici minus probabile. Denique alius inferret, licere occultam compensationem, etiam pro debito minus probabili, quia opinio, quæ mihi est minus probabilis, alteri est probabilior; potero ergò eam sequi ut probabiliorem, eamque ad res meas accommodare: Hæ ergò & plures alia gravissimæ inconvenientiæ, meritò argumento sunt, quod talis occulta compensatio in debito adhuc illicquido, & similibus materiis locum non habeat.

Vid. *Joh. de Lugo* libr. de Just. & Jur.

Tamburinus in decal. Sc.

Joh. Sanchez,

Observ. III. ad Thef. 4.

An & quomodo parentes liberis debeant alimenta?

Grotius in hoc puncto tradit, quosdam existimasse, non esse DEBITUM, ut parentes liberos alant, licet sit naturali rationi consentaneum. Alios verò existimare, quod sint DEBITA. Ipse verò distinguit inter Debitum quod ex Justitia EXPLETRICE, & est debitum ex contractu, & inter debitum quod quidem non

ex debito Justitiæ explettricis, tamen ex alio fonte fluit, atque adeo debiti vocem in laxiore sensu capit.

Taxat in hac expositione *Grotium Dn. Osiander* ex sequentibus rationibus. Nam inquit, *primo* laxior illa obligatio est etiam in cliente, inter quem & patronum tamen tantus non est nexus, quantus inter parentes & liberos.

Secundo ait, quod Juris naturalis est, id ipsum non est debitum, accepta voce debiti in laxiore tantum significatione, sed strictè, tum quia ipsa Natura hunc in finem prospexit infantibus in utero & extra uterum, per vias alimenta deducentes, & lac in mammis: tum quia, qui finem desiderat etiam in media fertur; finis autem Naturæ est, ut parentes per liberos reviviscant.

Tertio si necat, qui alimenta non subministrat, & contra Jus naturæ agit, nimirum contra naturalem instinctum, juxta illud Augustini; si non pavisti, occidisti, consequens erit stricti esse Juris erogare alimenta natis, adedque deberi non solum ex qualicunque honestatis ratione,

Verum enim verò hæc argumenta non videntur tangere *Grotium*, quod tamen pace *Dn. Osiandri*, ex solo veritatis amore, dicimus.

Nam *primo* ipse in eadem thesi probat, quod parentes obligati sint, ad præstationem alimentorum ex Jure naturali; inquit, quod
instin-

instinctus naturalis aliis quoque animantibus commendat, videlicet alimentationem prolis, id nobis præscribit recta ratio; provocat in eam rem tum ad Justinianum, tum ad Diodorum Siculum, qui pulcherrimè ait: Optima Magistratura natura cunctis animantibus est, non tantum ad sui, sed & ad prolis suæ conservacionem, ut connata hac charitate, continua successio ad æternitatis circulum perveniat,

Secundo ipse quoque adeò hoc Jus inculcat, ut dicat esse naturale debitum, & cum Sallustio impium illud Testamentum vocat, ex quo liberi excluduntur, imò pronunciat, matrem etiam vulgò quæsitos alere debere.

Tertiò Grotius etiam illarum Legum Romanarum rigorem reprehendit, quæ liberis ex damnato concubitu natis alimentorum præstationem non necessariam asserit, & addit, nullis humanis legibus *legitimam* alimentationem tolli posse.

Unde existimamus facilè ad rationes *D. Ofiandri* responderi posse. Ad *primam* quidem, quod aliud sit *vocem Debiti* laxè summere, aliud est laxam obligationem statuere, prius tantum vult Grotius, non posterius, ut satis patet ex assignatis rationibus.

Ad secundam dicitur, etiam *Grotium* agnovisse Debitum ex Jure Naturæ, sed illud debitum non esse stricte tale, quale est in Justitia

Com-

Commutativa, sed esse debitum ex alia imò al-
tiore obligatione descendens.

Ad tertiam dicitur, illud argumentum pla-
nè non posse contra Grotium afferri, cum &
ipse eum instinctum naturæ admittat, & osten-
dat, ad quod nos stimulet natura, illud porro
præscribere etiam rectam rationem, quæ vox
est Legis Naturæ. Adde, quod non dicat
Grotius, Jus illud esse laxum, sed tantum vocem
debiti sumilaxius, si dicatur, quod parentes
ex debito teneantur alimenta præstare.

Ex dictis patet, quid judicandum sit de
sententia *Hobbessii*, qui in *tract. de Civ. c. 9.*
art. 2. ausus est asserere, matrem posse educa-
re filium, aut illum exponere; desumpta ratio-
ne ex natura dominii, quia videlicet Mater
domina sit infantis, utpote quem primo ha-
buerit in sua potestate.

Sed hæc assertio militat contra ipsa Naturæ
principia; Nam ut rectè *Lactant: de Opificio*
Dei cap. 3. ait. Aves, quoniam fœtus de suis
corporibus alere datum non est, cibos con-
vehunt, & totos dies in hujusmodi discursa-
tione consumunt; major ergò pietas erit in
avibus, quàm in tali matre exponente infan-
tem; imò procul dubio ream se facit dirissimi
homicidii, si eum alienæ misericordiæ expo-
nat. Accedit, quod falsa sit ea hypothesis,
matrem esse dominam prolis, sed naturalis est
ejus nutrix, ad hoc enim natura mammas dedit.

Observ.

Observ. IV. ad eandem Thes.
*An Mater teneatur prolem lactare
 proprio lacte?*

HÆc quæstio, quæ in praxi frequens est,
 etiam huc pertinet, & tractant eam ex
 Moralistis.

Emmanuel Sa in aphoris. verb. alim.

Ludovicus Lopez, part. 1. instruct. Confec.

Emmanuel Rodriquetz part. 1. Sum. c. 13.

Navarrus in manual. & alii.

Tenant autem quidam affirmativam, qui-
 dam Negativam sententiam: qui negativam
 tenent, fundantur in eo.

Primo: quia per hoc alimenta non subtra-
 hantur infanti, si alienum lac sugat: sicut si
 adultior aliena alimenta cibum & potum sum-
 tibus parentum habeat.

Secundo consuli hac ratione sanitati Matris,
 si infantem non lactet, multa enim incommoda
 etiam morbos, mala ubera, provenire ex tali
 lactatione.

Tertio nullibi haberi in Scriptura S. præce-
 ptum de tali lactatione: at ea, ad quæ homo
 naturaliter sit obligatus, plerumque imò sem-
 per habere expressum in Lege Dei mandatum.

Sed opposita sententia longè verior est.

Nam *primo* Natura, tanquam provida & so-
 lers rerum Mater Universalis, non frustra ma-
 tribus

tribus particularib⁹ ubera dedit, aut si Christiano magis stylo loqui velimus, DEUS TER OPTI-
MAX. author naturæ sapientissimo consilio
matres naturali hoc alimento lacte videlicet
instruxit, ut liberis id porrigant; quoties ergò
sine justa causa id omittunt, contra Dei &
Naturæ ordinationem agunt.

Secundo ipsa bruta hoc faciunt, & nunquam
alieno lacte foetus suos nutriunt, sed proprio;
imò vehementer afficiuntur, si abstrahantur
eorum partus: inhumaniores ergò bestiis eas
sunt Mulieres, quæ suos liberos proprio &
nativo lacte defraudant.

Tertio quis nescit ex peregrino lacte sæpe non
tantum morbos corporis, sed semina quoque
vitiorum ad animum pertinentia traduci.

Observ. V. ad Thef. 19.

An Rex in aditione Regni possit onera, quibus Bona Regni gravata sunt, à se declinare, & se is subtrahere?

Grotius noster asserit posse Regem Regnum
uti sine Bonis, ita etiam sine onere adire,
cum eo facit *Tesmarus* in potis ad hunc locum
pro se citans *Menochium*: *Obrecht* plenius
quæstionem proponit, hoc scilicet sensu: An
qui in regno succedit oneribus & obligationi-
bus antecessoris sit adstrictus? & pariter videtur
negativam tenere.

Rati-

Rationes horum Doctorum sunt :

Primo quia populus regnum voluisse credatur quàm optimo Jure deferri; at Jus hoc multum esse debilitatum, si cum oneribus transferretur, hoc est si debita & obligationes antecessoris deberet solvere.

Secundo sicut in aliis hæreditatibus res evenire solet, ut nemo obligatus sit ad eam subeundam, si constet, debita & onera majora esse, quàm hæreditatem: ita neminem Regum obligari posse ad hæreditatem bonorum Allodialium, si constet ea esse debitis gravata.

Tertio in regno duo esse, unum quod quasi res sit populi, alterum quod sit patrimonium regis quasi privatum, quo pertineant Bona Allodialia: Regem in potestate sua habere, an velit patrimonium istud quasi privatum antecessoris adire, an verò contentus velit esse simpliciter Regno, tanquàm re populi.

Gronovius thesin *Grotij* oppugnat, & ait Principem aut Regem omni Jure obligari, ut ferat onus, quod decessor contraxit, & pessimè facere Consiliarios, qui aliud suggerant Regi aut Principi.

Primo exinde, quia per hoc ipsum assertum fides tollatur, præcipuum humani generis vinculum, nam debita ea fide ab antecessore contracta fuisse, ut à Rege solvantur, & creditores securos fuisse redditos, quia si ullibi fides apud Reges maximè debeat esse salva.

Secundo Reges & Principes, per tales assertiones non ditari, sed in paupertatis statum redigi

redigi ac destitui. Nam quis mutuum dare velit, qui sciat, se recipere suum non posse, si moriatur Princeps ante solutionem.

Tertio creditores illi vel subjecti sunt, vel exteri: si exteri, famam vereri Rex debet; si subjecti, non debet Princeps aut Rex suorum injuria crescere.

Quarto successor & Rex decedens moraliter loquendo sunt una persona: unde vox illa apud Gallos communis, Regem Galliarum non mori. Quemadmodum & populus idem intelligitur, qui ante centum annos fuit, ut ipse *Grotius* ait c. 9. n. 8. Ergo Princeps quantum in ipso est, quod rectè faceret defunctus, idem sibi quoque faciendum putet.

Quinto mala commendatio novi Principis est, famam & existimationem defuncti non tueri; at non tuetur, qui debita ejus non solvit.

Nos existimamus, si debita sint contracta à Rege antecessore, ut Rege & publico nomine: tum ad illa solvenda successorem omni Jure obligari; & hoc probant argumenta *Gronovij* efficaciter. Si vero contracta sunt ab eo, privato quasi nomine, sic ut oppignorata præcisè fuerint bona Allodialia: tum successorem non teneri stricto Jure; maximè si dicta allodialia non ad se trahat, sed creditoribus solutionis loco cedant, & hoc probant rationes *Grotij*. In terea si Rex novus id respicere velit, quod est tutius, & ad fundandam existimationem con-

T

veni-

venientius: satius longè est debita ab antecessoribus contracta in se suscipere, atque illa expungere. Facilius hoc onus fert Rex aut Princeps, ipsam populum ad hoc adiutorem habiturus; quam privati creditores, ab omnibus relictis, & de mediocri patrimonio, quod optimè collocatum putabant, perdituri, ut rectè ait Grotius.

Observ. VI. ad Thef. 27.

An de successore Regni judicare possit aut Rex, qui nunc regnat; aut populus, per se aut per Judices datos?

TRactat hoc punctum *Pufendorf de Jur. N. & Gent. libr. 7. c. 7. §. 15.* & statum questionis format hoc modo: Si controversia inter duos pluresve circa successionem in regno, cum primis non patrimoniali, oriatur, quis competens Judex sit?

Existimat autem Grotius, quod in tali lite nec Rex, qui regnat præsentè, nec populus, sive per se sive per Judices datos, possit judicare Jurisdiccionis.

Rationes ejus sunt *primo*, quia Jurisdiccionis non est nisi apud superiorem, non nuda habita ratione personæ, sed causæ simul, quæ spectanda est cum suis circumstantiis. At Rex non est superior ratione successoris, nec causa subiecta est Regi nunc regnanti; nec populus jus

habet,

habet, quia omnem jurisdictionem in Regem & Regiam familiam transtulit.

Secundo ait Pufendorf: Potestas judiciaria exercetur in *subjectos* cum hoc effectu, ut omnino in sententia lata teneantur acquiescere, & si nolint, pro Imperio possint adigi: at tales litigantes iterum nec Regi nec populo sunt *subjecti*. Quanquam enim, dum litigant, possint fortè alicujus Imperio subesse: ipsa tamen causa talis est, ut sententiam tanquam à superiore profectam non admittat.

Tertio communiter etiam traditur ratio, quod *nemo successorem suum possit obligare*. Ubi autem deest vis obligativa, ibi deest vis Jurisdictionis.

Contrarium asserit Gronovius. *Primò* quia hæc sententia Regem vel Principem cogat, ut *belli civilis semina relinquat*, & vivus vidensque crescere sinat, cum possit ea in radice extinguere. Unde ita colligit: *cujus officium est consulere populo & pacem ei præstare*, non modo in præsens sed etiam in futurum, & eam quidem longitudinem, quam humanitas providere potest: ejus est cognoscere de successione præsertim inter cognatos.

Secundo affert *exempla* Regum, qui validè de successore judicaverint. Sic Darium Hystaspem inter Artabazanem & Xerxem cognovisse, & illam Jurisdictionem & illos & totum populum Persarum ratam habuisse. Sic

Darium Nothum judicasse inter Artaxerxem & Cyrum minorem, hunc etiam, quia non acquieverit in sententia patris, & fratrem bello adgressus fuerit, dignum conatibus eventum habuisse.

Tertio anceps omnino & periculosum esse Principium Grotij, videlicet Regem successorum suum obligare non posse. Hoc enim, inquit, si verum est, gratuito bonus est successor, & omnia pacta, fœdera, contractus, privilegia concessa revocandi Jus est successori, si placuerit. Titum aliter judicasse, qui beneficia omnia ab antecessoribus concessa uno die rata habuerit & confirmarit: ubi contra Tiberius eadem non anterata habuerit, quàm postquam ab ipso quoque fuere concessa.

Nostri sententia est.

Primo si regnum sit patrimoniale: tum decisionem de successione integrè stare penes Regem adhuc vivum; imò etiam penes Reginas. Unde non semel, sed aliquoties, à Parlamento Anglicano rogata fuit Elisabetha Regina, ut successorem nominaret; quin & Jacobus Scotiæ Rex per repetitas legationes instantias fecit, ut ipse successor declararetur..

Secundo si successio à Voluntate populi dependet: populi autoritas & Judicium valebit. Aut si quæstio esset de primæva voluntate populi, quænam in tali casu fuerit probabiliter ejus mens: poterit populo, qui nunc est, deferri Judicium,

cium, vel ut interpretaretur primævam voluntatem populi, qui fuit, vel ut suppleret.

Denique si nec Regi nec populo Jus quoddam seorsim hic esset: optimum videtur medium, si uterque junctis suffragiis negotium ageret, atque regno de idoneo successore prospiceret; nec videtur, carere posse judicium tale pleno effectu. Quia enim tale regnum adæquatè consistit ex Rege & ex populo: tum utique conjunctum plenum Jus habebit disponendi de salute Regni. Rem enim tanti momenti ad arbitros extraneos deferri, res nimis periculosa est; facilè enim per corruptionem aut alios respectus ab arbitrio designari is potest successor, cujus minimum Jus est, aut qui minimam habet capacitatem ad successionem.

SUMMA
CAPITIS OCTAVI
LIBRI SECUNDI.

De acquisitionibus, quæ vulgo dicuntur Juru Gentium.

I.

Multa dicuntur juris Gentium, quæ tamē vel sunt Juris Naturæ vel Civilis, de quo post Authorem vid. *Textor c. 8. Syn. Jur. Gent.*

II. Pisces & feræ, inclusæ vel vivario, vel sylva benè septa, an huc referenda sint, dis-

T 3

quirit

quitit Auctor, & putat, quod sint in dominio Jure Naturæ.

III. Fera si aufugerint, non desinere eorum esse, qui cœperunt; si rectè agnoscì possint, tradit pariter Author.

IV. Ut jam fera Principum sint, nec juris Naturæ nec Gentium est; sed à genio & libidine Principum dependet.

V. Bona quæ nullius sunt, occupantur vel manibus, si sunt mobilia; vel pedibus, si sunt immobilia.

VI. Inventus thesaurus naturaliter est inventoris.

VII. Insula, in flumine vel alveo orta, ejus est, cujus est flumen.

VIII. Alluviones quoque indubie sunt populi vicini.

IX. Partus quoque jure naturali ventrem non sequitur, nisi ubi pater ignoratur; nam ubi scitur, pars illius pertinet ad ipsum.

X. Etiam cum in materiam alienam species introducitur: quisque pro ea parte rei dominus evadit, quanti est vel materia vel species jure naturali.

XI. Valetque hoc, licet materia malà fide fuerit tractata; quia, ut per hoc amittatur species, pœnale est non naturale, cum natura pœnam non determinet.

XII. Minor etiam res majori cedit, non jure naturali sed civili.

XIII.

XIII. Sicut nec plantæ cedunt solo jure naturali: sed fit communio inter eum, qui Dominus plantarum, & eum, cujus fundus præbet ipsis alimentum. Idem fit in ædibus; nisi sint mobiles, in quas nullum habet jus fundi Dominus.

XIV. Nec bonæ fidei possessor fructus facit suos naturali jure; solum impendia in rem alienam facta potest imputare.

XV. Idem de malæ fidei possessore censendum; nisi lex pœnalis intercedat.

XVI. Nec traditio dominium transfert jure naturali; cum ad id non requiratur, uti liquet ex donatione rei possessæ, missilibus & ejusmodi.

XVII. Itaque distinguenda vere naturalia à non naturalibus. Quod si tamen acquirendi jus etiam hoc tali, licet improprio, gentium jure commune factum: quibuscunque, civibus & non civibus, peregrinis injuria, contra id facta, potest dare justam belli causam.

Observ. I. ad Lib. II. Cap. VIII.

An captura ferarum Jure Naturæ cuius competas? & quo Jure à Principibus hodie illa per venationes exerceatur?

IN diversa hic abeunt Doctores.

Nam primo quidam putant, Jus capiendi feras seu venandi planè ad Jus Naturæ pertinere,

atque adeo nemini posse simpliciter hoc dene-
gari, ut videre est apud Menochium Cons. 299;
moti maximè eo fundamento, quia videlicet
Deus dominium concesserit toti speciei huma-
næ in bestias, uti constat ex *Gen. 1. v. 28.* Imò
si, non pars, consequens tamen ad minimum
fuit illud dominium imaginis primævæ. Sicut
ergò Imago primæva ad omnes pertinet, ita
etiam hoc Jus in bestias.

Secundo quod Juris Naturæ est, illud di-
cunt esse *immutabile*. Unde nec principes posse
hic aliquid immutare; aut, si id faciant, id non
Juris esse, sed facti.

Tertio Imperium Regibus & Principibus da-
tum esse à Deo in homines, ut Jus dicant
& justitiam exercent, non otio & venationi-
bus indulgeant: Imperia verò, quæ à populo
data sint Regibus & Principibus, non præsu-
mi data esse, ut seipsum populus spoliare vo-
luerit Jure in feras.

Veram nos existimamus, quod licet, præcisa
lège, cuivis competat Jus capiendi feras: rectè
tamen & licitè *venatio* à Principibus *possit im-
pediri*, & prohiberi *subditis* ex variis rationibus.

Nam *primo* non est *consultum* in Republica,
ut *opifices* & rustici licentiam promiscuam ha-
beant venandi; cùm hac ratione non tantum
otio assuescant, sed & ad latrocinia facilè dilabi
possint. Quo etiam pertinet constitutio Fri-
derici II. Lib. 2. feud. tit. 27,

Secundo

Secundo non semper tutum est, ut arma subditis relinquuntur, iis maxime in provinciis, ubi ad seditiones inclinant. Unde etiam Hetruriae Dux in provinciis suis, maxime in Senensi, usum armorum subditis suis prohibuit, utpote prœnis ad res novas.

Tertio si omnibus promiscuè venatio esset concessa: tum intra breve tempus, maxime in locis populosis, tota venatio interiret.

Quarto Deus ipse Regibus & Principibus dominium in feras præcipuè videtur concessisse. Nam de Nebucadnezare Babyloniae Rege aperte dicit Deus Dan. 2. v. 38. quod in ipsius manus dederit volucres cœli, & feras in sylvis, quod Jus non unice Regi illi. sed & aliis indulfit Deus.

Ad rationes itaque pro opposita sententia respondetur, quod, sicut ex imagine primæva nihil post lapsum residui mansit, ita etiam consequens ejus, dominium scilicet in feras & bestias, longè sit debilitatum; nec enim amplius obsequium præstant homini, sed sæpè dentes contra eum acuunt & dilacerant. Deinde illud adhuc reliquum est, quod homo uti illis possit: sed ille usus per leges civiles restringi potest, sicut & libertas.

Ad secundam dicitur, Jus Naturæ utique, quod præceptivum est, immutabile esse; præcipit enim ea, quæ intrinsece sunt honesta, & prohibet, quæ sunt turpia: at jus venandi

T s

non

non est nisi *Juris concessivi*, non præceptivi, quod varias restrictiones admittere potest.

Ad tertiam dicitur, Regum quidem & Principum officium esse, ut *Justitiam* administrent, & pro utilitate publica curas gerant: verum pro his ipsis curis ut etiam honestam & virilem habeant *recreationem*, utique æquum est.

Interim censemus, malè illos Principes facere, qui ob interceptam à subditis feram illos ultimo supplicio afficiunt. Nimis viliter de humano sanguine sentit, qui illum bestiis parem facit.

Videantur præter *Grotium* & *Pufendorfium* *Moralistæ*.

Ludov. Molina part. 1. de Just. tract. 2.

Emmanuel Rodriguez, part. 1. Sum. cap. 35.

Ludov. Carbo de rest. quæst. 34.

Domín, Bannez dub. 5.

Petrus Navarrus libr. 3. de restit.

Sayrus in Clav. Reg. libr. 11. c. 9. & alii.

Observ. II. ad Thef. 20.

An natura pœnas determinet?

Pranotandum hic est, per *Naturam* hic non intelligi *Naturam*, in Genere physico spectatam, prout est principium motus & quietis; sed moraliter *pro Jure Natura*, prout est principium actionum humanarum regulativum & obligans.

De

De Natura sub hac determinatione & moraliter accepta dicit *Gratius*, quod non determinet pœnas.

Sed *contra* videtur esse *primo*, quod profundissimus Juris Naturæ interpres Paulus *Rom. 1. v. 32.* dicit, Gentiles ex ipso lumine Naturæ cognovisse, Justitiam Dei vindicativam contra peccata, & quod, qui talia perpetrent, digni sint morte æterna. Determinatè ergò lumen Naturæ dicitur peccatoribus mortem æternam tanquàm pœnam debitam.

Secundò Lex talionis, ut oculus pro oculo, dens pro dente excutiat, non saltem in lege divina, *Exod. 21. v. 24. Levit 24. v. 20.*; sed & in *Lege Natura* suum fundamentum habet. Unde etiam Philosophi Gentiles, quin & Poetæ ex dictamine naturali eam pro justissima habuerunt. Hinc & inter Leges duodecim Tabularum apud Romanos, quæ quasi naturæ erant documenta, una erat similibus his verbis concepta: *Si membrum rupit meum, ex pacto talio esto.*

Tertio apud Gentiles sola naturâ duce etiam fuit hæc communis & recepta sententia, ut quod quisque fecisset, idem pateretur. Extat de hac re apud *Aristotelem libr. 3. de moribus ad Nicomachum* & apud *Gellium libr. 20.* inter sextum Cæcilium Jureconsultum, & Phavorinum Philosophum subtilis & longa disputatio.

Nos existimamus, distinetè hic esse proceden-

dendū. Nam *primo* si quæstio sit de Lege Naturæ, prout fuit *in statu integro*: tum illa procul dubio adjectam habuit appendicem contra violatores, qualem Lex positiva de non comedendo ab arbore vetita, videlicet comminationem mortis temporalis & æternæ.

Porro si quærat de Lege Naturæ *in statu lapsus*, illa sicut in multis deliquium passa est, ita in hoc quoque, quod non aliter dicitur pœnam transgressori quàm *genericam*; quod ostendit Conscientia accusans *Rom. 2.* nihil enim est conscientia, quàm præco Legis internæ seu naturæ. Ubi autem est accusatio, & quidem tam irrefragabilis, ibi quoque est dictatio pœnæ.

Tertio etiam id negari non potest, quod Jus Naturæ velit commensurationem inter delictum & pœnam.

Observ. III. ad Thef. 22.

Plantata ac confita an Solo cedant?

IN *Jure Civili* duplex affertur ratio, cur confita & plantata solo cedant. *Primo* quod ex meo alitur, meum est; *Secundo* quod coalitum est rei meæ, pariter meum est. Unde *tertio* arborem quoque ex radice æstimat Jus Civile, & indubie illius est, in cujus illa solum porrigitur.

Grotius putat *communione* potius in hoc casu ex naturali *Jure* statuendam; quia domino semi-

feminis aut plantæ, ob alimentum ex solo, Jus non pereat in rem suam.

Verum si rigor Juris Naturæ observandus sit: communio hic ad partes æquales locum habere non potest; sed plus longè Juris habebit dominus soli, quàm feminis. Deinde quis tam accuratus erit, ut ea distinguat. Tercio per talem communionem rixæ necessariò & læsio societatis orientur, quam tamen pro basi & fonte Juris Naturæ ponit Grotius.

Satius itaque & convenientius ad æquitatem Juris Naturalis videtur disposuisse Lex Civilis, ut plantata solo cedant, quàm si statuisset communionem.

SUMMA CAPITIS NONI LIBRI SECUNDI.

Quando imperia vel dominia desinant?

I.

Supra dictum, quomodo acquirantur dominia vel Imperia. Desinunt autem primò derelictione, dein sublatione ejus, qui dominium vel imperium habet ante alienationem vel expresse vel tacitè factam, h. e. nullo successore relicto, quo casu sicut servi liberi, sic populi possessi sui juris erunt.

II. Idem

II. Idem fit deficiente familia;

III. Aut populo, qui justale habet. Populus autem non deficit, sed idem manet, eodem manente summo imperio, i. e. spiritu populi; deficit autem & interit interitu vel corporis, vel spiritus prædicti.

IV. Corpus interit, sublatis partibus, sine quibus non est corpus; ut fit in plenariis excidiis, ubi si pauci supersunt, habebunt dominium, quod populus ad modum privatorum, non ad modum populi habet.

V. Item cum aut sponte ob certas causas decedunt, aut vi distrahuntur,

VI. Spiritus interit, sublata vel omni vel perfecta juris communitate, ut singuli fiant servi, si in provinciæ formam redigantur, aut in alterius ditionem veniant.

VII. Non verò, si locus solum mutatur, sive sponte sive coacte; & minus adhuc, si diruantur muri.

VIII. Nec si forma regiminis, quique liber antea, dein plenissimo Jure regatur. Nec obstat Aristoteles, qui de civitate loquitur, non quatenus est consociatio juris & Imperii; sed relatio partium, quatenus regunt & reguntur. Patetque simul hinc, Regi, liberum olim populum regenti, eundem indubie competere locum, qui libero adhuc populo.

IX. Nec si uniantur populi; cum ex unione jurium sit communitio. Quod & de regnis ve-

ra unitate junctis, non fœdere, vel quod unum saltem habeant Regem, censendum.

X. Fit autem divisio vel per consensum, vel per vim bellicam, & ex ea duo vel plura summa imperia, ut cum Coloniz deducuntur.

Observ. I. ad Cap. IX. Thes. II

An Imperium Romanum translatum sit ad Germanos? & unde Augustus ille titulus?

Negat hoc Grotius ex variis rationibus; haud dubiè ut Gallo, in cujus regno liber iste scriptus est, *placere*, ut rectè observat *Kulpisius*; nec modica sunt signa, quod etiam Pontificis gratiam captare voluerit.

Sunt autem rationes ejus.

Primo quia maxima pars Germaniz, trans Rhenana videlicet tota, multo tempore extra complexum fuerit Imperii Romani: non ergò Imperium Romanum potuisse in illam transferri.

Secundo translationem aut mutationem præsumi non posse, nisi certis documentis illa probetur: nullibi autem literas proflare, in quibus legatur, quod populus Romanus abdicativè à se Imperium in Carolum M. transulerit.

Tertio Imperium semper mansisse penes populum Romanum; cum idem semper permanferit

ferit, atque adeo imperii vim in eo tanquam in corpore fuisse ac vixisse.

Quarto quod olim potuerit facere populus Romanus, ante quam Imperatores existerent; idem Jus nunc habere, ut quisque Imperator moriatur, alio nondum existente, & sic electionem ad populum Romanum pertinere.

Monzambano ita circa hanc materiam discurret, ut *vix aliquid* de Augusto titulo Imperii Romani Germaniæ Imperatoribus concedat.

Nam *primo* ait, titulum Imperatoris atque Augusti primitus datum fuisse Carolo M., devictis Longobardis, à Pontifice, tanquam primario Cive Romano & Sacerdotii ejus urbis Princeps, acclamante plebe; causam verò impulsivam fuisse, quod haud exigua pars prædæ in ipsum Pontificem redundasset; ut ergò se gratum exhiberet erga Carolum, ideoque titulum hunc ei dedisse.

Secundo ait, per hunc titulum Carolum nihil accepisse; cum Roma tum temporis sui juris non fuerit, atque adeò alteri se donare non potuerit.

Tertio Carolum sub splendidissimo titulo Imperatoris tantum fuisse constitutum Defensorem & Protectorem sedis Romanæ & bonorum, quæ ad ipsam ex usurpatione Pontificum spectaverint.

Quarto vergente Caroli posteritate, cum Germani suam Rempublicam à Francorum se-

jun-

jungerent, & graves Italiam turbæ vexassent, Pontificem, iterum diffusum rebus suis, Ottomem Germaniæ Regem defensore[m] adscivisse eodem quo Carolum M. titulo.

Quinto inquit, illos puerilem errare errorem, qui credant Regnum Germanorum in antiqui illius Imperii Romani vicem subisse, & hoc in illo continuari; cum illud Imperium, cujus Roma sedes erat, dudum fuerit destructum, antequam Germania in unum Regnum coaluerit.

Denique Reges Germanorum isto nomine notari solitos, eo quod in vocabulo Imperatoris Romani eximii aliquid splendoris inesse crederetur.

Dn. Kulpisius in Commentario ad Monzambanum adoptat sententiam *Bœcleri* in vindiciis anti-Bœclerianis, quas nunquam satis laudatas dicit, & ait, nonnullos causam impulsivam exteriorem, cur Germanicum Regnum dicatur Imperium Romanum, in nudæ præcedentiæ acquisitione collocare, quod tamen ipse minus probet. Hanc enim ut inter cæteros populos Europæos sibi assereret Germania, non opus fuisse, accersere nomen Imperii Romani; cum ex aliis rationibus hæc ipsi fuisset competitura, nempe quod non solum potentissima à longo tempore habeatur; sed & mater sit aliarum Gentium, ex qua Galli, Hispani, Angli, Dani, Sueci, ac cæteri ferè omnes

U

pro-

prodierint. Omnino autem rationi sanæ consentaneum esse, ut Mater populorum cæteris præferatur.

Verius dici, quia Imperium Romanum ratione dignitatis, antiquitatis & sacrorum præcipuè vaticiniorum cum arcana quadam veneratione inter Gentes Europæas intelligi consueverit: causam esse subnatam Germanis, ut sibi *titulum*, dignitatem quondam & præminentiam singularem denotantem, *quem Jure poterant, actu sumerent.*

Hactenus sententia Kulpisii, quam *rejecit Thomafius.*

Nos existimamus, cum Imperium Germanicum vocatur Imperium Romanum, *quæstionem esse posse vel de Re, vel saltem de Titulo. Si de Re sit quæstio, an videlicet Germania jam eas possideat regiones, provincias, quas olim Roma ejusque Imperatores temporibus Augusti, aut Trajani, aut Constantini possidere: tum fatendum erit, frustra Germaniam Imperium Romanum dici; quia nihil de illis Regnis, aut exiguas aliquas lacinias possidet.*

Quin nec ipsa Roma, Gentium olim Domina & maximi Imperii SEDES, amplius superest; sed ita diruta & vastata in cineribus suis jacet, ut ex innumeris ædibus solum supersit Pantheon, impar omninò, ut Majestatem teneat Imperii, & sedes ejus sit.

Sicut

Sicut etiam nova urbs Roma nihil amplius de veteri populo ejusque propagine habet; constat enim, quod non amplius ducentæ ibi familiæ sint, quæ antiquitatem jactare soleant, quanquam apud ipsas plus quoque jactantiæ sit. Roma ergo novitia Civitas est, ex confluxu diversissimarum nationum enata, non sui Juris, sed subjecta Pontificum arbitrio, qui in eam pro libidine & ad arbitrium Nepotum imperant.

Si de titulo sit quaestio, primus eum quaesivit Carolus M., & quidem ab Imperatore Constantinopolitano, aut potius Imperatrice Irene, quæ ob varias rationes lubenter eum concessit, quanquam in ea quoque concessione multum fuerit vanitatis; si enim Græci Imperatores vires habuissent ad conservandam Italiam, aut defendendam Romam, nihil concessissent.

Porro si de *Ottomanum temporibus* sit quaestio, sanè illi *Imperatores* hoc titulo potuere quam maximè gaudere; quia Italiam & maximè Romam Jure belli possidere; & pro libitu imperarunt Pontifici Romano, eosque constituere. Eodem Jure potuisset gaudere Carolus V., qui Romam & Pontificem armis cepit, nisi prævaluisset superstitio.

Hodiernus noster Imperator, etiam nuper ausus aliquid est, dignum Imperatore, & Romam tanquam feudum Imperii ad impensas belli, in Italia gesti, vocavit. Hoc

sanè

sanè jure si utetur, haud leve pondus ad veritatem tituli Imperatoris Romani exinde accrescet. Secus si fuerit, titulus erit sine RE, ex præscriptione tantum & longi temporis inani possessione ortus.

SUMMA
CAPITIS DECIMI
LIBRI SECUNDI.

*De obligatione, quæ ex dominio
oritur.*

I.

Obligatio adversum nos nascitur, cum rem alienam possidemus; hanc enim ex obligatione Juris Naturæ verò domino reddere tenemur.

II. Quod si eam rem non amplius possideamus: tum tenemur ad æquivalens, sive ad id, quo locupletiores facti sumus.

III. Bonæ Fidei possessor non tenetur ad ullam restitutionem, si res perierit.

IV. Obligatur tamen, si res adhuc extet; quin etiam ad fructus rei extantes, exceptis fructibus industriæ.

V. Tenetur etiam ad rei & fructuum consumptorum restitutionem; si modo alias quoque tantundem consumpturus fuerat:

VI. Non, si percipere eos neglexit.

VII.

VII. Aut alii donavit, nisi tantundem aliàs donaturus fuisset.

VIII. Aut vendidit, nisi plus vendidit; aut donatam vendidit, quo casu tenebitur ad pretium, nisi prodegerit.

IX. Quod si rem emit, reddere etiam sine pretio tenetur, nisi quantum ipse Dominus fuisset in eam impensurus. Unde sequitur, ut, si quis negotia mea sui lucri damno gessit, in id, quod ex eo locupletior ego sum, habeat actionem; ut qui jactu suarum rerum res meas in mari servavit.

X. Neque sic emtam restituere venditori licet ad recipiendum pretium.

XI. Quod si Dominus ignoratur, tenetur nemini, nec, licet pium sit, eam dare pauperibus.

XII. Nec, si accepta sit, ob causam turpem, aut alioquin debitam, restituenda jure naturali, licet aliud sæpe velint Leges Civiles.

XIII. Non transit quoque rerum dominium, quæ functionem recipiunt, ad alium, nolente Domino: sed præcedente consensu expresso, aut ex lege vel more præsumto, sine qua functio non habet locum, transit.

Observ. I. ad Cap. X. §. 10.

An is, qui rem alienam emit, possit eam restituere venditori, ut pretium servet?

Moralistæ sub clarioribus verbis tractant hanc controversiam, nempe sub his: An, qui rem furtivam emit à fure, possit contractum rescindere, & furi rem restituere, ut recipiat pretium?

Tres autem hic sunt sententia: Prima distinguit inter emtorem bonæ & malæ fidei. Priorem, seu bonæ fidei emtorem, posse pro pretio restituere venditori rem furtivam: at si quis malæ fidei emtor sit, non posse. Et in hac sententia est Lessius cap. 14. dub. 3. Dicastillo, Turrianus, Malderus & alii. Rationes horum Authorum sunt.

Primo quia contractus ille sit dolo malo initus, ideòque rescindi possit. Neque aliud facit bonæ fidei emtor, qui rem furtivam restituit, quàm quod rem, bona fide emptam, in eum statum restituat, in quo ante emtionem fuit.

Secundo ait Dicastillo, qui rem aliquam invenit in platea, & tollit eo animo, ut restituat Domino suo, si deinde aliquod inde malum timeat: potest redire ad locum, ubi invenit, & ibi reponere in pristinum statum citra læsionem

REM

nem Domini, ad quem res ea pertinet. Ergò potest emtor etiam rem in pristinum statum reponere, per repetitionem pretii sui & redditionem rei furtivæ in manus furis.

Tertio regularis amor incipit à se ipso: ergò si ego videam, me pretium pro re furtiva, bona fide emta, amittere posse, nisi illud repetam; Jure illud repetere possum, & domino rei istud onus relinquere, ut sibi prospiciat, quomodo rem sibi ablatam iterum à fure habere queat.

Nihilominus *secunda* sententia universaliter *negat*, quod, qui rem alienam emit, possit eam restituere venditori, v. gr. furi, ut pretium servet. Et in hac sententia est *Cajetanus, Medina, Sotus, Ledesma, Molina & Grotius*.

Ratio Grotii est, *quia*, ex quo res aliena furtiva in meam potestatem venit, ab eo statim tempore incipit obligatio eam restituendi vero Domino: ergò ego non possum eam reddere furi.

Secundo hæc sententia imprimis videtur militare, si res apud furem, cui restituerem, magis periclitatura esset, quàm apud me, quod non reditura sit ad verum dominum, quod exemplis illustrari potest. Nam si rem tuam ex incendio eripuissem, & alius mihi minitaretur, quod mihi tantundem ablaturus esset, nisi rem illam iterum projicerem: non liceret mihi iterum rem illam in incendium projicere; tam illicitum enim est tunc rem iterum in incendium

dium projicere, quàm illicitum esset, si eam nunquam eripuisssem, sed illa abs me fuisset juxta incendium posita. Atqui si emptor in casu proposito restitueret furi positiva actione rem emptam: planè positivè quasi projiceret in incendium: ergò non potest eam restituere furi rem, ut pretium recipiat.

Tertio melior status rei, undecunque proveniat, pertinet ad utilitatem veri Domini, & domino accedit: ergò non licet sine injustitia ex meliore statu, quem emptor acquisivit, positivè projicere in statum pejorem. At res furtiva, à fure ad me perveniens, & juxta furis detentionem constituta, acquisivit meliorem statum, sicut res ex incendio erepta: ergò à me sine injustitia in pejorem statum detrudi nequit.

His tamen non obstantibus rationibus, nonnulli ex Moralistis, ut famosus ille *Diana & Lugo Card. disp. 17. sect. 2.* universaliter asseruerunt, posse rem furtivam furi restitui, ut recipiatur pretium; quia in hoc casu meam tantum indemnitatem quæram, quod cuivis sit concessum Jure quoque Naturæ.

In hoc sententiarum divortio nobis media sententia tanquam tutior in Conscientia videtur.

Ad rationes itaque primæ sententiæ respondetur.

Ad primam quidem negando consequentiam, ejus falsitas exinde potest cerni; quia, stante illa

illa, sequeretur, quod emptor posset rem furi referre & restituere, si dominus rei præsens esset, & rem vellet vindicare. Nam etiam tunc posset juxta hypothesein contractum rescindere: at hoc in omni Jure est absolum, cum rem teneatur tradere Domino, qui rei habet vindicationem.

Ratio verò à priori hujus rei est, quod fur ex se habeat obligationem restituendi pecuniam, & alter Emtor habeat Jus ad eam, utpote dolomalo acceptam. At verò fur nullum habet jus ad restitutionem equi, sed dominus habet.

Ad secundam rationem Joh. de Dicastillo responderetur, *non esse paritatem*. Inventor enim potest quidem ob periculum desinere rem conservare: sed non potest rem temerè abjicere; sed tenetur ad minimum rem in pristinum locum deportare; sic enim poneret in eum statum, ex quo ante extraxit. Unde non nocet domino; sed is noceret domino, qui rem furi restitueret.

Ad tertiam dicitur, amorem regularem proximo non nocere, nec injustitiam committere: at verò esset injustum, rem, quæ est domini, tradere furi. Ex quo ipso etiam argumentum pro tertia sententia facile solvi potest; indemnitate scilicet meam non possum querere cum læsione alterius.

Observ. II. ad Theſ. 12.

*An ob Cauſam turpem acceptum
debeat reſtitui ?*

T*esmarus* dupliciter caſum proponit : *primò* anne datum ob turpem cauſam debeat reſtitui : *ſecundo* anne datum, ut fungar officio meo, reſtitui debeat, aut reperi poſſit. Incipiendo ab ultimo, quia non minus frequens eſt poſterior caſus quam prior, *negat* cum *Grotio Teſmarus*, reſtitutionem eſſe neceſſariam.

Ratio Grotii *prima* eſt, quia ad reſtitutionem rei nemo tenetur, niſi res ſit aliena. At verò hoc modo datum non eſt res aliena, ut ſupponitur, ergò non eſt neceſſaria reſtitutio.

Secundo ait *Teſmarus*, Voluntate Domini dominium eſſe tranſlatum in alium, quod reuocandum temerè non ſit.

Unde *tertio* concludit, Judam proditorem non fuiſſe obligatum ad reſtitutionem pretii ob proditionem accepti; hinc etiam Phariſeos non ſponte accepiffe pecuniam oblatam.

Sed *contra* eſt, *quia*, cum illud facere, ſive officio meo ex iuſtitia deſungi tenear, dare non debuit, imò nec dare voluit, ſi ego facere voluiſſem, quod facere debebam. Unde coactè dat, & rationaliter inuitus; cum aliter reuocationem ſuam iniuſtam redimere non poſſet;

fer: & consequenter non transfertur dominium rei datæ, atque adeo accipiens illud restituere tenetur.

Secundo monstrat hoc exemplo suo Samuel Propheta & Judex populi 1. Sam. 12. v. 3. qui ad universum populum provocavit, & monuit, ut repeterent, si quis ex populo ipsi aliquid muneris vel corruptionis dedisset. Offert itaque Vir Divinus restitutionem, si quicquam propter officium gestum recepisset.

Tertio si juxta *Augustinum Epist. 54. ad Macedonium* testis, aliquid accipiens pro dicenda veritate, restituere illud tenetur: tum vel maximè is ad restitutionem tenetur, qui ex officio aliquid facere tenetur; maximè si propter officium suum jam habeat stipendium, seu salarium; sic enim pretium duplicatum pro re acciperet, unde jure excessum restituere tenetur.

Quarto Lex Julia repetundarum illos punit, qui in officio publico vel in administratione magistratus pecunias seu munera accipiunt, quò magis vel minus officia sua faciant. Et in hac sententia sunt meliores Moralistæ

Emmanuel Rodriquetz in Sum. par. 2. c. 40.

Ludovicus Lopez, part. 1. cap. 106.

Sayrus in Clav. Reg. lib. 10. tract. 5.

Inprimis autem *Hannoldus, Jesuita* alias satis laxus, qui tamen *Controv. 5. de accepto ob turpem causam p. 137. in materia de justitia* ait:

Qui

Qui accipit aliquid ad præstandum id, ad quod antea ex Justitia tenebatur, is Jure Naturæ tenetur ad restitutionem accepti.

Ratio, ait, est aperta, quia alioqui non servatur æqualitas; debetur enim alteri talis actio absque ulla bonorum jactantia. Atqui si non restitueretur pretium: pateretur jacturam pretii; nec haberet totum, quod vi Jurium suorum deberet habere.

Quod confirmat *Hannold*, nam ait: vel ille, qui solvit, facit & solvit ex ignorantia; vel scit sibi ante fuisse debitum. Si *primum*, est rationabiliter invitus, ut retineatur pretium. Si *secundum*, vel vult simpliciter donare, quod nemò facere præsumitur, imprimis si sit pauper respectu accipientis; vel facit ad redimendam vexam & majus damnum, & sic est rationaliter invitus, ut retineatur pretium.

Specialiter nunc etiam quæstio est, si aliquid acceptum sit pro admissione vel omissione turpi & illicita.

Ubi *Hannoldus* cum *Grotio* existimat, de Jure Naturæ non esse obligationem restituendi acceptum pro amissione turpi, v. gr. non teneri meretricem ad restituendum pretium, seu mercedem; & qui promisit mercedem meretrici, teneri ad dandum.

Rationes *Grotii* supra tactæ sunt, *Hannoldi* verò sunt:

Primo

Primo quia, licet ipsum pactum præcedens ratione Objecti sit illicitum, & nullam inducat obligationem præstandi promissum; cum nemo possit obligari ad illicitum: nihilominus tamen actio ipsa pretio sit æstimabilis. Ergò tale pactum obligare alterum sub conditione, si animo fuerit exhibitum, ut solvat pretium.

Secundo probat hoc per exemplum; nam in matrimonii promissione conditionata si permittat se puella stuprari, tenetur eam ducere, secuta constupratione, ut evidens est, & in praxi receptissimum.

Tertio Meretrix, accepta mercede, fit Domina mercedis acceptæ, ergò nihil tenetur restituere; hæc enim est proprietas domini, ut nulla sit obligatio ad reddendum.

Sed *contra* videtur esse, *primo* si esset obligatio solvendi mercedem meretrici: tum peccata haberent aliquem favorem; at posterius est absurdum, hac enim ratione aleretur licentia peccandi. *Secundo* fœmina non est domina corporis, ergò illud non potest vendere; atq; adeo si pretium accepit, accepit illud de re, quæ non erat SUA; ac consequenter illegitimè accepit, & tenetur ad restitutionem. *Tertio* sicut non licet actionem peccaminosam præmio coronare: ita non licet pro ea mercedem solvere. Et pro hac sententia etiam nos stamus.

SUMMA
CAPITIS UNDECIMI
LIBRI SECUNDI.

I.

Inter obligationes, quæ ex Jure Naturali oriuntur, prima est, quæ ex pacto vel conventionem originem habet, cujus iterum prima species quasi est promissio.

II. Promissa in triplici sunt differentia vel gradu. Primus est *assertionis* simplicis: Secundus est *pollicitationis*: Tertius est *perfecta promissio*.

III. Ex simplici *assertione nulla*, ex altera *Imperfecta*, ex tertia *perfecta* est obligatio.

IV. Requisita *perfectæ promissionis* ratione promittentis iterum tria sunt, ratione *formæ*, *materiæ* & *modi*.

V. *Forma* consistit in eo, ut adsit *consensus* promittentis, ex Intellectu & Voluntate profectus.

VI. Unde sequitur, quod *furiosi*, *amentis* & *infantis* nulla sit promissio.

VII. Secus se res habet cum minoribus & fœminis; hîc enim est *Naturalis* obligatio, ut ut ejus *effectus* per Leges Civiles vel circumscribantur vel tollantur.

VIII. Si error in promisso sit, tum ipso Jure invalidum est; si in ipso fundata sit promissio: sin secus, obligatio manet.

IX. Si

IX Si promissio sit perfecta ex metu, tum distinguere oportet primo inter metum gravem & levem, deinde justum & injustum.

X. Si metus sit levis aut injustus, nulla nascitur obligatio.

XI. *Materia* promissi debet esse in Jure promittentis.

XII. Modus promittendi requirit signum externum Voluntatis.

XIII. Ut denique promissio Jus transferat, requiritur ex parte promissarii acceptatio.

Observ. I. ad Cap. XI. Lib. II.

De

PROMISSIS.

An promissio obliget ad sui implementum in Conscientia?

TRactat Grotius prolixè in Cap. XI. de Promissis, & asserit obligationem ad implenda promissa esse ex ipso Jure Naturæ, si videlicet perfecta sint, ac proin jus alteri oriri ad exigenda promissa. At si sit saltem pollicitatio seu promissio quædam imperfecta; cum scilicet voluntas se pro futuro tantum determinat: tum obligationem quidem adesse, sed alteri jus non oriri. Eandem materiam tractat *Puf. lib. 3. c. 5. de J. N. & G. & in Elem. J. Ubi. l. d. 12. §. 8.* & sententiam Grozii sequitur.

Mora-

Moralistæ alias sub his terminis istud punctum tractant : an promissio absque ratione debiti præcedentis, aut juramento destituta & scriptura, quam vocant nudam & simplicem, obliget in conscientia?

Ubi *Cajetanus in II. 2. q. 88. art. 5. Caramuel* & alii *negant* obligationem talem in conscientia, & dicunt, si quis tale promissum non server, illum non committere peccatum mortale, sed esse peccatum leve & veniale.

Ratio ipsorum est : quia inquirunt, promissionis obligationem ad aliam virtutem non *per-tinere*, quàm *ad veritatem*, id est, ut verum quis dicat, quæ veritas virtus quædam sit moralis. Unde non adimplere promissum ex genere suo nihil aliud esse, quàm mendacium, quod ex objecto suo non inducat obligationem in Conscientia, ut quis peccet mortaliter, si quis mentiatur ; alias nimis frequentia essent peccata mortalia.

Secundo ipse *Thomas Aquinas ait*, hominem alteri ex promisso *obligari* saltem *quoad honestatem*. Quasi significare velit, obligationem, quæ confurgit ex promissione, non pertinere ad Justitiam, sed solum ad honestatem moralem, qua quis promissum solvere ex titulo honesti debeat.

Caramuel illud exinde probat, quia Legatum sit quoddam promissionis genus : & tamen, dum vivit *testator*, semper *mutare potest testam-*

ment

mentum suum, nec obligatur in Conscientia ad solvendum legatum.

Nos existimamus *primo*, omnem promissionem *justam & honestam*, etiam simplicem, ad sui observationem *obligare in Conscientia*. Ratio est, quia ex promissione tenetur quis in Conscientia verum facere dictum suum, hoc est, adimplere promissum; aliàs mendacium committit, quod nobis non tantum est peccatum, ut Moralistæ volunt, veniale, sed ex natura sua mortale. Quod evidenter constare potest ex illo dicto Salvatoris apud Matthæum, ubi ait, nos obligatos esse ad reddendam rationem coram tribunali divino de verbo otioso. Si ergò de quovis otioso verbo reddenda est ratio, cur non de mendacio.

Deinde dicitur hoc ratio naturalis, & oppositum ejus manifestè nocet tranquillitati & bono communi societatis humanæ. Si enim homini, mihi promittenti aliquid, fidem adhibere non possum: quid erit hominum societas, nisi cœtus malignantium. Unde Augustinus ait, hominem obligari ex qualibet promissione naturaliter: & Thomas Aquinas ipse tandem fatetur, quod, qui non adimpleat promissum, infideliter agat, eo quod animum mutet. Qui enim promittit, dat fidem alteri; frangere verò fidem est contra J. Naturæ; qui autem contra J. Naturæ agit, ille violat Legem, quæ præcipua custos est societatis.

X

Unde

Unde *secundo* à fortiori dicimus, omnem promissionem simplicem, veram, deliberatam, voluntariam, rei licitæ, possibilis, immutato manente rerum & personarum statu, ita in conscientia obligare, *ut peccet mortaliter, qui non servet promissum.*

In hac assertione meliores Moralistæ conveniunt, eamque defendunt Michael Salon in 2. 2. de dominio, Gregorius de Valentia Tom: 3. disp. 6. Emmanuel Rodriquetz part. 2. Summ. 27. Sayrus in clav. reg. libr. 6. cap. 6.

Ratio est, quia observantia promissi non solum *pertinet* ad virtutem moralem veritatis, qua præcipitur nobis, ut verum dicamus, ut malè putat Cajetanus; sed *etiam ad Justitiam commutativam*, qua tenemur reddere debitum ei, cui fuit promissum. Postquam enim aliquid promissum est, jam est debitum: at quod non tantum contra veritatem sed & contra justitiam est, illud procul dubio contra conscientiam est hoc ipso; quia lædit Jus Naturæ, quod manibus divinis conscientiæ nostræ est inscriptum.

Quod autem promissio pertineat ad Justitiam commutativam, id partim exinde constat; *quia est ad alterum*; partim quia *fides adstringitur* promittentis. Quæ sanè fides ipsi Cicero ni libr. 1. d. offic. ipsissimum est Justitiæ fundamentum, quo fides omnium hominum, pacta &

con-

conventiones nituntur; & Liv. libr. 3. ait: Nisi fide constet Respublica, opibus non stabit.

Addimus autem in assertione nostra certas *circumstantias*, quæ etiam *explicandæ* sunt.

Diximus autem *primò* de promissione *Vera*, hoc est ut sit facta *cum animose obligandi*; nemo enim potest obligari, nisi animum habeat se obligandi; potissima enim vis obligativa, stat in intentione. Interim si quis per verba exteriora aliquid promisit, & interius non habuit intentionem se obligandi: ille fallax est, & turpiter mendax, quanquam alteri jus proximum ita non nascatur petendi promissum.

Secundò diximus, promissionem debere esse *de liberatam & voluntariam*; nam sine deliberatione facta non obligat. Illa autem requiritur, & sufficit deliberatio juxta Moralistas, quæ requiritur ad votum. Nos minorem sufficere putamus. Quanquam autem deliberata sit, si tamen *dolo aut metu* extorta sit, non obligare censemus, in quo consentit Grotius & Pufendorf, item Tamburinus & Navarrus, nisi adsit *juramentum*; ibi enim est obligatio non adversus homines, sed adversus Deum.

Tertio promissio debet esse *rei licita*; nam qui promisit, quod de se erat illicitum, licet promittendo peccarit, mutando tamen propositum bene facit juxta illud Augustini: in male promissis rescinde fidem, & alibi: Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

Quarto debet esse *REI possibilis*; quia, si promittenti sit impossibile vel perniciosum, ut si promittat pecuniam, quàm postea ob infortunium reddere non potest, non tenetur servare promissum, cum ad impossibile nemo teneatur.

Quinto immutatus debet esse *status rerum & personarum*, hoc est, ut simplex promissio in Conscientia obliget, personæ & res in eodem statu esse debent tempore adimplendi promissum, in quo erant, quando facta est promissio. Si enim magna sit facta mutatio in statu personæ & negotiis contingentibus à tempore promissionis: non tenetur quis adimplere, quod promisit; ut rectè docet Navarrus in manual: cap. 18. Sayrus in Clav. reg. libr. 6. Petrus de Arragon. in 2. 2. q. 88. Rodriquetz. part. 2. Haunoldus & alii. Ratio est, quia obligatio promissionis oritur ex intentione promittentis; non est autem probabile, promittentem in casu tantæ mutationis obligare se voluisse. Quæ mutatio ad hoc, ut non obliget, arbitrio boni & prudentis Viri relinquenda est, habita semper ratione ejus, qui promisit, an scilicet promississet, si mutationem hanc præscivisset & advertisset.

Interim secedimus à sententia Francisci à Victoria, & Melchioris Cani, qui putant, hoc procedere, etiam si Juramento confirmata fuisset promissio. Nam Juramenti religio fortior nobis

nobis debet esse, & majoris momenti, quam quævis rei terrestris jactura. Abeant ergò res omnes, & retineatur obligatio erga Deum.

Ex dictis *inferitur, non esse servandam promissionem, quando id, quod promittitur, vel sit inutile, aut nocivum ei, cui promissio facta.* Ut si quis promississet alicuiensem, & interim efficitur furiosus; vel quando promissionis observatio facta sit magis nociva promittenti, quam esset utilis ei, cui sit promissio; ut si quis promississet, se fore Advocatum in causa ejus in crastinum, & accidat proprii filii infirmitas, exigens paternam curam & præsentiam. In talibus casibus amicus sui prærogativam tenet.

Secundo non tenetur adimplere promissum, si, cui promissio facta est gratuita, exhibeat manifesta ingrætitudinis signa. Ut si ex amico sine justa causa factus sit inimicus; sic &, si, quam promisit quis ducere, postea fornicata fuerit. Hinc Seneca pulchrè in libr. 4. de Beneficiis ait: Ad hoc, quod homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, ut omnia immutata permaneant, alioquin non fuit mendax in promisso; quia promisit, quod habebat in mente, sub intellectis debitis conditionibus. Nec etiam est infidelis in implendo, quod debita conditiones non extant.

Tertio non tenetur quis servare promissum, quando altera pars remittat promissionem; vel pro sua parte non impleat id, Cujus Causa pro-

missio facta est, ut observat etiam Tesmarus. Diximus cujus causa; quia, si absolutè aliquid promiseris sine respectu rei à Te illi promissæ, non liberatur unus ab obligatione ex eo, quod alter non servet promissum suum, ut rectè notat Sayrus in Clav. reg. & Navarrus, in man. c. 18.

OBSERVATIO II.

An promissio pure mentalis, seu quæ sit interius in mente, aut etiam exterius, dummodo promittens sit solus, obliget Promittentem in conscientia ad minimum ad explicandam promissionem ei, cui in mente promissio facta est?

Hanc quæstionem non tractat Grotius in materia de promissis, ut ut eam habeat in materia de dominio, ubi quæritur, an quis solo actu interiori Voluntatis sine exteriori possit dominium in alterum transferre. Una proin quæstio explicat alteram.

Subsistendo in materia de promissionibus, advertendum porrò, in praxi & foro externo punctum hoc litem non habere; quia in Jure positivo Civili obligatio nulla est: at in foro interiori obligationem asserit Ledesma 2. quart. q. 18. quem sequitur Ludovicus Molina, & Turrianus.

Ratio-

Rationes pro hac sententia sunt; quia primo voces sunt signa tantum conceptuum. Ergò si per voces transfertur dominium & promissio, facta voce, obligabit: multo magis promissum mentale obligabit.

Quia secundo si promissioni tali mentali addatur juramentum, non est dubium, quin obligetur jurans servare promissum, non solum ratione Juramenti, sed etiam ratione promissionis mentalis præcedentis; Juramentum enim non inducit obligationem, sed tantum confirmat illam.

Denique *tertio promissio, facta surdo nihil audienti, aut absenti in præsentia alicujus, obligat in Conscientia: ergò facta etiam in mente obligabit; cum eadem sit utriusque ratio.* Tam ignota enim est promissio, facta surdo nihil audienti, aut absenti, etiamsi verbis explicetur: quam si esset omnino interna, & non explicata verbis; proin sicut una obligat, ita etiam obligat altera.

Contraria tamen sententia est Haunoldi contr. p. 67. item A'maini & aliorum.

Pro his Authoribus est *primo, quia naturale omnino est, ut homo homini proprios conceptus verbis & signis externis significet; ergò ante significatam promissionem nulla videtur obligatio resultare.* Sola ergò promissione mentali nec rei Dominium in alterum transfertur; nec Jus alteri in RE aut Jus ad REM acquiritur;

nec obligatio aliqua inducitur adimplendi promissum. Et hæc ratio robur exinde capit, quia, cum promissio ejusque impletio sit *actus Justitia*, ad hoc, ut promissor teneatur, requiritur, ut is, cui fit promissio, illam acceptet. Dare enim & accipere sunt relata. Hinc quàm diu non est, qui accipet, non est donatio, nec translatio Domini; & per consequens per solam promissionem interiore non inducitur aliqua obligatio, qua promissor teneatur servare promissum; nec aliqua injuria fit ei, cui fit promissio, si revocetur promissio; nec obligatur promittens talem promissionem ei manifestare, cum absque omni injuria decretum suum mutare, ac propositum revocare possit. Et hanc sententiam *sequuntur* communiter *Juris Civilis doctores*, qui eam confirmant *ex l. i. ff. non Verb. Obl.* ubi dicitur, quod animus in mente retentus obligationem non inducat.

Addunt alii, maximè *Joh. de Dicastillo*, etiam hanc rationem, quod, *sicut Lex Principis, nondum exterius promulgata, non obligat*, ita nec actus hominis interni.

Unde *ad allata* in contrarium responderi poterit, ad

Primum quidem, quod, licet verba vim habeant ab interno conceptu, internus tamen conceptus non liget absque verbis aut signis externis. Sicut enim *natura* instituit voces & signa

signa ad exprimendos conceptus internos : ita etiam instituit voces & signa tanquam instrumenta & media, SINE QUIBUS unus homo non potest alteri obligari.

Ad secundum dici potest, promissionem internam, Juramento firmatam, obligare non ex vi promissionis, sed ex vi juramenti propter divini Numinis reverentiam. Exigit enim reverentia Deo debita, ut, qui Deum jurando in testem illius promissionis adduxerit, illud efficiat & præstet, in cujus testimonium omnis scium & severum testem ac vindicem adduxit.

Ad tertium verò de promissione surdo facta respondetur, illam non obligare, donec ab eo, aut ab alio vice ipsius, acceptetur; & sic docent Lopez, Salonius, & alii. Quoad promissionem verò factam absenti communiter dicitur, talem promissionem non obligare ex justitia legali, antequàm acceptetur ab eo, qui absens, aut ab alio, qui præsens est nomine absentis.

NOS interim id notamus, tutius esse in foro conscientia, etiam ea, quæ mentaliter promissa sunt, servare.

SUMMA
CAPITIS DUODECIMI
LIBRI SECUNDI.

De Contractibus.

I.

PRænotandum hic est, Grotium hîc terminis uti novis, qui rem obscuram potius quàm claram effecere. Studiosè autem Grotius Juris Civilis terminos non adhibuit, ut eo magis Junî Naturæ & rectæ rationi locum daret.

II. Dividit autem ante omnia actus humanos in simplices ac mixtos: simplices sub dividit in beneficos meros, aut cum mutua obligatione.

III. Et permutatorios tum qui dirimunt partes, tum qui communionem adferunt.

IV Actus communicatorii aut facta communicant, aut res.

V. Mixti sunt aut principaliter aut per accessionem alterius. Sic si rem majoris emam, & quod plus est in precio alteri condonem, partim donatio erit, partim emptio. &c.

VI. Per accessionem ad alterum actum fit mentio, ut in fidejussione & pignoris datione.

VII. Arque hi quidem actus omnes, extra mere beneficos, vocantur contractus.

VIII. In quibus jus naturæ requirit æqualitatem, & jus dat minus habenti.

IX. Quæ æqualitas observanda respectu actuum

actuum præcedaneorum primò, ut vitia nota indicentur rei, de qua agitur, non & aliud quodvis extra rem, quod contrahenti potest esse utile; nisi illa ei ante fuerunt comperta.

X. Deinde ut ne metu volendi libertas tollatur, nec is contrahendi causa incutiatur, sed dematur.

XI. Respectu actus principalis, ne plus exigatur, quam par est, si sit non beneficis, sed permutatorius contractus, in quo id, quod plus est, donari minimè præsumendum, nisi liquido appareat.

XII. Respectu ejus, de quo agitur, ne retineatur, quod plus esse ex re apud nos, licet sine culpa nostra,prehenditur.

XIII. Etiam in beneficis actibus æqualitas requiritur hæctenus, ne quis ex iis sentiat damnum. Sic mandatario debetur indemnitas, eique, qui quid commodat, excepto, si & absque hoc damnum id fuisset passurus: non verò ei, qui quid deponit, nec qui pignus dat, aut locat, nisi is, cui pignus datum aut locatum est, valdè fuerit negligens.

XIV. Cæterum æqualitas consistit in pretiis, quorum mensura jure naturæ est indigentia, vel voluntas, i. e. quod vulgò solet dari. Potestque in eis constituendis ratio haberi laborum & expensarum mercatoris, quin & accidentium quorundam rei ipsius, ut, si facilè corrumpatur, non libenter vendatur, & ejusmodi.

XV. De

XV. De emptione notandum, quod conficiatur per solum contractum, etiam sine traditione, quæ, quamdiu non fit, res est periculo venditoris, si de non statim transferendo dominio fuerit conventum; item, quod ex venditione duobus facta ea valeat, quâ statim quoquo modo dominium fuit translatum.

XVI. De monopolis, quod illicita non sint, quæ sub justo precio concessa sunt à summa Potestate, vel à privatis instituuntur justo lucro: contra illicita, quæ contrario se habeant modo.

XVII. De pecunia, quod naturaliter mensura sit ex comparatione quadam ad res, aut omnes aut maximè necessarias.

XVIII. Quæ in emtione, illa & in locatione observanda: itaque casus, qui usum impediunt, damno sunt conductoris. Quod si bis locavit locator, conductori primo debet, quicquid inde factus est locupletior.

XIX. Similiter pluri locari potest, sicut vendi, ob certa accidentia, ut, si locentur in gratiam alterius &c. Imò ob unam operam, pluribus simul utilem, integram à singulis mercedem pacisci licet.

XX. Usuræ jure naturæ non sunt illicitæ; cum pro usu rei liceat exigere pretium; pecuniamque natura sterilem industria faciat fructuosam; ac, licet pecunia propriè ususfructus non sit, jus tamen ea utendi æstimabile sit.

fit, & sæpe in compensationem veniat: lege tamen Evangelica illicitæ habentur.

XXI. Sed distinguenda ab usuris pacta, cum pecunia exigitur pro damno ex carentia pecuniæ; aut lucro, quod fieri cum ea potuisset; aut impensis ejus, qui ad hoc paratam habet pecuniam, ut mutuetur; aut periculo amittendæ sortis.

XXII. Nec leges humanæ plus possunt tribuere, quàm compensationem ejus, quod abest, vel abesse potest; in cæteris indemnitàtem præstant, jus non faciunt.

XXIII. Assècurationis contractus est nullus, si ineatur, cum alteruter sciverit, rem esse salvam, vel perditam, & ideò contraxerit: pretium in eo pro periculo petendum ex communi æstimatione.

XXIV. In societate negotiatoria damnum & lucrum sunt æqualia, ubi cætera æqualia. Ubi opera confectur cum solo usu pecuniæ, fors perit domino; ubi cum sorte, particeps fit illius, qui hanc impendit. Conveniri quoq; mixto contractu potest, ut quis lucri solius, non & damni fiat particeps, non contra.

XXV. In Admiralitate lucrum ex præda, post compensationem damni, cedit cuique pro parte, quam habet in summa ex præda confecta.

XXVI. Atque ita quidem omnia valent quoque jure gentium voluntario, nisi quod inæqualitas, in quam consensum est, habeatur
pro

pro æqualitate, ita ut ex ea nulla detur exactio. Hinc naturaliter dicitur licere alterum circumvenire, hoc est, ex recepto more, nec contra remedium esse institutum, ne lites, obtentu inæqualitatis hujus, in infinitum crescerent.

Observ. I. ad Cap. XII. §. 1. 2. 3.

De Contractibus.

Grotius caput hoc incipit cum multis distinctionibus & tricis; nobis in hoc clarius videtur proëssisse Pufendorfius, ubi de pactis incipit. *Pactum enim habet naturam generaliore, quam contractus*; omnis quippe contractus est quidem pactum, sed non omne pactum contractus.

Definit Pufendorf contractum in oppositione ad pactum, quod sit talis conventio, quæ versatur circa res & actiones in commercium venientes. *Pacta contra*, pressè ita dicta; vocat omnes conventiones negativas, quibus, aliquid non facturos nos, aut non petituros, paciscimur, quod facere vel petere poteramus.

Postmodum contractus dividit in μονοπλεύρης unilateres, & διπλεύρης bilateres, & qui media dicuntur natura.

Primi generis sunt, qui ab initio ex uno tantum latere ad aliquid præstandum obligant, ut sunt mutuum & stipulatio.

In

In *secundo genere* est obligatio ultro citroque ad aliquid præstandum, ut in *emptione, venditione, locatione, conductione, societate.*

Medii generis sunt *commodatum, depositum, pignus.*

Nota quoque est *apud 7Cros Rom: divisio contractuum in reales, consensuales, literales, & verbales.* In reali necesse est, ut traditio rei antecesserit. In consensuali incipit obligatio dandi aut præstandi aliquid, etiamsi nondum facta sit rei traditio. Contractus verbalis, seu stipulatio, intra certas & solennes interrogandi & respondendi formulas stat, & iuraturæ proin ignotus est. Idem dicendum de contractu literali, quatenus aliquis, qui rem non accepit, ex sola scripturæ quæ obligatus est, ac si rem accepisset.

Denique etiam *distinctio in contractus nominatos & innominatos mere juris est Civilis.* Non enim ad intrinsecam contractuum rationem pertinet; sed ad extrinsecos tantum effectus, quos producit in Iudicio, ad actiones scilicet instituendas. Nempè quando in Iudicio sub certa formula indicabatur genus agendi, & dabatur actio, erat contractus nominatus; quando verò in Iudicio per circumstantias facti actus describatur, erat innominatus, ut observat *Dn. Obrecht in Coll. mscr.*

Obser-

Observ. II. ad Thes. 3. Cap. XII.

*An permutatio antiquior sit Em-
tione & venditione?*

A Sferit prius hoc *Hugo Grotius* in thesi 3. negat autem, ad minimum limitat *D. Oslander* in notis ad illum locum.

Rationes *Osiandrinæ* sunt: *primò* quia posito, quod apud unum aut alterum populum permutatio fuerit antiquior, id apud alios quoque populos obtinuisse tamen nondum probatum sit.

Secundo *Villalpandum* ostendisse, quod tempore *Lamechi* jam usus nummorum locum habuerit.

Tertio in familia *Patriarcharum* emtionem & venditionem jam locum habuisse; ut constet exemplo *Abrahami*, qui habuerit servos argento emptos *Gen. 17. v. 12*, sic & agrum *Egronis* quadringentis siclis probæ monetæ & inter mercatores receptæ emerit *Gen. 23. v. 15. 16.*

Quarto *Bochartum* docuisse evidenter, *Jacobi* *Patriarchæ* ætate permutationes jam desuisse, & venditiones & emtiones plenum locum habuisse.

Verum hæ ipsæ rationes aded non obstant *Grotio*, ut potius, si rectè inspiciantur, aptè pro illo militent.

Nam

Nam *primò* id evidens est, nummos, sive aureos sive argenteos, non potuisse esse in usu, antequam ars illa *fundendi metalla* fuit adinventata: at verò illa *adinventio tribuitur Tubal-Caino* mille ad minimum & trecentis annis post primum nostrum parentem.

Ad *secundum* dicitur, quod rationes Villalpandi pro usu nummi exiguæ sint, probabilitatis, & merito exiguæ fidei. Posito autem, quod tempore Lamechi jam usus nummorum invaluerit: exinde tamen nulla valida consequentia probari potest, quod emtio venditio sit usus antiquissimi; potius enim jure concludi potest, quod, quia tempore Lamechi contractus per emtionem & venditionem introductus fuit, quod procul dubio paulatim factum est, antecedenter permutationes locum habuerint.

Tertio, tempore Patriarcharum usus nummi plenius incepit introduci: at verò non sequitur, quod aut permutationes planè fuerint sublatae; aut quod apud alios populos, præprimis versus septentrionem habitantes, ubi venæ auri & argenti non ita frequentes, pariter eodem vigore emtiones & venditiones locum habuerint, contrarium probat multis ex locis Dn. Tesmarus.

Ad *quartum* ex dictis facilis est responsio: nempe tempore Jacobi desierunt quidem per-

Y

muta.

mutationes, sed non ex toto; & Jacobus jam in tertio millenario Orbis vixit.

Observ. III. ad Thef. 3. c. 12. Lib. II.

An Ludus etiam pertineat inter Contractus innominatos, atque an in Foro Conscientiæ ille Contractus sit licitus?

TRactant hoc punctum Moralitæ magno numero; qui *pro affirmativa* stant, his nituntur rationibus.

Primo quia ludus ad nullam speciem contractus nominati referri potest. Non enim est emptio venditio, non locatio conductio, non commodatum, non mutuum, non emphyteusis: ergò non potest esse contractus nominatus.

Secundo quia in ludo est quædam species permutationis; nam expono meam pecuniam, ut Tu exponas tantundem, ut in Do ut Des: ergò illuc referri potest.

Tertio non militat contra justiciam talis contractus, ut videbimus: ergò jure etiam inter contractus legitimos referri potest; sed non potest melius referri, quam ad innominatos, cum in Lege Scripta nomen non habeat.

Alii *contra* ajunt, planè ludum non posse referri vel ad numerum contractuum nominatorum, vel innominatorum; quia nulla in eo

fit justitia nec pietas. Basin autem contractuum, inprimis ut in Moralibus ac præscindendo à Lege Civili spectantur, Justitiam esse, unde etiam æqualitatem in omnibus observari debere. In qua sententia est *Sylvester* in *Summa Tabiena* & haud pauci ex nostris Theologis, ex Würtembergicis maxime *D. Haberlin*, qui omnem ludum tanquàm rem per se illicitam & peccaminosam mortaliter damnat.

Rationes pro hac sententia sunt primo Theologica, quia, quicquid non potest dirigi ad gloriam DEI, illud caret fine debito: at ludus ex natura sua non potest referri in gloriam Dei, quis enim ludens unquàm cogitavit, aut cogitare potuit de gloria DEI.

Secundo plerunque adferri animum ad ludum lucri cupidum: talem autem cupiditatem pugnare contra nonum & decimum præceptum; nam cupiditatem illam ferri in alterius bona.

Tertio in ludo esse dispendium temporis, cujus tamen pretium sit inæstimabile, & cujus sola avaritia sit honesta.

NOS existimamus, ludum revera esse quendam contractum; parumque referre five ad contractus nominatos five innominatos referatur, pro utraque enim sententia Moralista stant; quanquàm ea verior videatur, quæ ad innominatos refert.

Quod autem contractus hic *7. Natura, quæ*
est divino, licitus sit, ostenditur primò exinde,
 quia præscindendo ab abusu ludi nihil aliud
 est, quam operatio quædam exterior *relaxandi*
animi causa, suscepta eum in finem, *ut vires*
animi per labores exhaustas restauremus: at in
 hoc opere & fine tam non est aliquid inhonesti
 & illiciti, quàm non est, si quis animi reficien-
 di causa in campum eat liberioris aëris fruen-
 di ergò.

Secundò sicut in potestate cujusque est, rem
 suam alteri *donare* absolutè: ita etiam trans-
 ferre in alterum sub conditione aliqua, sive à
 fortuna sit, sive ex industria.

Tertio sicut *lucrum moderatum* in aliis com-
 mutationibus & contractibus est concessum:
 ita etiam in ludo eo magis, quod, sicut alias
 quandoque delectationes animi licitè pro præ-
 tio emimus, si intra terminos honestatis sub-
 sistatur, ita etiam in ludo possumus.

Ad rationes itaque oppositas respondetur,

Ad primam quidem, quod actiones huma-
 næ non omnes *explicito* fine debeant dirigi in
 gloriam Dei; quis enim unquam fuit, qui ex-
 plicitè in omnibus suis operationibus intendit-
 set gloriam Dei; sufficit, quod actio aliqua
 non pugnet contra gloriam Dei.

Ad secundam respondemus, hoc esse *in vitio*
 apud ludentem, si animum afferat ad ludum
 lucri cupidum; sed hæc debet esse ejus mens,
 hone-

honestâ videlicet recreatione animum refocillare. Cum enim homo constet ex corpore & anima: sicut corpus indiget sua quiete, ne perpetuo labore exhaustiatur: ita etiam anima aliqua relaxatione indiget; præsertim quia etiam in laboribus animæ simul laborat corpus, cum hoc sit instrumentum illius.

Ad tertiam dicitur, non esse dispendium temporis ludum moderatum; quia mens recreata alacrior postea ad labores suos redit.

Obscr. IV. ad Thef. VIII. C. XII.

An in Contractibus æqualitas sit servanda, sic ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti?

Grotius pro affirmativa sententia stat, & cum eo facit non saltem *Pufendorf. lib. 5. cap. 3.* sed etiam *meliores Moralista.* Rationes non affert Grotius sed Pufendorf.

Primam autem rationem deducit ex fine contractuum, qui sit, ut pro RE, vel pro opera mea, æquipollens ab altero recipiam.

Secundam rationem appellat demonstrationem: Cum enim, inquit, contractibus opus sit ad illa obtinenda, quæ ab altero jure exigere non poteram; adeoque in ipsius arbitrio sit, eadem in me transferre vel non; & verò præsupponatur, non velle aliquem gratis in me conferre, quod per contractum demum in me con-

fert: nemo censetur per contractum in alium quicquam transferre velle, quam quatenus æquipollens pro re sua recipere iudicat. Sed hæc demonstratio tenebrosa est.

Unde *tertio* melior nobis ratio videtur desumi posse ex intrinseca ratione *Justitiæ commutativa*; hæc enim ex indole sua poscit æqualitatem, & ut sit quoddam contrapassum; sic ut, quantum quis accipit ab alio, tantum etiam vicissim patiatur de suo alteri dando.

Quarto radicatur illa æqualitas in dicto *Juris naturæ*, quod *Tibi non vis fieri, id alteri non feceris*: at nemo vult, ut in contractu minus accipiat, quam ipse dedit; ergò pari tenore non debet quærere, ut alter contrahens minus habeat.

Contra tamen non desunt *Moralistæ*, *Emanuel Sá*, *Escobar*, *Diana* & alii, qui putant æqualitatem omnimodam non esse necessariam.

Primo quia alias *infinita vincula injicerentur* conscientiis; nam maximè in contractibus emtionis & venditionis rem esse ita comparatam, ut æqualitas stricta haberi non possit; secus enim nullus mercatorum aliquid in lucro habere posset, si enim exactè teneretur servare æqualitatem, nullum habebit excessum.

Secundo vetus esse verbum, *naturaliter licitum esse, alterum circumvenire*; atque adeò hoc veluti consensu communi generis humani esse concessum.

Ter-

Tertio Leges Romanas, quæ quàm maximè respexerint Justitiam, contractus omnes pro validis habuisse, ubi non fuerit læsio *ultra dimidium*.

NOS existimamus, *primam* sententiam facere *Tutitatem* in foro *conscientia*, sive quod is, qui velit esse tutus in conscientia, teneatur omninò servare æqualitatem in contractibus: *posteriorem* verò dare *impunitatem* & permissionem tantum in Foro exteriori & humano, ubi multa ad evitandas lites & alia incommoda sæpè permittuntur.

Observ. V. ad Thef. 20. L. II. c. 12.

*An usurae sint licite jure Naturæ
& Divino?*

Grotius circa hoc punctum non satis sibi constat. Nam in præsentem loco videtur asserere, quod, licet usuræ non sint contra Jus Naturæ, tamen sint contra Jus Divinum, provocans ad Legem *Lev. 15. v. 30.* & ad *Psalm. 15.* Ubi addit: hujus Legis materia, si non necessaria, certè honesta moraliter est, quæ autem hujus generis sunt, Christianos quoque obligant, quippe vocatos ad majora virtutum specimina. Contra in libro, quem edidit de Jurisprudencia Batavica, multis argumentis probat, contractum Usurarum nec cum Jure

Naturæ, nec cum amore proximi, ne quidem illo, quem concivibus debemus, pugnare.

Cæterum, ut hoc punctum eo melius intelligatur, sciendum est, non tantum apud Pontificios Moralistas sed apud Reformatos Viros fuisse doctissimos, qui usuram *inter Christianos illicitam* censuerunt. Horum in numero sunt *Musculus*, & maximè celeberrimus Angliæ Episcopus *Juellus*, *Aretius* & alii.

Primum argumentum desumunt *Exod. 22. v. 25.* ubi Deus ait: Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, ipsi, qui est tecum, ne esto ei tanquàm fœnerator, ne imponito ei usuram.

Secundo *Lev. 25. v. 36.* prohibet expressis verbis Deus: ne accipito ab attenuato fratre tuo usuram aut fœnus, sed timeto à Deo Tuo.

Tertio inter characteres hominis pii & iusti ponitur si pecunia non exponitur fœnori in *Pf. 15.* atque felicitas temporalis & æterna promittitur illi, qui usuram non petit in mutuo.

Quarto *Ezech. 18. v. 8.* pariter justum censei ajunt, qui in usuram non det, & fœnus non accipiat; contra *v. 13.* injustum pronunciari, qui in usuram det, & fœnus accipiat.

Quinto Salvatorem nostrum officium Christiani describere *Luc. 6. v. 35.* ubi dicit: si mutuum dederitis iis, à quibus speratis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum ut recipiant

τὰ ἴσα. Itaque diligite inimicos vestros, & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.

Denique *Psalm. 119.* vocatur usura & sceneratio laqueus, insimulque tanquam specialis maledictio affertur.

Contra tamen alii, quos inter maximè est *Pufendorf*, censent, planè nihil in moderatis usuris Juri Naturæ repugnans esse, neque etiam in Lege Divina.

Probat hoc *Cloppenburg* ex eo primo, quia mutuationis officium de Jure Naturæ pariat obligationem ad *gratitudinis redhostimentum*; sic ut, etiamsi non data sit notabilis dilatio, aut Jus longo tempore utendi, adeoque non possit creditoris interesse; tamen, si vicissim indigeam, & alter, cui officium præstiti, id possit, obligatus sit naturaliter, ut mihi quoque mutuum pecuniam det etiam cum majore dilatione. Quidni ergò data notabili dilatione, & concessio Jure utendi ad tempus debitori congruum, liceat & valeat pactum de illius interusurii compensatione. Sanè in tali stipulatione non plus oneris imponitur debitori, quàm ad quod Jure naturali obligatus est ex gratitudinis officio.

Secundo ait *Pufendorf* p. 747: Si omnis usura repugnaret Juri Naturæ: non potuisset sanctissimum nomen *indulgere populo*, quem peculiariter sanctum volebat, ut usuras sumeret à

populo extraneo, qui nulla ipsum injuria la-
cesserat *Dent. 15.*

Tertio hodiè plerumque eum in finem pecunia mutuo accipitur, ut *res insigniter augeantur*, seu ut aliquid comparetur, quod nobis lucrum adferre possit. Sanè hoc fine qui pecunias mutuo accipit, non potest petere, ut ego ipsi gratis mutuo dem, cum ipse ex mea pecunia lucrum capiat.

Quarto cum minus sit actionem habere quàm rem: l. 25. ff. d. R. J: omninò est aliquid *estimabile*, & modica usura pensandum; quod in locum rei actio personalis subeat, quæ nunquam sine molestia instituitur.

In hac controversia, quæ ex utraque parte videtur suas habere rationes, ut decisionem adornemus Juri Naturæ & Divino non adversam: censemus, *duo advertenda* esse, quæ magnam inter usuras differentiam faciunt, & quæ prohibitionem Divinam explicant.

Primum est *persona qualitas*, à qua accipitur usura, sive indigentia ejus; illa enim vel est ejusmodi, ut eleemosyna opus habeat; vel ut indigeat tantum temporario usu æris alieni in præsentī necessitate, ut vel negotiatione vel alio pacto rebus suis melius & commodius consulat. Priori casu debitor censetur pauper & attenuatus; posteriori indigens tantum ad tempus, etiamsi alias possit esse in possessione lautiore, quàm est creditor. *De paupere proprie tali*

tali & attenuato loquitur Lex Divina disertè Exod. 22. & Lev. 25. & evidens est præcepti scopus, deberi videlicet illi liberale & gratuitum auxilium, ut mutuatio ipsi esse possit honestior elemosyna, quæ in extrema mendicare dari solet, quod præstatur, si ita mutuo des, ut paratus sis, vel sortem ipsam condonare. Vid. Luc. 6. v. 35. Dent. 15. v. 7. 8. 9.

Secundum est fructus inde in debitorem redundans. Æqua erit usuræ moderatæ exactio, si pecunia mutuata aut credita debitori uberem aliquem fructum attulerit, vel evidentem commoditatem in re familiari. Iniqua autem erit, & de Jure Divino prohibita exactio, si fuerit tantum pecunia mutuata in paupertatis solatium; & si mutuans incumbat pauperi, & acriter exigat solutionem.

Denique & illud *inter usuras illicitas* numerandum, quando sub velamento antichreseos terræ & prædia debitorum, præsertim pauperum agrorum, pignoris aut hypothecæ lococupantur; hac enim ratione antichresta hypothecæ incumbens vacat periculo, & efficitur velut Usufructuarius, ablato à debitore prædiorum usu & fructu, qui non audet fructuum veram rationem exigere, ne creditorem irriter, & ab eo ad restitutionem sortis & usurarum, vel vilem hypothecæ distractionem importunè adigatur,

Maxi-

Maximè autem *mordens usura* est, quando debitor non est solvendo simplicem usuram, nec sortem luere potest, creditor *usuram non solutam accenset sorti credita*; sic enim usuræ in infinitum crescere possunt.

Denique id certum est, quod *perfectius* sit, nullam *usuram* capere, quam aliquam, etsi modica sit.

SUMMA
CAPITIS DECIMI TERTII
LIBRI SECUNDI.
De Jurejurando.

I.

Contractibus sæpè additur jusjurandum cujus summa ubique est habita vis, ut ob ejus violationem pœnas etiam in liberos creditum sit derivari.

II. Requiritur autem ad id primò animus rationis compos & deliberatus, quo jurans obligatur, etiamsi nolit se obligari.

III. Idem fit, si jurare quidem noluerit, juramenti tamen protulit verba; nisi sciat, aut probabiliter credat, eum, quo cum agit, verba aliter accepisse. Nam in juramenti nulla tacita subintelligi conditio potest, quâ quis exsolvatur.

IV. Quod si juramentum dolo fuerit elicitum, non obligabit, nisi ubi quis fuisset juraturus, si dolo non intervenisset, ut de juramento Josuæ Gabaonitis præstito censendum.

V. De-

V. Deinde Juramenti verba non ultra receptum modum extendenda: unde sequitur, nec Israelitas, Benjaminitis concedendo raptas, nec Romanos, mutando quædam Achæorum, id violasse.

VI. Sed & obligatio ipsa debet esse licita; si non est, sive naturaliter, sive prohibitione divina vel humana, non obligat.

VII. Imò non obligat, si majus bonum morale impediatur, quia DEO profectus in bonis debetur, ut, si juretur, huic se benefacere non velle.

VIII. Multo minus, si res est impossibilis.

IX. Quod si impossibilis ad tempus, eo usque obligatio est in pendentibus.

X. Forma est, ut fiat verbis, quibus invocetur DEUS testis aut ultor.

XI. Vel res aliæ nominentur in respectu ad DEUM, id quod & à Christianis factum olim, hodieque fieri potest.

XII. Poterunt & falsum invocare DEUM ii, qui pro vero ipsum habent, & sic validè obligari, licet deferre istiusmodi juramentum, aut præstare nefas sit.

XIII. Effectus est præcidere controversias, quo pertinet primò, cum juratur, ut verba animo congruant, deinde cum juratum est, ut factum congruat verbis, ad quod utrumque per juramentum obligamur.

XIV. Ob-

XIV. Obligamur Deo simul & homini, si verba etiam ad hominem referantur, & jus ei aliquid conferant. Si verò non conferunt, aut huic juri possit aliquid opponi: obligamur soli Deo, & eo non minus stare jurejurando tenemur, ut is, qui metu licet injusto, adactus juravit.

XV. Valetque hoc in quibuscunque personis, quibus juratur, etiam prædonibus & tyrannis; quia negotium est simul cum Deo, contra quam Cicero putavit.

XVI. Ac ne perfidi quidem excipiendi, nisi fidem fregerint illius promissi, quod fuit quasi implicita conditio promissi nostri.

XVII. Cæterum, cum quis soli Deo tenetur, obligatio ista non transit ad hæredem, atque ita morte ejus finietur.

XVIII. Finietur quoque; si utilitas alicujus eo fuit spectata, quam is repudiat; aut si mutetur qualitas, sub qua cui fuit juratum.

XIX. Quod fit contra juramentum, & alias est illicitum, fit quòque irritum, si juramentum contineat abdicationem plenam potestatis ad actum, quo potest contra fieri.

XX. Etsi autem superior non possit facere, ut, quod ex jure jurando verè debetur, non debeat: potest tamen primò, antequàm juretur, irritum jubere esse, si quid juratur; vel postquam juratum est, vetare, ne impleatur; vel ita demum constituere ratum, si à se appro-

approbetur. Potest quoque ab eo, cui juratur, tollere jus partum, vel si nondum partum sit, vetare, ne quid ex tali juramento accipiat, sive in pœnam, sive ob utilitatem publicam, ipse verò qui juravit, nihil istiusmodi potest. Potest & Lex humana facere, ut, quæ juravimus, sint valida, licet alias impedimentum posuerit istis actibus.

XXI. Quod autem Christus præcipit, non esse jurandum, ad juramentum promissorium futuræ rei, quæ incerta est, non ad assertorium pertinet. Conveniuntque cum Christo etiam alii, sicque docent vivendum, ut etiam non jurantibus credatur.

XXII. Nec aliam ob causam repertum dextras jungere loco juris jurandi; valetque id inter Reges præcipuè, qui esse tales debent, quales diximus.

Observatio. I. Cap. XIII.

De

JURAMENTIS.

TRactat Grotius in cap. 13. de Juramentis, & quidem potissimum de promissorio, quanquam etiam de assertorio consequenter possit intelligi. Partitur autem totam tractationem in duo membra principalia; in primo agit de requisitis Juris jurandi à thesi 2. usq; ad 13. in secundo de effectu ejus.

Me-

Moralistæ hic meliorem aut faciliorem viam ineunt; præsupponunt enim, quænam circumstantiæ, seu comites juramenti requirantur, ex quibus deinceps facilè variæ difficultates resolvi possunt.

Hos igitur *Comites tres* faciunt, nempè VERITATEM, JUDICIUM ET JUSTITIAM. Veritatem dicunt requiri EX PARTE REI; Judicium ex parte JURANTIS, in quo opus sit, Judicio discretionis, ex parte CAUSÆ autem requiri Justitiam.

Et ratio satis clara est pro necessitate horum comitum. Nam per Juramentum DEUS, qui summa est veritas & summa Justitia, adducitur in testem: necessarium itaque est *ad ejus reverentiam*, ut id, quod juratur, primò sit VERUM, deinde JUSTUM & æquum, & tandem circumscriptio in jurante requiritur, ut non leviter sed maturo Judicio ac discretionem juret.

Ut autem hi Comites plènius intelligantur, advertendum est, *per Veritatem* non intelligi adæquationem Rei cum Intellectu, quam Metaphysici veritatem transcendentalem vocant; sed conditionem quandam orationis atque exterius prolata, ut scilicet *oratio CUM ANIMO concordet*. Itaque ad hoc, ut veritas, quæ comes est Juramenti, adesse intelligatur, non est necessarium, ut id, quod affirmo, semper sit verum, & ita se habeat à parte rei, sicut à me significatur: sed requiritur solum & sufficit,

ait, ut ita esse pro certo existimem, quemadmodum à me esse juratur; nam finis Juramenti est dicti humani confirmatio.

Cœterum sicut duplex est Juramentum, *asseritorium* scil. & *promissorium*; ita veritas diversimodè in utroque requiritur. Nam in *asseritorio* requiritur solum *veritas concordie vocis cum mente interiori*, hoc est, ut id, quod asseritur, omninò verum sit, & quod negatur sit falsum, ad minimum quoad rationabile Judicium illius, qui jurat.

In *promissorio* autem duplex Veritas requiritur; Una est in concordia *orationis* promissoriae & *animi* interiori, faciendi suo tempore id, quod promittitur; altera est, ut sit concordia *promissionis* & *effectus futuri*. Quod intelligendum est, nisi commutata rei promissæ conditione incipiat talis esse, ut jam fidem servare & promissis stare si velit, Dei odium & offensionem subiret.

Quoad alteram particulam, quæ est *judicium*, significatur hac voce *discretio* & *prudentia*, quæ Juramento inesse debet; neque enim Juramentum temerè & inconsideratè, sed consulto & ex deliberato animo adhiberi debet; ut etiam advertit Grotius *θ. 2.*

Quantum ad tertiam, videlicet *Justitiam*, requiritur, *ut res, quæ juratur, justa sit & honesta*. Quanquàm autem non nemo existimet, *Justitiam* hanc solum requiri in Juramento promissorio

Z

lorio

torio, non assertorio; eo quod in isto sæpè affirmemus, nos fecisse res turpes & inhonestas; ut quum quis à Judice rogetur de furto vel scortatione, & juret se id fecisse: Alii tamen rectius tradunt justitiam *tam in assertorio, quam promissorio* requiri, quanquam diversimodè. Nam in promissorio requiritur dupliciter; nempe tum ex parte Rei, quæ juratur, seu juramento confirmatur; tum ex parte actus jurandi, ut scilicet sit justus & proximo non noceat: in assertorio autem non requiritur Justitia ex parte Rei assertæ, quia licitè sæpè res injusta adhibito Juramento detegitur; sed solum ex parte actus jurandi, aut ex parte causæ, quæ compellit ad jurandum.

Observ. II. ad Thef. II.

An etiam per alias res, aut Personas, præter Deum jurare liceat?

ITa censet Grotius, secutus procul dubio Moralistas doctores, qui licita ea juramenta censent, ut videre est apud *Azorium* lib. 1. p. II. c. 13. *Sayrus* in clav: regia. l. 5. c. 1. *Bonvicina* Tom. 2. disp. 4. & alii.

Fundamentum huic sententiæ ponitur *primo Exemplum Josephi Gen. 42. v. 15.* qui per salutem Pharaonis jurasse legitur, ex more apud Ægyptios recepto.

Sc-

Secundo Paulum 2. Cor. 1, 23. per animam suam jurasse. Si itaque tanti nominis Apostolus per animam suam juraverit : tum dici non posse, quod sit prohibitum, per Creaturas jurare; non enim spectari hic Creaturas absolutè, sed *relative ad Deum.*

Tertio Moses Deut. 3. & c. 4. testes invocare cœlum & terram per modum juramenti; cum in illo superior aliqua vis & potestas in testimonium advocari soleat.

Sed opposita sententia longè verior est.

Nam *primo Juramentum* juxta Grotii quoque sententiam est *actus religionis*, pars cultus divini: ergò non potest alteri deferri, seu per alium fieri, quam per illum, qui est verus Deus.

Secundo in Juramento *invocatur is*, in quem dirigitur illud, tanquàm *vindex & testis*, qui vires habet ad puniendum, & oculos ad inspicendum cor perjuri. At hoc iterum soli Deo competit.

Tertio sicut *Deus solus est adorandus*; neque adorationem suscipit mediatam per creaturas: ita nec Juramentum.

Quarto Deus expressè talia juramenta *prohibet*. Nam *Jerem. cap. 5. v. 7.* dicitur: filii dereliquerunt me, & jurant in his, quæ non sunt Deus; & *Amos. 8. v. 14.* hæ minæ habentur: In die illa deficient Virgines pulchræ & adolescentes in siti, qui jurant, & dicunt, vivit Deus tuus Dan, & vivit via Bersabæ. &c.

Ad rationes ergò oppositas respondetur, ad primam quidem, seu ad exemplum Josephi, nondum probatum esse, quòd ille formaliter juraverit; sed in verbis illis *est tantum asseveratio quadam*, talisque est sensus, quàm verè Pharaò vivit, tam verum est quòd dico.

Ad secundam sc. locum 2. Cor. 1. resp. etiam illum locum non probare, quòd licitum sit per creaturas jurare; aperte enim Paulus & immediatè ante Deum testem invocat. Quòd autem additur in animam, illud saltem indicio est, quòd Juramentum illud non simpliciter fuerit assertorium, sed *etiam execratorium*.

Ad tertiam, illud sc. Mosis Deut 4. v. 26. dicitur, non potuisse ibi Juramentum aliquod formale Mosen facere; sed *obtestatio* est quædam *Rhetorica*, uti Esajas ad populum rebellem exclamat Cap. 1. Audite cœli, & tu terra auribus percipe.

Unum argumentum videtur speciem habere, nempe quòd hæctenus *ad S. Evangelium* fuerit *juratum*; non potest autem dici, quòd S. Evangelium sit Deus, sed est revelatio de gratuita remissione peccatorum per Christum.

Ad hoc respondet Balduinus & B. Oslander, quòd talis formula inter *reliquias papeas* sit referenda, unde dicti Theologi censent, eam non esse admittendam.

B. Danhauerii contra putat, eam quadantenus *excusari* posse; nempe si quis tangens
librum

librum Evangelii obtestatur, se vera dicere, quemadmodum credit vera esse, quæ in Evangelio leguntur. Quæ sententia nobis quoque placet.

Observ. III. ad Thef. 14.

An Juramentum vi extortum obligationem inducat?

IN hoc puncto *Grotius* censet, illum, qui injustum metum incussit, nullum jus consequi; at nihilominus jurantem *obligatum manere Deo*.

Et hæc sententia est vera contra quosdam Moralistas, qui oppositam defendunt.

Ratio autem ejus est, quia metus non potest impedire, quo minus Juramentum metu præstitum sit verum Juramentum. Nam etiam qui ex metu jurat, verè tamen jurat: igitur non potest talis metus obstare, quin suam obligationem ad minimum respectu Dei inducat; est enim naturalis ille effectus Juramenti, ut obligationem pariat.

Tantum dubium est de Juramento redeundi in carcerem cum periculo vite, an etiam illud obliget. Escobar cum Covarruvia distinguit & dicit, talem aut justè detentum esse in carcere, justè què damnari ad mortem, aut injustè: In priori casu jurantem esse obligatum, non verò in posteriore. Imò citatus Covarr. ait, in posteriore casu a deo non obligare juramentum, ut etiam non licitum sit illud servare; quia

redeundo in carcerem talis occideret seipsum innocenter.

Nos existimamus cautè hic & cum distinctione procedendum. Dicimus itaque, qui prævito periculo mortis juravit redire ad carcerem, obligatum esse ad redeundum in carcerem, siue carcer sit justus siue injustus, & mors iusta vel injusta. Et quidem, quod carcerem & mortem justam attinet, non potest esse difficultas; quia Juramentum tale est circa rem sanctam & justam, non ergò potest non obligationem inducere, neque prætendi à jurante potest excusatio.

Secundo si carcer sit injustus; & periculum mortis non timetur utique redeundum est. Nam hic valet regula generalis, quod observatio Juramenti, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, omninò sit servandum. Quod autem ex injusta detentione in carcere sequatur gravamen corporis, id non satis est ad excusationem non implendi Juramentum; cum nulla rerum mutatio facta sit, & idè non possit dici gravamen illud oriri ex observantia Juramenti.

Tertio si utrumque est injustum, & carcer & mors, adhuc Juramentum de redeundo in carcerem obligat; quia etiam tunc Juramentum est de re licita, & potest impleri sine culpa; neque in eodem statu & periculo fuit ante Juramentum, & cum prævisione illius factum est.

Observ.

 Observ. IV. ad Thef. 20.

Quid Superiores possint circa Juramenta Subditorum, & an detur dispensatio circa Juramenta?

Grotius in hoc puncto paulò obscurius versatur.

NOS ad rei, quæ magni momenti est, declarationem *primo* terminos in hac materia occurrentes explicabimus.

Sunt autem hi: Absolutio, Irritatio, Dispensatio, Commutatio, Relaxatio, qui omnes crebrò nominantur.

Est autem *Absolutio* nomen magis commune: quantum tamen ad præsens institutum attinet, idem significat, quod obligationem Juramenti tollere, id quod etiam Irritatio, Dispensatio & Relaxatio significant & operantur. Unumquodque enim istorum facit, ut, qui alias Juramento fuerat obligatus, à tali obligatione absolvatur & liberetur. Atque ita absolutio à Juramento idem est, quod Juramenti vinculum & obligationem tollere. *Irritatio* autem magis propriè significat & est, Juramentum nullum efficere, hoc est, impedire & cassare, ne robur obligandi obtineat. *Dispensatio* verò est Juramenti obligationem tollere, postquam vim obligandi habuit, re-

Z 4

specta

specu alicujus seu respectu aliquarum personarum, condonando illis, qui jurarunt, quasi ex persona Dei, ut moralistæ loquuntur, ea, quæ polliciti sunt. *Commutare* autem Juramentum, ut ipsum nomen præ se fert, est ab una in alteram rem, majorem vel minorem, Juramenti obligationem transferre & commutare. *Relaxare* autem Juramentum est velle, ut alter ad obligationem Juramenti non teneatur.

Porro ut sciatur, quid in Juramento absolvatur aut dispensetur, oportet notare, ad quid per Juramentum homo obligetur. Cum enim in Juramento requirantur tres comites, *Veritas* scilicet, *Judicium* & *Justitia*; quorum primus *Veritas* scilicet pro formali, *Justitia* verò & *Judicium* pro materiali Juramenti habentur: consequenter *absolutio*, quæ in Juramento fit, *non extenditur ad formam seu ad veritatem*; cum indispensabile omnino sit & contra Jus Divinum, ut quis permittat peccare mortaliter jurando falsum, id quod formæ Juramenti repugnat. *Absolutio* itaque extenditur *saltem ad materiam Juramenti*, ita ut non amplius sit ejus materia; adeoque dispensatio, absolutio, relaxatio, non respiciunt nec cadunt supra Juramentum; cum ejus observatio de Jure Naturæ & Divino sit, sed cadunt supra ejus materiam.

Ex quo ulterius colligitur, in Juramentis
asser-

assertorius non posse contingere dispensationem; materia enim Juramenti assertorii, quod est de præterito seu præsentis actu, in quandam necessitatem jam transit, & immutabilis effecta est. Nam vel statim fuit verum vel falsum Juramentum, propter veritatem aut falsitatem, actus præteriti. Unde cum fieri non possit, ut non sit vel fuerit ita: per dispensationem mutari non potest; dispensari enim non potest, ut actus jurandi, qui jam est aut verus fuit, non sit aut non fuerit verus.

In Juramento autem promissorio est duplex Veritas: una de præsentis, ut scilicet jurans intentionem habeat observandi quod promissit, quæ est indispensabilis: altera est de futuro, id est, ut id, quod jurando promissit, faciat verum adimplendo. Quod cum variari possit ita, ut in aliquo eventu possit esse illicitum, & sic non debita materia Juramenti, unde dispensari potest.

His positis, quæ scitu necessaria sunt ad ea intelligenda, quæ Grotius paulò obscurius proposuit,

Dicimus primo, quod irritare possit juramenta omnis ille, qui dominium & potestatem in rem promissam habet. Sic pater Juramenta filiorum & filiarum in minore ætate existentium, sicut & vota ab eis emissa, irritare potest: sic etiam maritus Juramenta uxoris, & dominus juramenta servorum, & superior subditorum

Z ;

sibi

sibi Juramenta in his, in quibus illi subjecti sunt, irritare possunt. Ratio Grotii sana est, quia, inquit, inferior, qua inferior, obstringere se non potuit, nisi quatenus id superiori placitum erat; ampliorem enim non habet potestatem. Vid. Num. 30. v. 5.

Secundo dicimus, quod dispensans in Juramento sine causa gravissima peccet graviter, & quod non valeat dispensatio in foro conscientiae; ut rectè docet Sotus libr. 8. de Justit. Sayrus in Clav. reg. libr. 5. Covarruvias in cap. quam part. 1. §. 3. & alii.

Quo ipso intelligitur, quid sentiendum sit de frequentibus Episcopi Romani dispensationibus, nummo imprimis in area tinniente; nam & jurantem, & sine justa causa dispensantem, faciunt perjuros.

Causa verò legitima dispensandi est primò ex gravitate operis & imbecillitate jurantis: Secundo ex respectu boni communis. Quando igitur res illa, quam quis Juramento confirmavit, est nimis ardua; seu quando is, qui juravit, ex mutatione virium vel fortunæ effectus est impar ad id exequendum; aut quando res, Juramento confirmata, est juranti impedimento, ne bono publico consulat: tunc videtur legitima causa dispensandi in Juramento, ut cernere etiam est in voto; par enim utriusque quoad hoc est ratio.

In rebus autem, quæ ex Jure Divino pendent, si absque causa legitima fiat, nulla est dispensatio; vinculum enim illud nimis adstrictum est, quàm ut tam facilè solvatur, quia homo Deo ligatur.

SUMMA.

CAP. DECIMI QUARTI
LIBRI SECUNDI.

I.

TRactat in hoc capite Grotius, quid liceat summis Imperantibus circa actus suos, & an, si læsus est superior in contractibus, se ipsum restituere possit in Integrum?

II. Kulpisius cenet, *Restitutionem* talem locum habere; quia non sit juris civilis, sed naturalis adeoque Universalis: Grotius distinguit inter actus Regis, ut *talis*, & actus ejus *privatos*.

III. Juramentum Regis est irritum, si ut privatus juravit, & ante tale juramentum irritum esse jussit, non si postea fecit. De cætero, Reges non minus ac privati DEO ex juramento (jurejurando) tenentur.

IV. Similiter & promissis ritè factis, licet sine causa promiserint, obligantur.

V. Idem & in emtione, locatione, emphyteusi valet, in quibus ut privati tenentur Legibus civilibus, nisi ipsi tales actus eis exsolverint.

VI. Est.

VI. Estque obligatio ex promissis & contractu-
 talis, quæ jus dat subditis etiam ex Le-
 gibus civilibus adversus Regem; si actus ejus
 sit talis, qui potest fieri à quovis alio: si sit
 actus Regis ut Regis, nascetur inde actio, qua
 declaretur jus creditoris, absque ulla tamen
 coactione.

VII. Potest tamen subditis jus ita quæsitum
 auferri, vel in pœnam, vel ex vi superemi-
 nentis dominii, si exigat publica utilitas; se-
 quente tamen compensatione ex communi.

VIII. Quod si non exigat, non potest, si-
 ve jus quæsitum sit ex jure naturali, si-
 ve ex civili. Si facit, jure naturæ tenetur ad reparandum
 damnum Princeps, qui & jure illo superemi-
 nentis Dominii in solos uti subditos potest.

IX. Sed nec Leges sunt contractus Regum;
 quia ex his jus adversus Reges nascitur, non
 ex illis; contractibusque ligantur soli contra-
 hentes, legibus verò omnes: possunt tamen
 misceri, ut in contractu cum vicinis.

X. Ex contractu tenentur etiam successo-
 res Regum; si bonorum omnium ita, ut Regni,
 sunt heredes, h. e. in regno patrimoniali suc-
 cedunt.

XI. At qui in regno successivo electiove, il-
 li non tenentur directè, sed per interpositam
 civitatem, quæ dando imperium jus obligan-
 di sese transtulisse ad regem videtur.

XII. Non

XII. Non quidem in infinitum, sed quatenus necessarium est ad exercendum imperium: nectantùm si utilis fuerit obligatio, sed & si probabilis ejus sit ratio, quod indubio de Regibus est præsumendum. Quod si contractus vergit ad perniciem publicam, declarari potest, non ultrà obligare ut factus sine conditione, qua deberetur. Eadem intelligenda sunt in donationibus Regum, si de iis rebus fiant, quæ Rex potest alienare. Nam si de aliis, ut partibus imperii, aut patrimonio regni, contractus non valent.

XIII. Beneficia Regis, quæ de suo facit, non sunt revocabilia, nisi in pœnam, aut ex jure supereminentis dominii revocentur: quæ verò à solo legis eximunt vinculo, sunt revocabilia.

XIV. Sed hæc omnia pertinent ad Reges justos eorumque successores, non invalores, qui successores justos obligare non possunt; nisi quatenus ex ipsorum contractibus fortè facti sunt locupletiores.



Observ. I. LIB. II. CAP. XIV.

De

Eorum, qui summum Imperium habent, promissis & contractibus & juramentis.

C Aput hoc commodè dividi potest in tres partes principales.

Prima agit de eo, quid Rex possit in proprios actus in $\theta. 1. 2.$ ad $6. 3.$ Secunda, quid in actus subditorum à $\theta. 6.$ usque ad $10.$; Tertia, quid in successores.

In thesi ergò prima quæritur. *An Rex à semet ipso possit in integrum restitui, si videlicet in contractu aut pacto deprehendat se enormiter læsum? & sic etiam an seipsum à Juramento fortè temerariè facto absolvere possit, uti civem potest? quod punctum in $\theta. 3.$ tractatur.*

Bodinus, & cum eo Conring. tract. de finibus Imp. c. 19. §. 8. censent, quod sic ex sequentibus rationibus:

Primo quia Reges gaudeant privilegiis minorum. Unde ait, nunquam in Galliæ Rege valere præscriptionem; eo quod semper minorennis reputetur: unde se iterum in possessionem mittere potest, quandocunque vult.

Secundo inquit, quia ad minimum Reges & Principes non debent esse deterioris conditionis, quam ipsorum subditi & cives. At
de

de illis constat, quod enormiter læsi possint petere restitutionem in integrum ex æquitate naturali: cur ergò Regibus denegabitur hoc beneficium Juris.

Nihilominus *pro opposita sententia* afferri solent argumenta,

Primo quod nemo possit esse iudex in propria causa; at si Rex se ipsum restitueret in integrum, judicaret de sua causa, quod est contra omnem Jurium dispositionem.

Secundo restitutio semper est à superiore petenda; at Rex non agnoscit superiorem maximè in suo regno.

Tertio in Rege aut Principe vix intelligi potest, quomodo possit dari læsio; qui stipatus est agmine virorum prudentum & consiliariorum.

NOS existimamus *primo*, quod hæc quæstio, si ità crudè accipiatur, prout jacet, *contradictionem* involvat. Ratio est, nam restituere in integrum, & sic etiam absolvere à Juramentis, tales sunt actus, qui strictè & formaliter loquendo necessariò respiciunt aliam personam; &, ut ante vidimus in rationibus obstantibus, proficiscuntur ab eo, qui superioritatem in alterum habet. Ergò Rex seipsum propriè non restituit, nec absolvit à Juramento.

Undè *secundo* dicimus, quæstionem potius ita exprimi debere: si Rex in obligatione aliqua contracta læsus fuerit, quæritur, an, læsione

læsione postea deprehensa, ex propria auctoritate possit declarare, se obligatione illa ob adhærens vitium & læsionem non teneri; & sic affirmatur quæstio. Ratio est, quia *primo* sicut is, qui in statu naturali vivit, & nemini est subjectus, arbiter est suarum rerum: ita quoque se habet Rex. Undè si ab altero injustè lædatur, ipse sibi Jus & arbitrium sumere potest, & declarare, se non teneri stare obligationi, ob læsionem, modo ea sit clara. *Secundo* hoc ipso, dum Rex non agnoscit superiorem, non opus est, ut ab alio petat restitutionem in integrum, sed sibi ipsi Jus dicit aut dicere potest. *Tertio* quod in specie Juramentum attinet, cautè Regi videndum, ne perjurus sit in Deum. Licet enim ipsi facilè sit, viam aut prætextum invenire, quod Juramentum ex imprudentia, aut deceptione alterius sit prolatum: tamen cum vis obligativa in Juramento duplex sit, altera, quæ respicit Deum, altera, quæ homines, licet posteriori vinculo haud difficulter se exuere possit; quia vim in manibus habet: attamen respectu Dei, cui subditus est, manet. Undè anceps admodum illa propositio fuit Ludovici XIII. Galliarum Regis, justam appellationem à Rege in vinculis habito, Francisco scilicet Primo, ad eundem liberum esse. Quippe jure fortior deberet esse tantæ religionis sensus, quàm integra regna, quæ animam redimere non possunt.

Observ.

Observ. II. ad Thef. 6.

An Rex in Contractibus, quas init cum subditis, vel naturaliter tantum an etiam civiliter obligetur?

Hic incipit punctum illud, quid liceat Regi in actus subditorum.

Primo autem quærit Grotius, an Rex in contractibus, quos init cum subditis, obligetur naturaliter tantum, an civiliter quoque, & ait, hoc loquendi genus valdè obscurum esse.

NOS censemus hanc distinctionem summè esse necessariam, & à Grotio ipso sapius, licet non iisdem terminis, notari & inculcari.

Ut autem ejus obscuritas tollatur, advertendum est, *obligationem naturalem primo* quandoque dici de eo, quod fieri quidem per naturam honestum est, quanquam non sit rigorosè debitum; ut, exempli gratia, legata integra dare sine detractione Legis Falcidiae, quod exemplum ipse Grotius ponit, aut vicem beneficio rependere.

Secundo quandoque naturalis obligatio dicitur ea, quæ verè nos obligat, sive ex ea alteri nascatur Jus perfectum seu imperfectum.

Sic & *civilis obligatio* aliquando notat talem, quæ non in mero Jure naturali fundatur, sed ex Jure civili oritur, in cujus exemplum vulgò adducunt obligationem, quæ fit per literas.

Aliquando notat talem, quæ in naturali æquè ac civili Jure fundatur, ex qua etiam actio in Foro civili oritur.

Alii clarius & planius triplicem faciunt obligationem, nempe merè naturalem, merè civilem & mixtam. Illa æquitate naturali nititur, sed ut nulla actio Jure civili eo nomine sit: ista oritur ex meris Juris civilis apicibus, qua quis ita tenetur, ut summo Jure in eum sit actio: hæc denique est, quam & naturalis sustinet æquitas, & simul Juris civilis firmat auctoritas.

Applicando jam ista ad præsentem thesion Grotii sextam dicimus, *ex promisso & contractibus Regis cum subditis nasci veram obligationem, qua etiam jus dat subditis.*

Ratio est, *primo* quia hoc est de natura contractuum & promissionum.

Secundo quia Deus se ipsum subjicit huic obligationi. & secundum eam vult judicari, licet sit Dominus absolutus Creaturæ suæ.

Tertio aliàs fides Regum & Principum semper esset suspecta, nunquam tuta; cum tamen non immeritò Carolus V. dixerit, si fides in toto orbe exulet, eam tamen apud Principem inveniri debere.

Interim *deest in subdito* Vis obligativa, seu *efficacia ad compellendum principem, ut promississet*; Rex enim quia talis à subdito cogi non potest. Tanto turpior autem fallacia, fraus, perfi-

perfidia, dolus, & quæ talia in principe, quo conspectior ille est. Nam omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. Uno perfidiæ exemplo plus nocet princeps, quam centum subditi.

Accedit, quod, ut rectè notat Tesmarus, benè admodum faciunt Reges & Principes, si abstineant à contractu cum subditis; id quod sapientissimè observat Senatus Venetus apud Aubigné in vita Henrici IV. & consilium quoque hoc est apud Barclajum in Argenide & Thuani libr. 39. *Tantum enim princeps detrahit de sua auctoritate, quantum contrahit cum subditis.*

Obs. III. ad Thef. 10. c. 14. Lib. II.

An Contractus Regum & Principum etiam obligent Successores?

IN thesi decima incipit tertium principale punctum, an contractus Regum & Principum etiam obligent successores?

Grotius distinguit inter eos, qui tantum in Jus regni succedunt, & inter eos, qui in reliqua etiam bona: aut, ut alii clarius dicunt, Rex aut tantum succedit in Jura Regni, aut etiam in bona patrimonialia. Si prius, non tenetur successor: at si posterius, utique obligatur; nam qui habet commodum, etiam sentire debet

bet incommodum, ut non tantum dicunt Jura civilia, sed etiam ratio naturalis id dicitur.

Porro *Bodinus distinguit* & ait de Rep. lib. 1. C. 8. sub fin: Aut proximus *successor* regnum accipit *jure hereditario*, aut *Lege Regia*: prior modo Rex hereditariis obligationibus & actionibus tenetur; posteriore non item. Ratio est, quia hereditas est successio in universum Jus, quod defunctus habuit, & sic successor quoque ad omnia tenetur: at ubi quis succedit *Lege Regia*, ibi tantum ad ea tenetur, quæ ad regnum qua tale pertinent. Distinctione hac usus est *Franciscus II. Galliarum Rex*, nam cum *Helvetii debita à patre contracta* resposcerent, literis respondit: Tametsi debita paterna solvere non tenemur; cum sceptrum nostrum hereditario Jure non habeamus; sed *Regia Lege*, quæ etiam Regnum ad masculos tantum transfert non ad fœminas; unde ea lege non aliter obligamur, quàm ad fœdera & pacta, quæ cum externis populis principibusq; à majoribus nostris contracta ad Imperii hujus utilitatem & commoda spectant: nihilominus tamen, ut patris optimi & charissimi fidem religiosè tueamur, legitima ejus debita exsolvere decrevimus.

Observ. IV. ad Thef. 13. L. II. c. 14.

An beneficia Regum, quæ liberaliter concessa, possint pro lubitu revocari?

DE hoc puncto videri potest *Albericus Gentilis*, qui principia eorum, qui beneficia principum semper esse revocabilia censent, exhibet libr. 3. c. 16. p. 616.

Grotius distinguit inter beneficia, quæ Rex de suo facit, & quæ, nisi adsit precarii formula, vim habent perfectæ donationis; & hæc revocari non posse censet: Alia, inquit, sunt, quæ vinculum Legis tantum demunt sine ullo contractu. Hoc est, ubi Rex aut Princeps legem aliâs universaliter obligantem non amplius urget, ut observetur, & sic vinculum ejus solvit. Hunc enim sensum censemus esse Authoris nostri, & planè non illum, quem Gronovius aut Obrecht in Coll. Msc. ponit. Hæc autem beneficia utique revocabilia sunt; nam sicut Lex universaliter sublata reponi iterum potest, ita & particulariter sublata poterit reponi.

Huc pertinet etiam quæstio: *An Rex Suecie nuper defunctus legitime potuerit revocare donationes à Christina liberaliter factas?* Sanè si verum est, quod præsumsum fuit, nempe regni vires fuisse exhaustas per nimias illas largitiones, revocari potuerit; salus enim regni su-

prema Lex est. At si revocata fuere à Rege, tantum ad implendam avaritiam, male actum; sanè multæ donationes factæ sunt in compensationem meritorum; malè autem de Viris benè meritis meretur, qui ipsos expilat.

SUMMA.
CAP. DECIMI QUINTI
LIBRI SECUNDI.

I.

Materia conventionum examinantur, & ex Ulpiano dividuntur in *publicas* & *privatas*.

II. Dividuntur publicæ *conventiones* in fœdera, sponfiones & pactiones.

III. Ad fœdus requiritur, ut ab eo procedat, qui summam habet potestatem: Sponfiones tangunt promissa publica, ad quæ tamen requiritur consensus illius, qui summum imperium tenet.

IV. *Fœdera* facit Menippus *triphcia*; *primi generis*, cum bello victis dantur certæ Leges pro arbitrio; *Secundi*, cum pares bello amicitiam ineunt, & in pristinum statum omnia reducant; *Tertii*, cum, qui bella inter se non gesserunt, societatem instituunt.

V. Sed rectius dividuntur in ea, quæ constituunt, quod est juris naturalis, vel aliqua ei addunt. *Illæ* sunt & inter hostes, & qui ho-

hostes nunquam fuere; quia jus illud naturale, statuens cognationem hominum inter se, & ex ea nefas lædendi, sæpe obliteratur. Atque talia sunt fœdera contra laudata olim latrocinia, fœdera hospitii, commerciorum.

VI. *Hæc*, quæ ei addunt, vel æqualia sunt, vel inæqualia. *Illæ*, quæ utrinque eodem modo se habent; *hæc*, quæ modo impari: utraque aut pacis aut societatis causa fiunt. Quæ societatis, aut ad belli, aut commerciorum, aut rerum aliarum societatem spectant.

VII. *Inæqualia* promittuntur aut ex parte digniori, aut minus digna, fiuntque hæc posteriora vel cum vel absque imminutione imperii. Ad ea, quæ imminuunt, pertinent conditiones conditionatæ, quanquam his imperium totum transferatur: In eis, quæ non imminuunt onera, vel transitoria sunt, vel mentia. Pertinent huc fœdera, quibus eosdem hostes & amicos quis jubetur habere, inimicis alterius perditionem suam iter non dare, &c; contrahunturque non solum inter victos victoresque, sed potentiores quoque ac minus potentes.

VIII. Licet autem fœdera inire etiam cum iis, qui à vera religione alieni sunt, si Jus naturæ spectetur.

IX. Etiam Lege evangelica prohibita hæc fœdera non videntur, ut quæ magis societ homines, & inimicis quoque beneficia præstare

jubeat, nec à convictu eorum arceat. Nam Pauli dictum 2. Cor. 6, v. 14. ad eos pertinet, qui convivabantur cum iis, qui convivia in sacris idololatricis habebant. Nec contrarium infertur benè ex eo, quod conjugia contrahere cum eis, aut sponte imperia eorum subire non debeamus; quia in his majus periculum, & vinculum diuturnius.

X. Cavendum tamen in hujusmodi fœderibus, ne nimia conjunctio contagium adferat infirmis, quæ pertinet distinctio sedium & habitationum; deinde, ne lucri tantùm causa ineantur extra magnam necessitatem, cum extra hanc jus non sit committere, quod religioni periculosum potest esse.

XI. Quinimò cum sint Christiani membra corporis unius; & servire Christo quisque debeat pro potestate sibi concessa: contra hostes Christianorum omnes auxilio sibi debent esse, fœderaque inire, & inita pecuniis cæterisque rebus juvare, nisi qui similibus domi tenentur.

XII. Porro ex fœderatis pluribus illi primùm succurrendū, qui justā belli habet causam, sive cum extraneo, sive cum alio fœderato ei sit negotium, nisi specialiter conventum sit, ne adversus hunc auxilium præstetur. Si causæ utrinque injustæ, neutri succurrendum. Si simul fœderati plures in alios ista causa bellum gerent, omnibus succurrendum, quantum potest. Si præsentia promissa est omnibus, cum præ-

præstari nequeat, ei exhibenda, cum quo fœdus est antiquius.

XIII. Renovatum fœdus non intelligendum tacitè, nisi ex actibus ejusmodi, quæ aliam interpretationem non recipiunt.

XIV. Fœderis ab una parte violatio liberat partem alteram, ni contra sit conventum.

XV. De *Sponsionibus* quæritur, quousque se extendat obligatio sponsoris, si præstare eam nequit? Hic primò tenendum, quod ad eum, qui summum habet imperium, nullatenus extendatur, nec ad id quod interest, nec ad restitutionem præstandam, sed ad eos solos, qui sponponderunt ipsi, aut quorum jussu sponponderunt. Quod si potestatem paciscendi se habere publicam simularunt, tenebuntur ad restitutionem ex damno per dolum dato: si non simularunt, ad id quod interest, quo casu & corpora & bona eorum obligantur, licet illa non, nisi ad solam servitutem.

XVI. Quid? si, qui summum habet imperium, novit & silet? Si sponsio facta cum conditione, ut rata habeatur ab ipso, nec conditio impleta, sponsio est nulla: Si simpliciter, silentium solum non satis idoneè arguit voluntatem & consensum, sed si actus accesserit, qui ad aliam causam probabiliter referri nequit, atque hoc casu etiam is, qui summum habet imperium, obligabitur.

Observ. I. ad Cap. XV.

De

Sponsionibus & fœderibus.

*Qua sit Differentia Sponsionum
& Fœderum?*

IN hoc capite Author noster primo docet, quæ sit distinctio inter fœdera & sponsiones. Nempè discrimen consistit *primo in personis*, quod sponsiones faciant ii, qui non habent potestatem superiorem, neque mandatum à suprema potestate de contrahendo acceperunt; at verò fœdera opposito prorsus modo se habent, illa enim panguntur ab iis, qui supremam habent potestatem.

Secundo ratione forma quoque est diversitas. Fœdera enim statim in præsentis obligant; sponsiones verò referuntur ad futurum, adeoque in his vel Regis, vel Senatus, vel populi, pro diversa reipubl. forma, rati habitio expectanda.

Discrimen hoc sponsionis & fœderis tempore Romanorum maximè in usu fuit, unde etiam in Jure civili Romano legitur,

Ufus sponsionum erat, quories periculum fuit in mora, & adiri nequit, qui summum habet imperium in civitate.

Observ.

Observatio II. ad Thef. 5.

An distinctio fœderum bona sit, quando Grotius ait, quadam fœdera constituere idem, quod constituit Jus Naturæ; alia verò Juri Naturæ aliquid adjicere?

TRactat hoc punctum *Pufendorf* libr. 2. cap. 2. §. 11. & in *negativam* descendit ex sequentibus rationibus:

Primo ait, quia per tale fœdus *nihil superaddatur* obligationi Juris Naturæ, seu non conveniatur de aliquo præstando, ad quod non antea homines ipsa Lege Naturæ obstricti sint; undè inutile omninò esse, tale quid sancire.

Secundo abhorreere hoc à *consuetudine* hominum *cultiorum*, ut talia pacta ineant, cujus capita & conditiones nihil aliud contineant, quàm quod quis immediatè non sit violaturus id, quod jam à natura expressè fuerat præceptum.

Tertio id videri *irreverens erga Divinum Numen*, quasi ipsius jussum non satis jam necessitatis nobis attulisset, nisi & ipsi in idem ultrò consentiremus; aut quasi ex nostro arbitrio ea obligatio dependeret,

Unde *quarto* in quolibet pacto *petendum esse* aliquid, quod aliàs alter ipso Jure Naturæ à me *exigere non poterat*, quodve antea eidem ex eodem

dem Jure perfectè non debebam; sed quod demùm post declaratum & acceptatum ab altero meum consensum plenè debiturus ero.

Quinto uti, qui alteri ministeria sua addicit, haud quicquàm pro capitibus pacti expressè & immediatè constituit, quod perfidè adversus ipsum non sit acturus, quod furtis ipsum non sit expilaturus; ità erubescenda est conventio, in qua quis ad nihil aliud alteri sese obstringit, quàm quod non sit adversus eum violaturus pacem universalem, id est, quod non sit usurus in illum jure, in bestias adhiberi solito.

Histamen rationibus non obstantibus existimat *Obrecht*, quod talia fœdera non tantùm non pugnent cum Jure Naturæ, sed etiam quod maximum *usum prabeant*.

Nam *primo* si ad illam obligationem, quæ est in Jure Naturæ fundata de non lædendo, adjiciatur fœdus, tum peccantem contra hoc fœdus non saltem violare Jus Naturæ, quod dicit neminem esse lædendum, nemini suum esse eripiendum; sed *etiam fidem frangere*, adeoque talem *duplicis sceleris fore reum*, nempe & quod sit in vasor rei alienæ, & quod sit perjurus.

Secundo præceptum *de non lædendo* esse quidem præceptum Juris Naturæ, & in se spectatum unum: at verò in applicatione ad actus humanos esse multiplex; deinceps enim quæri,

an

an hoc vel illo facto lædatur proximus; *accessione* verò *fœderis* omnem hanc *disputationem* tolli.

Tertio principia Legis seu *Juris Naturæ* apud *diversas nationes* etiam esse *diversa*; sic ut in ipso *Christianismo* summa sit *ingeniorum & Doctorum* dissonantia; *Hobbesium* existimare, sui *conservationem & utilitatem maximam* paginam *Juris Naturæ* facere: At si *fœdus* accedat, tum *determinari* principia, ex quibus re *examinanda*.

Quarto nullam *irreverentiam* erga *Divinum Numen* committi; non enim *efficere* hæc *fœdera* *Jus Naturæ* *efficacius*, sed *cavere*, ut alii, *minùs reverentes* *Jus Naturæ*, illud magis *observare* debeant. Adjici ergò *fœdera* non *respectu* ad *Deum*, sed ad *violatores* *Juris Naturæ*.

Observ. III. ad Thef. 8. c. 15.

An liceat cum iis fœdera pangere, qui sunt alieni à vera religione?

TRactant hanc quæstionem ex *Jctis Albericus Gentilis* libr. 3. c. 9. *Reinking, Oldradus, Kulpisius, vander Mylen & alii*.

Ex *Theolog. Pontific. Armachanus* in *Marte Gallico*, sive *Cornelius Jansenius*, is enim sub illo nomine latitat, *Gerhardus* loc. de *Mag. Pol. & alii*,

Gro-

Grotius in affirmativam inclinatur ex sequentibus rationibus :

Primo quia Jus fœderum commune est omnibus hominibus, sine ordine & respectu ad religionem.

Secundo quia in Lege Divina multa dentur exempla, sic Jacobum cum Labane pepigisse fœdus, Davidem & Salomonem cum Hiram Rege Tyrriorum, ubi in scriptura dicitur, fecisse hoc Salomonem juxta sapientiam ipsi à Deo datam. 1. Reg. 5.

Alii distinguunt primò inter JURA, deinde inter fœdera, tertio inter Casus.

Inter jura distinguit non tantum *Kulpisius* sed & *vander Mylen*, dicendo, *Jure Natura* certum esse, quod licita sint talia fœdera. Nam, inquit, laudatus *Mylius*: *Cum nobis Jus Natura facultatem tribuat, quibuscunque mediis nosmet ipsos in securitatem asserere: ergo nec illicitum, si veremur, ne nobis noceat vicinus, vel alius cujus fortasse suspicamur nimiam potentiam, & paratum ad nocendum animum, cum eo fœdus inire; ut ab omni metu vacui tranquilliter vitam traducere liceat.*

Alii distinguunt inter fœdera bellica & commerciorum, & concedunt, quod fœdus commerciorum utique institui possit etiam cum Ethnicis, & hoc imprimis probant exempla ab *H. Grotio* producta: non verò bellica; quia ex his magnum religioni damnum inferri possit;

lit, ut exemplo Regis Francisci I. Galli constet, qui per fœdus cum Solimanno Turcainitum irreparabile damnum Christianis intulit, ut multa millia non saltem fuerint occisa, sed in perpetuam captivitatem abducta, ubi haud pauci ex tædio durissimæ captivitatis fidem Christianam abnegarunt.

Hinc tertio alii distinguunt inter fœdera *offensiva* & *defensiva*. Fœdus quidem *offensivum* nunquam licitum inire cum Gentilibus, seu Barbaris; at verò *fœdus defensivum*, maxime si magna adsit necessitas, & si defensio illa suscipiatur contra hostem barbarum. Exempli gratia, Si Christianus aliquis Princeps bello prematur à Turcis, tum tali Christiano licere *fœdus defensivum* inire cum Moscovitis aut Tartaris. At verò si nulla adsit *necessitas*, tutius esse abstinere à fœderibus etiam *defensivis*, quæ sententia procul dubio vera est.

Unde tandem rectè in th. II. tradit Grotius, quod, licet intrinseca & universalis pravitatis non sit in fœderibus cum Gentilibus vel barbaris: cavendum tamen, ne nimia commixtio cum infidelibus contagium afferat; deinde bene attendendum, ne *directè* vel *indirectè* Religioni Christianæ nocumentum inferatur.

Expressit id non malè, & exemplo illustravit *vander Mylen*, inquit: vellem equidem, ut sæpius in memoriam revocarent Reges Princi-

pesq;

pesque, tanquam prudentissimam admonitionem, orationem, qua olim Venetiarum Dux exposuit Henrico tertio ex Polonia reduci causam tot calamitatum, quibus continuo regnum suum premebatur, cum inquit: *D' où pensez vous, Sire, que soient de coulés tant de malheurs l'un sur l'autre en vostre Royaume, & sur les personnes des Roys vos pradecesseurs, si ce n'est de cette aliance contractée avec l'ennemy de Jesus Christ? Tant d'ames Chrestiennes trainées captives par le corsaire Barbarosse, appelé par le Roy vostre ayeul, & qui depuis ont esté forcées à renier leur baptesme, crient vengeance aux enfers contre les autheurs de leur infortune. On doit se maintenir avec l'infidele, mais de faire une ligue offensive & defensiva, c'est declarer la guerre a Dieu, qui sçait a son tour prendre la vengeance, quoy que tardive, mais d'autant plus grievé.*

Observ. IV. ad Thef. 16.

Ad quid teneantur Sponsores, si sponso à Rege aut Civitate improbetur?

HUG. Grotius tres hic recenset opiniones; nempe sponsores tales teneri vel ad id, quod interest; vel secundo ad restituendam rem in eum statum, in quo ante sponzionem erant; vel tertio ad corpus dedendum.

Duo hujus rei exempla affert, primum est in Historia Livii libr. 9. c. 8. & seqq. Ubi recense-

tur, quod Posthumius Romani exercitus Imperator sponſionem inierit cum Samnitibus, dum in anguſtias deductus, ſeſe dedere cum exercitu neceſſum habuit ſub turpi conditione.

Hic in Curia Romana quaſitum fuit, an Senatus teneatur ad ſponſionem Poſthumii, ubi ipſe Poſthumius ſententiam contra tulit.

Negabat enim *injuffu populi quidquam ſanciri poſſe, quod populum teneat; quid enim, inquit, vobiscum Patres, quid cum populo Romano actum eſt? quis vos appellare poteſt? Hoſti enim nihil ſpochondiſtis; civem neminem ſpondere pro vobis juſſiſtis; nihil ergo vobis nec nobiſcum eſt, quibus nihil mandaviſtis; nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis. Samnitibus ſponſores nos ſumus rei ſatis locupletes, in id quod noſtrum eſt, in id quod praſtare poſſumus, corpora & animos. Pro imperio, quod in noſmet ipſos natura cuique tribuit, aliis nos obligaviſmus; vos enim abſque conſenſu veſtro, juxta naturalem omnibus communem conditionem, per nos obligari non potuiſtis. Itaque ſi quiddam patienter Samnites ex eo, quod carent effectu, quem ex ſponſione facta habituri ſperabant: noſtrum eſt id rependere & compenſare, non bonorum tantum ſed & libertatis jaſtura. Vos non tangit illa Obligatio, qua tenemur adimplere, qua praſtare promiſimus, ſed noſtra corpora, noſtra bona pro eorum implemenſo, qua ſpochondimus, Samnitibus ſunt obligata. Et*

B b

pro

pro hac sententia stat etiam Grotius, cum quo etiam facit Gronovius.

Interim si res probè inspiciatur, sponsonem illam invalidam non fuisse, probant rationes non contemnendæ.

Nam primo eo tempore in summo discrimine versabatur Respublica; notum autem, quantam vim habeat extrema necessitas, quam benè expressit in Senatu Lentulus Senator haud postremus. *Equidem*, inquit, *mortem pro patria preclaram esse fateor; & me vel devovere pro populo Romano legionibusque, vel in medios me mittere hostes paratus sum: sed hic patriam video, hoc quicquid Romanarum Legionum est, qua nisi pro se ipsis ad mortem ruere velint, quid habent, quod morte sua servent? Testa Urbis dicat aliquis & Moenia & eam turbam, à qua Urbs incolitur: imo hercule produntur magis omnia; deleta hoc exercitu non servantur. Quis enim ea tuebitur? Imbellis videlicet atque inermis multitudo. Hic omnis spes opesque sunt, quas servando patriam servamus; dedendo ad necem patriam deserimus ac perdimus. At foeda ac ignominiosa deditio est; sed ea patria charitas est, ut tam ignominia eam quam morte nostra, si opus sit, servemus. Habeatur ergo ista, quantaunque est, indignitas, & pareatur necessitati, quam ne jam quidem superant.*

Nos existimamus, sententiam Posthumii & Senatus Rom. fuisse eundem cloribus

& ex spiritu excelso profectam : plus tamen *superbie* ac fastus habuisse, quam rationis; atq; adeò Lentuli faniorem fuisse, quia consultius est necessitati cedere, quam totam Rempubli-
cam in extremum periculum adducere. Con-
sentit nobiscum Pufendorf de J. N. & Gent.

Inter recentia exempla numeramus, quod nuper inter Pacificatores in Hollandia conti-
git, ubi Plenipotentarius Gallicus Torcy spo-
ndit pro Rege, quod Præliminaria pacis
sibi rati habiturus; cui etiam fides eo magis ad-
hibita fuit, quia potestatem absolutam sancien-
di pacem scripto monstrabat: sed Gallix Rex
postea sanctionem illam revocavit.

Sed hoc in præsentis Rege mirum non est;
qui cum scæderibus, pacis tractatibus etiam
juramento firmatis, aliisque præmissis ludere
solet, atque omnem fidem suam ex utilitate
metiri.

SUMMA
CAP. DECIMI SEXTI
LIBRI SECUNDI.

I.

Quia in promissis & conventionibus ver-
ba quandoque habentur, quæ ambigui
sunt sensus, aut in diversos trahi possunt, ideo
interpretatione sæpè opus est.

Bb 2

II.

II. *Verba*, si alia conjecturæ absint, intelligenda sunt ex usu populari.

III. Artium vocabula ex usu eorum, qui artes illas intelligunt & tractant, militaria ex militarium, juridica ex Jure Consultorum.

IV. Ubi verba plures significationes accipiunt, conjecturis opus; aut ubi sibi ipsis repugnant; aut ultrò contra vulgarem sensum exponi desiderant.

V. *Conjecturis* illis regula est primo materia negotii, quæ talem exigit interpretationem.

VI. *Deinde* effectus, qui sequitur alienus à ratione, si aliter exponatur.

VII. *Tertio* conjuncta origine, quæ diversè exponi nequeunt, etsi loco temporeve alio dicta sint.

VIII. Ad hæc pertinet & ratio legis, à mente ejus distincta, sicut in universum ratio, à qua voluntas movetur, sive una ea sit, sive plures concurrant.

IX. Recipiunt autem verba significationes plures, unam strictiorem, aliam latiore; vel quia speciei nomen generis tribuitur; vel quia usus artis latior, quàm popularis.

X. In promissis quoque alia *favorabilia* sunt, ut æqualia & utilitatem communem spectantia; alia *odiosa*, ut inæqualia & partem alteram gravantia, & pœnalia, & quæ actus faciunt irritos, & quæ de prioribus quid immutant. Quæ ex his miscentur, pro ratione mixturæ

turæ

turæ vel favorabilia vel odiosa sunt; nisi mixtio sit æqualis, talis enim pro favorabili habetur.

XI. Quod autem Romani quædam bonæ fidei, quædam stricti juris vocant, id ad jus gentium non pertinet; nisi quatenus actui inesse intelligitur forma communiter in gente recepta.

XII. His observatis tenendum, quod in non odioso verba sint accipienda secundum usum popularem eumque latissimum: in favorabilibus, si Jus intelligatur, tam laxè sunt sumenda, ut includât significationes artis, quasve lex dedit: impropriè nil accipiendum, nisi absurditas aut pacti utilitas alioqui sequeretur: strictè quid accipiendum ad vitandam iniquitatem vel absurditatem. Si nil tale obstat, manendum in significato proprio. Figuratè verò aliquando quid accipiendum in odiosis, ut videtur onus.

XIII. Sociorum nomine non veniunt futuri, si per hanc interpretationem fœdus dissolvatur: licebit tamen sociis postfactis, nisi aliter conventum sit, ex jure Gentium succurrere, etiam adversus socios priores, manente salvo fœdere priore.

XIV. Quod si conventum sit injussu alterius bellum non gerere, formula hæc de solo bello offensivo erit exponenda.

B b 3

XV. Si

XV. Si promissum sit, liberam fore civitatem, de libertate retinendæ sedis etiam accipi oportebit.

XVI. Pactum *cum populo libero* reale habendum, nec mutari mutatâ republ. in regnum, nisi causa subsit certa, quæ id tollat ob hanc formam. Pactum *cum Rege* quoque reale censetur, maximè si adjectum aliquid, quo ostendatur, non personæ ipsius gratiâ tantùm actum. Si conjecturæ in utraque partem sunt æquales, favorabilia credentur realia, odiosa contrâ. Favorabilia autem fœdera sunt, pacis gratia & commerciorum, sed & ea, quæ belli defensivi gratia ineuntur. Nec obstat, quod juramenta tantùm obstringant personam jurantis; cum his tanquam firmamentis solis non innitantur, sed pactis ac promissis.

XVII. Acejusmodi quidem pactum ac fœdus cum Rege tam est firmum, ut maneat, licet in exilium ejiciatur,

XVIII. Nec transire queat ad invasorem, qui proinde bello quoque potest peti, absque fœderis latione.

XIX. Promissum ob certum factum, si quis primus fecerit, pertinet ad omnes, partibus æqualibus, si plures id fecerunt simul ex. gr. si plures viros conscenderunt.

XX. Altera sequitur ratio exponendi *conjecturas*, quando vel extendunt vel coarctant promissa. De his notandum, in interpretatio-

ne non temerè admittendas, cum obligationem extendunt; non, ob rationem similem in aliis, nec ob rationem probabilem aliam, sed quæ unica efficaxque fuerit in sua generalitate ad promittentem movendum. Ut in prohibitis muris ob eam causam, ne locus muniretur, prohibitus & agger putabitur.

XXI. Similiter mandatum per aliud æque utile vel utilius impleri non potest, nisi certum sit, id quod præscriptum est, sub conditione generali fuisse præscriptum.

XXII. Cum vero obligationem restringunt, admittendæ primùm, cum deficere voluntas videtur ob evidens absurdum, quod inde sequitur, si latius accipiatur, quia nemo absurda velle creditur.

XXIII. Deinde cum deficere videtur ratio, quæ unica impulit ad promissionem; quia talis sub ratione certa facta promissio non consideratur ut nuda.

XXIV. Non vero admittendæ restrictiones, cum sub rationem veniūt res moraliter existentes secundum potentiam, vel cum considerantur aliqua, quæ fieri posse sperantur vel timentur. Sed nec promissa cessant, rebus quoquo modo mutatis, nisi in respectu peculiari ad illum statum rerum facta fuerint.

XXV. Admittendæ quoque, cum ob causam emergentem suboriri alia videtur repugnantia cum voluntate promittentis. Ut cum, si sic

laxè sequeremur promissum, faceremus, quæ pugnans cum præceptis naturalibus aut divinis, quod nemo velle creditur. Ut si quis gladium depositum reddet et factò furioso, aut pecuniam depositam, cognito vero Domino, depositori.

XXVI. Vel cum adigeremur ad nimis gravia & intolerabilia, ut si quis promittit auxilium alteri, restringenda erit promissio, si promissor ipse domi suæ periclitetur. Non verò admittendæ ideo tantum, quod promissio ei videatur inutilis, cui est facta, vel promissori quoquo modo noxia.

XXVII. Admittendæ quoque sunt ex signis aliis, ut cum pars scripti cum parte alia confertur.

XXVIII. In quâ collatione prævalent ea, quæ jubent, iis quæ permittunt; ea quæ certum exigunt tempus, iis quæ non exigunt; ea quæ vetant, iis quæ jubent; ea quæ magis specialia, iis quæ generaliora; ea quæ causas habent magis justas utilesve, iis quæ minus habent; ea quæ posteriora, iis quæ priora sunt.

XXIX. Contractus in dubio censetur perfectus etiam sine scriptura, nisi aliter conventum fuerit.

XXX. Si qui vero inter Reges fiunt contractus, ii ex jure Romano definiti nequeunt, nisi ubi id valet pro jure Gentium.

XXXI.

XXXI. Conditionem aliquam accipientis verba in dubio formam dant negotio, & idcirco spectari debent, si absoluta sint, aut si per affirmationem solam respiciant verba offerentis.

Observatio I CAP. XVI.

De

INTERPRETATIONE

CApit hoc magnum usum habet, non solum in materia de promissis, de qua Grotius agit. sed etiam in aliis. Exempli gratia in tractatibus pacis nihil frequentius est, quam quod post aliquot annorum decursum quaestio incidat, quomodo hæc aut illa verba intelligenda sint? Sic in pace Monasteriensi, cum Alsatia Galliae Regi sub certis conditionibus concederetur, quarum principalis erat, ut id Juris Gallo competere, quod ante Cæsari tanquam Archiduci Austriae competierat: post aliquot annorum lapsum Rex Galliae absolutum Jus in Civitates Imperiales in Alsatia sibi arrogavit. Quaestio adhuc fervet, nisi fortè per novam pacem decisio justa, ut speramus, haberi queat.

Videantur interim acta publica, & Du. Kulpisius in Not. ad Monzamb.

In talibus itaque tractatibus & pactis verba pactorum sumenda sunt non ultra suam natura-

Bb 5

cura-

nuralem significationem, neque visipsis est inferenda. Neque melior est interpretatio, quam quæ ex natura negotii, præsumptione legitima tractantium eorumque sensu, & vocum nativa claritate desumitur.

Observ. II. ad Thef. 1. 2.

Quotuplex sit Interpretatio?

UT totum hoc caput, quod, ut dictum, magni est momenti, rectè capiatur, distinguenda est Interpretatio; alia enim est *declarativa*, alia *extensiva*, alia *restrictiva*.

Declarativa est, cum verba accipiuntur & exponuntur secundum communem loquendi usum.

Extensiva est, quando verba per se clara, ob paritatem rationis, ad alium casum æquipolentem extenduntur.

Restrictiva, quando verba non in generalitate sua explicantur, sed ob materiæ substratæ conditionem restringuntur. *vid. §. 20.*

Observ. III. ad Thef. 3.

Quotuplex sit usus vocabulorum?

USus vocabulorum est vel *vulgaris*, vel *technologicus*, ad terminos artis relatus; non enim semper *Interpretatio* ad usum vulgarem restringenda; sed sæpè quoque ad usum artis illius

illius respiciendum, de qua tractatur, in qua sæpe sensu quodam peculiari adhibentur, quod & in Jurisprudencia frequentissimum. Uti de Angelo Polytriano refertur, qui, cum aliquando in colloquio familiari interrogaretur, quid JCtis Suus HÆRES significaret, risui se exposuit, cum vulgariter id interpretaretur. Sic termini militares non ex scholis, sed scriptoribus rei militaris petendi. Sic si munimentum aliquod sub hac conditione stipuletur de ditionem, si intra certum tempus nullum auxilium advenerit: quæritur, si quædam legiones accesserunt, an pro exercitu habenda? Quale quid factum ab Hispanis in obsidione Calalis, qui hanc conditionem adjecere, si intra 14. dies exercitus Gallicanus advenisset. Hinc quæritur quid hic exercitus sit, & respondetur, respiciendum hic esse ad indolem negotii & Ducum militarium, quorum quidem cum diversæ sæpè sint opiniones, maxima ratio indolis negotii belligerantium habenda erit, Unde in pacto priori de munimento succurrenda censetur exercitus esse, qui satis idoneis viribus instructus, ut possit, mediante prælio vel alio modo, vi transitum ad urbem & munimentum sumere.

Observ. IV. ad Thef. 4.

An dentur Verba ambigua ex se?

Veteres in hoc puncto Philosophorum contentiones cognoscendæ sunt ex Gell: 11. N. A. C. 12. & ad Herenn. L. 2. C. 15. Fuerunt enim, qui negarunt dari ἀμφιβολίαν. Sed res est manifesta, licet enim is, qui loquitur, occulto sensu inclinet saltem in unam significationem, ratione tamen eorum, qui audiunt, verba possunt esse ambigua. Vide tradita de hisce ambiguis L. 3. de reb. Dub. L. 125. d. V. S. L. 7. §. 2. de Supell. Leg. Interdum est pugna præter mentem Legislatoris & contrahentium, fitque ex accidenti, ut in applicatione Legis posterioris incidat aliqua controversia cum Lege priori; sicut & in pactis sæpius accidere solet. Quibus in casibus, cum utrumque non censeantur voluisse contrahentes, de conciliatione laborandum: secus, si expressa sit pugna, ubi conciliatio frustranea. vid. L. f. de Const. Principum.

Huc debet referri, quod à Jctis traditur, in LLbus & contractibus explicandis, quod tale debeat haberi subjectum, quale est prædicatum; cujus regulæ fundamentum est in L. 15. §. 1. d. Loc. Cond. Vid. Cic. de Off. 1. C. 10. Suidæ in Trochiam Paraphrasis.

De-

Desumpta hæc sunt ex L. 67. d. R. J. L. 19. D. LL. aliud autem est quærere, ex quo fonte interpretatio fieri debeat; aliud quomodo. Hæc ex effectu, non tanquam ex fonte, sed tanquam ex modo, interpretatio deducitur.

OBSERVATIO V.

Quid sit Interpretatio conjuncta?

Conjuncta specialiori nomine à Theologis & JCtis vocatur *Interpretatio* ex contextu; & opponitur interpretationi, quæ ex analogia desumitur. Grotius verò hic per conjunctam utramque, & quæ ex connexis & quæ ex analogia, intelligit, ita ut ex loco sit ex contextu, ex origine sit ex analogia. Hæc Theologis *analogia Fidei*; JCtis *analogia juris* dicitur. *Conjuncta Loco* est, ubi ex antecedentibus & consequentibus *interpretatio* facienda: interpretatio ex origine sive analogia *originalis* fundamentum suum habet in eo, quod qui in alio loco de re simili mentem suam exponit, is censeatur in alio loco idem velle. Et hæc in *Scriptura Sacra* obtinet, quia omnia ejus capita sunt ex origine una, voluntate nempe DEI, profecta. In LLbus Civ. pariter se res habet, quia omnes ex mente Legislatoris provenere; unde non tantum ad interpretationem LL. sed decisionem quoque casuum adhibenda est.

Analo-

Analogiæ Juris fundamentum itaque est, quod non præsumatur Legislator in alio loco de eadem vel simili re aliud sensisse, & hoc patet ex L. 26. 27. 28. d. I. L. Hinc SIMILITUDO est fundamentum omnis Analogiæ, quæ tamen *proportionaliter esse debet*, ita ut si quid alibi in lege expressa definitum, quod antea controversum, proportionaliter inde ad casum controversum decisio referenda. vid. Joh. Gerh. Vossius in arte Gramm. maj. Loco conjuncta censentur, quæ connexa ita, ut antecedentia ad consequentia, & consequentia ad antecedentia trahantur, quod sanè magnum usum habet in interpretandis Legibus. Vid. Kulpisius ad Grotium.

OBSERVATIO VI.

Quid sit interpretatio Legalis?

Eximia species interpretationis est, quæ ex ratione Legis desumitur; ex Lege enim provenire dicitur, non quod ex verbis, sed quod ex mente quoque Legis procedit. Quam mentem Grotius accipit pro eo, quod ex rationibus demum elicitur, sive hoc fiat ex ratione, quæ movit Legislatorem, sive ex aliis indiciis. Agitur autem hic de Interpretatione Legis *declaratoria*, non de restrictiva & extensiva, de quibus §. 20. Unde huc non pertinet nec referri debet regula Doctorum circa interpretationem *restrictivam* usitata: ut cessante ratione Legis

ces-

esset quoque ejus dispositio, & contra: ubi valet ratio Legis, ibi quoque valere Legis dispositionem. Si igitur Lex aliqua obscura sit, constet autem de ratione ejus unica: declarativa adhiberi debet Interpretatio. Hoc probe notandum in LLbus positivis, ubi se voluntas Legislatoris ex vi libertatis determinat nulla addita ratione, non anxie inquirendum esse in ejus rationem; cum hic voluntas & potestas LLatoris sufficiat ad inducendam obligationem, modo non fit contra vel præter naturam. Hinc dilucidari possunt; quæ dicuntur in L. 20. & 21. d. LLbus, ubi dicitur, non omnium, quæ scilicet Juris positivi sunt, & non certam rationem naturalem habent, rationem reddi posse. Ex. gr. quod in testamento septem testes adhibendi, ratio nulla reddi potest; cur enim non quinq; vel sex testes sufficere possent? Cæterum magna quoque oriretur confusio, si liceret cuilibet privato in rationem, quæ Legislatorem movit, inquirere.

Vid. noster tractatus de Legibus.



Observ. VII. ad Thef. 16. n. 4.

*An Fœdera juramento firmata à
Suc. effore sint servanda: & an Juramentum
Antecessoris r̄i quoque suam trans-
ferat in Successorem?*

Grotius nobilem hanc Controversiam tra-
dit & Bodinū rejicit, qui existimavit, fœ-
dera talia Successorem non stringere; quia Ju-
rumentum ejusque vis obligativa cum perso-
na extinguatur. Grotius censet, quod, licet
Successor talis non obligetur ex Juramento,
obligetur tamen ex pacto. Dn. Obrecht idem
sentit; ait enim, quod, licet Successor talis non
teneatur Juramento Antecessoris, teneatur ta-
men ex *devolutione conventionis*, ab Antecessore
efficaciter ad eum facta. Unde non servantem
tale pactum reum quidem non esse perjurii,
esse tamen reum fractæ fidei & conventionis.

Nos existimamus, hanc sententiam, si ex foro
conscientiæ, hoc est, secundum *Justitiam in-
ternam consideretur*, admittendam non esse, ac
Principibus occasionem dare ad perfidiam. Sa-
nè enim Princeps aut Rex aliquis paciscens &
juramento pactum confirmans, non censen-
dus est ut persona singularis, de qua alias
dicitur, quod juramenti vis cum ea expiret:
sed est persona publica, repræsentans Rem-
publicam. Sicut ergò Respublica paciscens &
ju-

jurans tenetur ex vi quoque juramenti; licet personæ particulares moriantur, & semper aliæ succedant: ita se res quoque habet cum Principe & Rege. Aut si Princeps vel Rex talis videat, se non posse nec velle pactum juramento firmatum servare, non capessere debet Regnum, si tutus esse velit in Conscientia. Unde planè subscribimus Guil. vander Myelen, qui rectè in hunc locum ait: *si Rex publicum fœdus juramento confirmavit, eodem quoque tenebitur successor; quia, ut optime inquit doctissimus Gronovius, in actibus Regis Princeps & successor habentur pro una eademque persona, uterque representat populum, qui heri & hodie unus.* Deinde, inquit, *jurisjurandi vis non exit personam jurantis, quoties quis pro se tantum & suo nomine, non etiam alieno & pro alio jurat: Rex autem jurat pro populo, cujus pars est successor,*

Observ. VIII. ad Thef. 21.

An mandatum impleri possit per aliud equipollens?

Grotius hic distinguit inter mandata, quæ certam & specificam quandam formam habent, & inter ea, quæ sub generali ratione sunt data. Prioris generis præcepta strictè asserit servanda: In posteriori verò respiciendum est ad finem mandantis, qui si haberi possit per aliquod medium, quod in mandato

expressè non habetur, adeoque per æquipol-
lens, utique non censetur mandatarius fines
mandati excessisse.

In Jure Divino certum est, quod periculo-
sum sit à mandatis divinis vel larum unguem
recedere; Legislator enim supremus non ad-
mittit interpretationem humanam: ut con-
stat ab exemplo Sauli Regis, qui jussus delere
excidio Amalekitas, cum pecora quædam ser-
varet ad sacrificium, gravissimè à DEO puni-
tus fuit, & à Samuele ipsi dictum: DEUM
delectari Obsequio, non SACRIFICIO. Unde
probè id tenendum, quod mandata Divina
strictissimæ sunt interpretationis, nec admittant
dispensationes vel explicationes humanas. Un-
de etiam omnes illæ dispensationes, quæ con-
tra Legem DEI à Pontificibus Rom. fiunt, im-
piæ & invalidæ sunt; nec eum, qui talem di-
spensationem à Curia Rom. accepit, in Con-
scientia tutum faciunt.

In foro humano plerumque etiam periculo-
sum est, si quis malit Jussa Superioris interpre-
tari, quam exequi. Apud Romanos si quis in
bello mandata non servasset, etiam si rem felici-
ter gessisset: tamen ultimo supplicio afficieba-
tur. In Rebus politicis par est ratio. Unde
semper tutius, mandati verbis tenaciter inha-
zere.

Sed quæritur, quid tum facto opus, si elau-
sula illa adjiciatur mandato: *Reliqua sua pruden-*
den-

dentia & discretioni committimus : Respondemus, si Princeps æqui & benigni est animi, mandatarius talis tuto ulterius potest progredi; quia benignum actorum habet interpretem; secus si cum Rege vel Principe, qui omnia ex utilitate meritur, ipsi res sit. Exempla quamplurima suppeditaret præsens seculum, sed quæ non satis tutum est citare.

SUMMA.

CAP. DECIMI SEPTIMI
LIBRI SECUNDI.

De damno per injuriam dato, & obligatione, qua inde oritur.

I.

Procedit Grotius ad materiam, quæ vel ex Maleficio, vel damno per injuriam dato oritur. Notat autem hic *Maleficium* generaliter quamcunque *culpam in faciendo*, aut non faciendo, quod facere ex jure teneretur.

II. Damnum, quod ex *Maleficio* tale est; stat in eo, quod ex culpa alterius quis minus habet, quam Suum est.

III. Distinguendum autem hic est probe inter id, quod alicui competit Jure stricto & *expletorio*, & inter id, quod est ex *sola aptitudine*: ibi est obligatio stricta ad restitutionem, non verò in aptitudine.

IV. Pertinet verò damnum etiam ad fructus, quos quis ex re potuisset percipere.

V. Et lucrum cessans, quatenus species erat & vicina actui.

VI. Ac ex tali damno quidem tenetur primò is, qui dedit; proximè is, qui iussit, consensum necessarium adhibuit, adjuvit, receptum præstitit.

VII. Denique, qui consilium dedit, laudavit.

VIII. Aut, qui ex jure propriè dicto vetare debuit, aut opem ferre, & id facere omisit.

IX. Vel non dissuasit, quod debuit; aut retinuit, quod non debuit. Oportet autem aliquem hoc debere non ex nuda charitate, quæ ad reparationem non obligat.

X. Tenebuntur verò tum denique, si hoc ejusmodi eorum factum aut non factum causa fuit, cur alter damnum inferret; non, si ipse absque eo damnum erat illaturus. Nec excusabuntur etiam, si alii hoc idem fuissent facturi, quod fecerunt ipsi.

XI. Primo autem tenetur, qui imperavit, deinde qui fecit, postremo cæteri; & singuli in solidum.

XII. Pertinetque illa obligatio etiam ad id damnum, quod prius sequitur, præstandum.

XIII. Sic homicida tenetur ad impensas in medicos, & alimenta pro iis, quos occisus alere debuerat.

XIV.

XIV. Mutilator ad id, quod mutilatus jam minus potest lucrari.

XV. Adulter ad impensas factas in alienam prolem, & præstandum liberis cæteris damnum ob minutam hæreditatem. Stuprator ad id, quanti minoris spes nuptiarum ipsius facta est, aut ipsas nuptias, si promiserit.

XVI. Fur ad rem, cum fructu & lucro reddendam, vel, si perierit, ad æstimationem mediam. Pariter tenetur, qui vectigalia fraudaverit, aut iudicio, accusatione, testimonio injusto damnum dedit.

XVII. Qui causam promissioni dedit dolo aut metu, ad restitutionem in integrum; qui pecuniam accepit propter id, quod ex officio facere tegebatur, ad ejus redditionem.

XVIII. Non verò qui vim aut metum justum intulit.

XIX. Pro quali hæctenus habetur à bello solenni illatus, ut ne quid ex eo cœptum possit repeti. Qualis hostis cum pirata vel latro non sit, repeti ab eo metu expressum poterit, nisi intervenit juramentum.

XX. Magistratus, qui remedia adversus latrones non adhibuit, quæ debebat, ad restitutionem damni tenetur. At ubi præda agitur in socios, contra publicum imperium, sub prætextu impetratæ prædandi veniæ in hoste, ultra, nisi ut, si possit, noxios puniat aut dedat, & in bona eorum jus curet reddi, non tenetur.

XXI. Sic nemo tenetur ex damno, ab animali aut navi sua facto alii sine sua culpa, ex jure naturali.

XXII. In damno adversus famam dato respectu damni tenetur ad reparationem, qui peccavit, h. e. confessionem culpæ, testimonium innocentia, &c. respectu actus vitiosi ad pœnam.

Observatio I. ad th. 1.

Quid sit maleficium & quotuplex obligatio ex delicto?

Notandum primò, Grotium vocem Maleficium latè hîc accipere, prout non solum culpam qualemcunque, sed etiam *dolum* complectitur: unde frustra ejus definitio à nonnullis taxatur, quod dicat maleficium esse *culpam omnem, sive in faciendo, sive in non faciendo, pugnantem cum eo, quod autem homines communiter, aut pro ratione certa qualitatatis facere debent.* Nam quicquid vel committitur, quod facere vetitum, vel omittitur, quod præceptum est naturali vel Civili Lege, id maleficium est; maleficium autè tanto majus, quando non solum culpa, sed & dolus subest.

Unde notandum secundò, quod obligatio ex delicto sit duplex, vel enim est ad reparationem damni, vel ad pœnam. Juris consulti distinguunt inter obligationem *Criminalem* & *Civilem*, & sic etiam pœna ipsa potest distingui,

Porro

Porro distingui solet inter *Vitium* in delicto, & inter injuriam per delictum alteri illatam: huic respondet obligatio ad *reparationem*; illi seu *vicio* respondet obligatio ad pœnam.

Observ. II. ad Thef. 2.

An & quomodo vita Natura homini SUUM sit?

Rectè Grotius asserit, quod Natura homini proprium sit vita, non quidem ad perdendum, sed ad custodiendum: custos itaq; vitæ suæ est homo, non Dominus. Et hoc etiam sapientiores in Gentilismo sciverunt. Sic *Plato* in *Phadone* pulchrè ait: *In custodia quadam nos homines sumus; neque decet ququam ex hac seipsum solvere, neque aufugere.* Id quod *Lactantius* paulo fusius & clarius expressit *Instit. div. l. 3. c. 18.* *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habituros, donec jubeat emitti.* Unde constat, maximum esse peccatum, si quis sibi ipsi manus violentas ex tædio vitæ, vel ad fugiendum aliquod malum inferat: *Aristoteles* id vidit; dum *Nicom.* cap. II. ait: *Mori vel ob paupertatem, vel ob amorem, vel ut molesti aliquid fugiamus, fortis Viri non est, sed timidi & mollis.*

Cœterum nobilis est illa quæstio, quæ huc pertinet, an aliquis certò & infallibiliter prævidens, sibi proximè mortem crudelissimam & infamem ab hoste instare, an, inquam, talis sibi ipsi possit vitæ filum abrumpere; quam quæstionem Pufendorf latè tractat libr. 2. cap. 4. de J. N. & G. & tandem indecisam ac in medio relinquit. Verba ejus licet pluscula sint, non tamen indigna censemus, ut hic legantur. Haud pauci, inquit, illorum causam favorabilem judicant, certè miseratione, quam aspera sententia digniorem, qui manus sibi inferunt; quod certitudine moraliter infallibili prævident, mortem sibi paulo post ab hoste cum cruciatu & ignominia adferendam; nec boni publici interesse, cur ad arbitrium alterius moriantur: aut quod ab aliis sibi vident intentari; quo admissio ipsi cæteris mortalibus deinceps sint fastidendi. Quales sunt, qui, cum mortem sibi ab hoste truculento, aut sævo Principe instare cernerent, festinata fata maluerunt, quod tormenta & ludibria aut ignominiam carnificis effugerent; aut ut suis aliquod inde commodum procurarent. Sicuti apud *Tacitum Ann. VI.* est: *promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat; & quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibeantur: eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Ex quo obiter patet, non usquequaque probari posse illud

Mar-

Martialis l. 2. Ep. 80. *Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit. Hic rogo, non furor est, ne moriare, mori?* Nam uti *Æschines* orat. de falsa legatione loquitur: ἔχῳ θάνατῳ δεινῳ, ἀλλ' ἢ πρὸς τὴν τελευταίην ὑβρίσιν φοβερά. Neque enim terribilis est interitus: sed contumelia in morte est metuenda. Huc referri quoque solent fœminæ, aut formosi pueri, qui pudicitia suæ violationem hoc modo declinarunt. Vid. *Paulus Diaconus* l. 15. de Dugna fœmina Aquilejensi. *Eusebius hist. Eccles.* l. 8. c. 24. 27. Hos plausibiliter in excusationem sui proferre posse arbitrantur: ex admota tanta necessitate, & quam, nisi velut per miraculum, effugere non datur, se collegisse, missionem jam sibi à summo Imperatore dari; veniam quoque generis humani faciliè præsumi, cui jam perierint; nec ullius interesse, tantillo tempore mortem abs se anticipari, ut tormenta & ludibria non sentiant, quæ ad grave fortasse peccatum stimulate ipsos queant; nec videri generosos animos ad id necessitatis damnatos, ut omnino ad libidinem alterius, contumeliis prius velati vitam ponant. *Cicero Tuscul. quest.* l. 1. *Cato sic abiit è vita, ut causam moriendi natum se esse gauderet. Verat enim dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare. Cum vero causam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: ne illa mendacis vir sapiens latus ex his tenebris in lu-*

cem illam excefferit: nec tamen illa vincula carceris ruperit; leges enim vetant: sed tanquam à magiftrato aut aliqua poteflate legitima, fic a Deo evocatus atque emiffus exierit. Conf. l. 3. §. 6. D. de bonis eorum, qui ante fententiam. l. 45. §. 2. D. de jure fifci. Addatur Quintilianus declam. IV. Ant. Matthæus de crimin. ad l. 48. D. tit. V. c. 1. §. 9. Grotius ad Judic. c. XVI. 30. Verum ifthæc nos quidem in medio relinquimus.

Nos exiftimamus, quod, licet talium hominum infelicitum caufa fit miferatione digniffima: tamen in foro Confcienziæ non faltem TUTA non fit, fed tales etiam in graviffimo mortali peccato è vita egrediuntur; adeoque fine fpe falutis æternæ.

Nam *primò* Regula Generalis apud Moraliſtas Theologos eſt, quod *patièdo* nemo peccet. Si itaque talis injuſtè mortem quamvis diſſimam patienter ferens non peccat; cum maximè Chriſtiana patientia inter virtutes DEO placentes non infima fit: cur talis amputet ſibi vitam? aut quomodo hoc *ſuicidium* coram tribunali Divino excuſabit?

Unde *ſecundo* quamvis *probabilis* illæ rationes videantur, quas Pufendorf citat, ut, quod contra *publicum intereſſe* talis occiſio ſui non fit; item quod non pertineat ad Gloriam DEI, ut tales innocentes crudeli morte afficiantur: tamen hic non reſpiciendum eſt, quid *pro-*

probabiliter pro ipsis dici queat, sed quid Lex Divina dicat.

Observ. III. ad Thes. 9.

*An alia sit obligatio, quæ ex Legè
Justitiæ, & alia, quæ ex Legge Charitatis
procedit?*

Grotius tangit hoc punctum in thesi 9. ubi dicit, quod is, qui factum reticeret, quod tamen ex Legge charitatis notum facere deberet, peccet quidem, quod tamen non teneatur ad reparationem.

Castigat hanc assertionem Zieglerus, & Dn. Osiander, ex his rationibus: primò quia is qui obligatus sit ex norma charitatis, obligatus quoque sit ex norma justitiæ. Uti enim Charitas respiciat proximum, & sit ad alterum, ita quoque justitiam & vicissim. Secundò sicut justitia se se diffundat per omnia præcepta secundæ tabulæ, ita quoque Charitatem; ut consequenter, qui peccat contra unum, nempe Charitatem, peccet etiam contra Justitiam. Tertio *justitiam & Charitatem* gaudere eodem fundamento, principio & basi, nempe suum cuique tribuendum.

Dn. Kulpisius in Colleg. Grotiano p. 89. Grotium his verbis vindicat, atque defendit: *Pro Grotio, inquit, notandum 1. opponere ipsum debitum justitiæ & charitatis nequaquam absolute ac formaliter, sed habita relatione ad*

Oly.

Objectum, & quoad effectus, etiam in foro interno consideratos, vel, ut clarius dicam, non ratione personæ, quæ debet, sed ratione rei, quæ debetur, vocabulo rei latè sumto, ut & facta comprehendat. Persona enim ad utramque debitum æquali obligatione tenetur, cujus validitas in se semper constat, sive ex attributrice, sive ex-plettrice justitia oriatur, ut supra jam notavimus p. 41. lit. K: ast effectus intuitu est differentia, quatenus illa jus alteri non tribuit rem exigendi, hæc tribuit. Quare 2. qui ex norma charitatis ad quid tenetur, obligatur quidem, sed non fit debitor stricte loquendo, conf. l. 108. de V. S. l. 84. §. 1. de R. l. neque enim quod sic faciendum illi incumbit, alter suum dicere potest, circa quod tamen unice, accurate loquendo, debitum & creditum versantur. vid. Grot. I; 1. §. hoc autem deficiente, deficit & restitutionis obligatio. Grot. h. n. 2. Quatenus vero 3. justitia & charitas iisdem legibus succumbunt, continent solum obligationem absolutam, ex jure natura immediatè descendentem, & ad normam justitiæ attributricis judicandam; sed ut relativa fiat cum effectu, debet factum aliquod, explettrice justitiæ estimandum, accedere. Quando 4. dicitur, qui præcepto juris naturalis quid adversum perpetrat & justitiam offendere & charitatem: concedi potest de attributrice, cujus effectus est obligatio ad pœnam: sed obligatio ad restitutionem non nisi ex explettrice oritur.

Nos

Nos existimamus distinguendum esse primò inter *obligationes*: Obligatio, quæ est ex debito Charitatis, sua ratione tenerior est & strictior, si respiciatur ad forum Divinum & Conscientiæ; sic ex charitate teneor succurrere proximo, etiam cum periculo vitæ meæ; sed non teneor ex vi justitiæ propriæ sic dictæ, quæ Grotio expletrix dicitur. Sic pauperi eleemosynam ex Charitate distribuere teneor, etiam cum sensibili aliquo damno rerum mearum, maximè si pauper aliunde nihil habeat, unde vitam sustentare posset: at non teneor rem meam alii dare ex capite Justitiæ, nec quisquam pauper eo stultitiæ abibit, ut petiturus sit *stipem* ex debito & obligatione propriè sic dicta; sed exorat tanquam debitum liberalitatis.

Porro licet *Justitia* & *Charitas* in hoc conveniant, quod utraque respiciat *alterum*: respectus tamen ille & *Relatio* non uno modo terminum suum respicit. Nam *Justitia* expletrix, de qua Grotio sermo est, respicit alterum tanquam socium ac æqualem, *equali jure* gaudentem, ac æquilibrium tenet, inter datum & acceptum: hoc verò in charitate locum non habet.

Secundo vè nobis, si *Charitas* & *Justitia* in negotio salutis non essent distincta *formaliter*. Nam principium *mortis* & *damnationis* nostræ est *Justitia* divina, quæ peccatum non potest dimittere impunitum: Principium verò salu-

tis

tis est *Charitas* DEI, quæ & prospexit de remedio contra peccatum, & pœnæ subjecit innocentem, & infinities regulas Justitiæ supergressa moritur pro peccatoribus.

Tertio licet *Charitas* sese per omnia præcepta secundæ tabulæ diffundat: tamen justitia *formaliter* spectata non se ita diffundit. Non enim sicut Christus de *Charitate* dixit, *ama Deum ex toto corde, & proximum sicut Te ipsum*, in his stat *Summa tota Legis*: ita de justitia dixit, exerce justitiam erga Deum ex toto corde, & erga proximum sicut erga Te ipsum; cum ne quidem justitia erga seipsum detur.

Denique non satis accuratè dicitur, quod justitiæ & charitatis unum fundamentum sit, nempe *sum cuique tribuendum*. Nam *charitas* plus distribuit, quam *sum cuique*. Nam *Charitas* ex sua indole ultra debitum liberalis est; seminat, ubi messem nec expectat, nec petit: contra est in *Justitia*, quæ nil gratis facit, sed compensationem postulat, nec dat, nisi ut vicissim detur.

Observatio IV. ad Thef. 12.

Qua ratione is, qui jussit aliquid, ex quo damnum secutum est, teneatur ad restitutionem?

INTER personas, quæ communiter & in genere suo, ex concursu & cooperatione ad fur-

furtum restituendū tenentur, prima est *Jubens*, seu *Mandans*, quam certum est teneri ad restitutionem in solidum, etiam si nihil indereceperit; quod intelligatur damno subsequuto, & quando jussio est causa efficax injustæ accptionis, vel probabiliter creditur efficax. *Bartholom. Med. lib. 1. instr. c. 14. §. 30. 70. Med. C. de rest. q. 7. §. 8. Pet. de Arrag. in 2. 2. q. 62. ar. 7. Mich. Salon. ibid. Pet. Nau. lib. 3. de restit. 6 4. p. 1. num. 26. Alex. de Ales p. 4. q. 24. membr. 5. art. 5. §.* Sic itaque ratio est, quia jubens ex genere suo causa est præcipua & efficax illius damni. Exemplum est, quando Dominus servo præcipit, aut Princeps subdito imperat, ut aliquid fureretur, vel aliquem occidat; item si magister discipulo, quem tenet sub virga, præcipiat, ut rapiat, vel fureretur, aut si Pater præcipiat filiofamilias; in his enim casibus, subsequuto effectu, jubens, quia causa est efficax damni præstans auctoritatem, tenetur ad restitutionem, nisi ille, qui rapuerit, restituat, quia ille facit, cujus imperio, & auctoritate fit.

Nec obstat, quod nihil possideat de furto vel rapina, ut ex hoc capite excusetur à restitutione; quia, licet nihil possideat de furto, quia tamen causa est furri, & damnificationis proximi, tenetur restituere & reddere illum indemnem. Dans enim causam damni damnnum fecisse censetur. Secus autem dicendum erit, quando aut is, cui præcipitur furtum

aut homicidium, non commisit, aut alias paratissimus fuit ad furtum vel homicidium illud committendum, ita ut imperium alterius neque alium moverit, nec alterum in suo iniquo proposito persistentem, ad illud citius aut vehementius perpetrandum, induxerit. Ratio est, quia in hoc casu jubens non est causa aliquo modo illius damni, nec ad illud concurrat; sed, ut ait *Mich. Salon.* ubi sup. jussio illa potius permissio quædam est, fac, quod vis; sicut dixit Christus Judæ, quem paratissimum & firmissimum in suo iniquo proposito videbat, quod facis, fac citius.

Hinc idem author observandum esse docet in jussione; an is, cui præcipitur, sit subditus præcipientis, nec ne. Si enim non sit subditus, & alter alias æque paratus ad nocendum, non videtur causa damni; & consequenter nec ad restitutionem tenetur. Unde *Alexan. de Ales.* ubi sup. notat, quod si amicus præcipiat amico pauperi, ut rapiat, vel furetur ubicunque possit, & dives fiat amicus: ille præcipientis non tenetur ad restitutionem, ea ratione, qua præcipit; quia non habet auctoritatem præcipienti, unde nec præceptum suum habet vim præcepti; quamvis ex alio capite, scilicet ex ratione mali consilij, ad restitutionem obligari poterit, prout causa esse poterit, quod alter ad furandum ex ejus consilio moveatur, juxta ea, quæ infra dicemus.

Obseru,

Observ. V. ad Thef. 13.

Ad quid teneatur adultera respectu liberorum legitimorum; & qua ratione indemnes eos servare obligetur?

Grotius asserit, quod adulter & adultera teneantur prolem spuriam non tantum alere; sed & quod legitimis liberis debeant respondere, si quod damnum patiantur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hæreditatem. Quæ sententia utique in foro Conscientiæ & iustitiæ internæ est verissima.

Sed hîc gravis subest difficultas, quid facere teneatur adultera, si maritus existimet spurium esse primogenitam suam prolem, atque adeo cum magno damno veræ prolis spurius, ceu primogenitus, in Bonis succederet: an semetipsam prodere debeat adultera; aut quid remedii supersit?

Ad hanc difficultatem solvendam variè respondent Moralistæ: quidam ergò, ut Richardus & Paludanus, docent, adulteram talem filio spurio revelare debere, quod ex conjugio vero natus non sit, adeoque quod hæreditas ad ipsum non pertineat, & consequenter quod teneatur legitimis liberis eam restituere. Sed hoc remedium nonnulli insufficiens esse dicunt, quia Filius non crediturus sit matri, nec teneatur credere, ut infra audiemus.

D d

Alii

Alii dicunt, quod si mater adultera propria habeat Bona, tum ex iis faciendam restitutionem: quod si verò ea non habeat, tum matrem in articulo mortis adulterium marito aperire debere.

Covarruvias celebris Hispanus, quem alias Grotius non infrequenter sequitur, docet, talem matrem, quæ nec habet bona propria, unde restituat veris hæredibus, nec ei credit filius, debere illos secreto vocare & dicere: jam nostis me morti appropinquare, & filii mei, unus vestrum natus est ex adulterio, & ideo bona mei mariti detinet indebite; ego vero priusquam ex hac vita migrem, ne moriat in hoc peccato, eum vobis nuncupare intendo, nisi vos invicem remiseritis omne jus, quod habet alter adversus alterum, non potestis salvari. Unde putat hac sola via & conventionem, cum unusquisque de se dubitare incipiet, remittendo sibi invicem jus, spurium nihil retinere alieni.

Gregorius Sayrus Anglus non male, si de mas pontificias quasdam hypotheses, rem per certa puncta discutit. *Primum est*, quando adultera habet aliqua bona propria libera, seu paraphernalia, hoc est, ut vox ipsa sonat, bona, quæ ultra dotem pro onere matrimonii habet, ff. de jure dot. l. si ego S. dotis: qualia etiam sunt legata & successiones hæreditariæ & alia donata, quæ obveniunt ultra contra-

ctum

Etum matrimonii, quæ possit pro suo arbitrio distribuere, & ex quibus sufficienter damnum reficere queat: non tenetur se prodere, sed sufficit, & tenetur de hujusmodi bonis defraudatis satisfacere. Et in hoc conveniunt plerique tum antiquitum recentiores authores Moralista. Ratio est, quia tenetur, quantum potest, commodè famam suam conservare, quam hoc modo satis bene custodit; & quia hac via sufficienter reficit damnum, restituendo bona ejusdem generis; imo ad id tenetur in hoc casu, quia, quando restitutio commodè fieri potest in eodem genere boni, non sunt exponenda alia, quæ superioris ordinis sunt.

Secundum est, si nulla talia bona habet; aut habet, sed insufficientia: tunc prudenter & caute absque sui infamia filium spurium, quantum potest, inducere curet, ut vitam Ecclesiasticam suscipiat, aut Religionem ingrediatur, quia hac ratione hæreditas ad legitimum deveniet. Verum hic modus Nobis impius est, quia Religio pro tegmine malitiæ sumitur.

Tertium est, quando non habet bona propria, quibus damnum compenset; nec filio spurio ingressum religionis persuadere valet: tunc si probabiliter judicet, quod, si manifestet peccatum suum, nihil profutura sit; puta quia nec filius nec maritus credent ei, & sic in effectu nulla sequetur restitutio: non tenetur crimen & adulterium suum manifestare, sed

sufficit ei contritio de peccato, & absolvenda est. Nec hæc nobis ratio seu *modus* probatur.

Quartum est, quando certitudine morali & prudenter videret se profuturam admonendo secreto filium spurium, & illum crediturum usurumque consilio & admonitione ipsius; absque eo quod sequeretur scandalum aut alia infamia, quam apud solum filium; tunc tenebitur crimen suum secreto revelare filio.

Quintum est, si mulier probabiliter sperat se profuturam, & quod restitutio futura sit cum effectu; puta quia dabit certa indicia, ut illi credatur: si tamen ex altera parte est certa moraliter, quod maritus eam occisurus sit, vel filium spurium vel adulterum; aut quod sequantur alia multa scandala, & inimicitæ: non tenetur *regulariter* loquendo suum crimen revelare, nec seipsam perdere.

Ratio est, quia ex duobus malis inevitabilibus minus malum eligendum est, ut constat ex Concilio Toletano, & habetur in cap. *duo millia distinct.* 1, 3. Sed mulier, quæ ex adulterio concepit & peperit, hac necessitate constringitur, ut, quocunque se vertat, in alterum duorum malorum incidat. Tacendo enim causa est, quod legitimus hæreditate privetur; revelando autem periculum mortis incurrit: sed minus malum est, quod non fiat restitutio bonorum temporalium, quam vita propria amittatur; aut quod tot scandala sequantur:

ergo

ergò illud eligendum est. Sicut enim vita corporalis multo melior est divitiis : ita mors majus malum est quam amissio divitiarum. Cum igitur obligandus non sit quispiam restituere aliquid cum majori detrimento, quam intulit; majus autem damnum notabiliter patiatur in hoc casu mulier, quam intulit : non tenebitur, prodendo crimen suum, restitutionem procurare cum probabili mortis periculo. Sed hic *modus non est tutus* in Conscientia.

Sextum est, quando non est periculum mortis, quia vel maritus mortuus est, vel senex atque ægrotus; & nullum aliud est remedium ad restituendum, nisi revelare adulterium, ex quo sequitur propria infamia; manifestato autem scelere credetur ei, & expelletur spurius, & legitimus hæres in bonis paternis succedet : tunc *Adrianus in 4. questione prima de restit. & Johannes Major in 4. distinct. 15. questione 17.* simpliciter affirmant cum periculo infamiae adulteram debere revelare scelus; alii verò, ut *Cajetanus tomo primo opusc. tract. 31. Responson. 14. dubio secundo, Johannes Medina C. de restitution. quest. 3. causa quart. Alphonsus a Castro libro secundo de potestate leg. pœn. II. S. Anton. part. 2. titulo primo. c. 18. §. 8. in fin. & tit. 2. cap. 7. §. 4. Navarrus in Manual. cap. 16. num. 44. versic. tert. absolute & sine limitatione docent econtra, quod cum jactura famæ non teneatur quis re-*

farcire damnum bonorum temporalium. Nobis *sententia* Adriani *tutior* in *conscientia* videtur.

Unde etiam modus ille Alciati & Juristarum de remittendo sibi invicem jure plane insufficientis est, ut recte Covarr. in *reg. peccatum* p. 1. §. 1. num. 6. in *fin. de regul. jur. in 6.* & Michael Salon 2. 2. q. 62. art. 6. *controv. 8. concl. 3.* annotarunt. Ratio est, quia licet mater non explicet privatim, quis Filiorum sit spurius, seipsam tamen infamat adulterii apud Filios suos, & legitime natis *injuriam* infert, ipsos *dubios* faciendo de natalium suorum honestate. Porro hac ratione minime tollitur damnum illatum ex adulterio, nec fit liberatio sufficiens; si quidē mutua hæc absolutio spontanea non est, (cum fiat ab unoquoque ignorante & timente, ne ipse sit ille spurius, alioquin illam non factururus) sed involuntaria & coacta & consequenter inutilis & invalida; nullumque exinde legitimus commodum accipit, sed adhuc damnum sicut antea patitur; nec juri suo cederet, si, se legitimum & alterum ex adulterio natum fuisse, certo intelligeret.

Ex dictis elegans exsurgit quæstio apud *moralistas*: an Filius illegitimus matri suæ de sua illegitimitate revelanti fidem regulariter & communiter præstare teneatur? Negant *Richardus* in 4. *distinct. 13.* *Paludan.* 4. *distinct. 27. quæstio 2.* *Anton. part. 2. titul. 1. cap. 18. §. 8. in fin.* & *titul. 2. capit. 7. §. 4.* *Sylvest. verb. adul-*
terii m

zerium q. 1. Angel. verb. eod. numer. 5. Tabiena verb. eod. numer. sept. Panormit. in capit. per tuas: deprobatio. Adrian. in 4. quest. 1. de restit. §. sed restant. Alphons. à Cast. lib. 2. de potest. leg. pœnal. capit. 11. Johann Medina C. de pœnit. q. 3. caus. 4. Navarr. in Manual. capit. 16. num. 44. vers. tert. Covarr. in reg. peccatum. p. 1. §. 1. numer. 6. de regul. jur. in 6. Michael Salon. 2. 2. quest. 62. artic. 6. controv. 8. conclus. 1. Pet. de Arrag. ibid. Ludovic. Lopez. p. 2. instruct. conf. cap. 88. Sotus lib. 4. de just. quest. 7. artic. 2. ad 2. Petr. Nav. lib. 3. de restit. cap. 1. part. 2. dub. 21. num. 156. Tolet. in Summa lib. 5. cap. 11. Joan. Benedict. in Summa de pec. lib. 2. capit. 6. Emmanuel Sá in Aphor. verb. Adulterium, & Bartholom. Medina in Summa lib. 1. c. 18. §. 18. Immo Panorm. ait, non tenetur credere, etiam si uterque parens negaret eum esse filium: & Emmanuel Sá ait, non teneri illi fidem adhibere, etiam si juraret: quinimo Barthol. Medina audacter affirmat, filium illum valde stulte facturum, si postquam natus est in domo patris sui, velit assensum matri præbere; siquidem si credat, tenebitur in conscientia restituere hæreditatem filio legitimo, unde docet confessarios debere tali filio consulere, ne matri assentiatur: & Paludanus exemplum affert de illo, qui dixit matri suæ: bene credo mater, quod sis meretrix, sed non, quod sim Nothus. Idemque docent Doctores in l. filium

lium ff. de his qui sunt, vel alieni juris, & l. si vicinis, C. de nupt. dicentes fatuum fuisse illum, qui regno renunciavit propter dictum matris. *Et l. miles ff. de adult. & facit regula juris, alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides.* Potest etiam filius prudenter suspicari & timere, matrem, cum sit ingenium mulierum aliquos ardentem amare, & alios capitaliter odisse, ipsum ita odio habere, ut vellet eum ab hæreditate excludi, & alios ita diligere, ut eos solos vellet esse hæredes, & hoc sine fingere adulterium, quod non commisit. Sic & *Alphonsus à Castro* ait, quod, licet illa dicat marito, & ille credat: filius tamen ille credere non teneatur. Quia cum natus sit in domo paterna, matre & viro suo simul cohabitantibus, nec ulla infirmitate impeditis: jus præsumit illum esse legitimum, & à viro non ab adultero genitum, contra quam juris præsumptionem filius credere non obligatur in tantum sui præjudicium & detrimentum.

NOBIS ita videtur, quod quamvis filius communiter non teneatur matri, quamvis juranti, fidem adhibere: quando tamen sciens convincitur & compellitur intra se fateri se esse spurium; puta, quia probare potest mater evidenter per testes juratos & alia testimonia, patrem putativum abfuisse tempore sui conceptus; vel quia evidens est ei, tempore, quo fuit conceptus, matrem suam ab illo suo patre

pu-

putativo non fuisse cognitam; aut alia ratione intus in mente credere convincitur (quod continget, quando mater alias talem filium amanter tractavit, & est moribus integris, & conscientię timoratae, & proprię famę amica, nec mentiri solita, & maxime tempore sacro, puta in communione sancta aut in mortis articulo, crimen suum filio suo spurio revelat): tunc sine dubio tenebitur filius in conscientia hæreditatem dimittere, etiamsi in foro exteriori sibi fuerit adjudicata; quia veritas semper est præferenda præsumptioni; & alias sciens & prudens mala fide possidet alienum invito domino.

SUMMA

CAP. DECIMI OCTAVI
LIBRI SECUNDI.

I.

HActenus egit Author de obligationibus ex Jure Naturę descendentibus: nunc transit ad obligationes, quę derivantur ex Jure Gentium voluntario; inter quas primo loco est Jus Legationum.

II. De talibus autem Legatis imprimis Grotio sermo est, qui mittuntur ab iis, qui summum Imperium tenent.

III. Duo autem sunt, quę circa legatos ad Jus Gentium referri possunt: *Primo* ut ad-

mittantur, *deinde* ne violentur. Omnes admitti Legatos non jubet jus Gentium, sed verat sine causa rejici.

IV. An Legatus ita sit inviolabilis, ut ob nullum delictum puniri possit, ardua quæstio est. Grotius censet, si delictum sit ita comparatum, ut contemni possit, dissimulandum: sin minus, juberi posse, ut è finibus exeat: sin sit atrocius ad publicum malum spectans, v. g. si seditiosa molietur, mittendum esse Legatum ad eum, qui misit, cum postulato, ut eum vel puniat vel dedat.

V. Interim Legationis jure non tenetur is, ad quem Legatus missus non est.

VI. Admissa legatio, etiam apud hostes, præsidium habet Juris Gentium.

VII. Nec in Legato *jus rationis* locum habet.

VIII. Quin & comites & vasa Legatorum sui Generis sanctimoniam & inviolabilitatem habent usque ad bona mobilia.

Observatio. I. ad th. I.

Unde ortum habeat inviolabilitas Legatorum?

Grotius hîc existimat, quod sanctitas & inviolabilitas Legatorum ex Jure Gentium voluntario descendat: *Pufendorfius* eam refert ad Jus Naturæ: *Dn. Obrechtus* in Colleg.

leg. msc. accedit ad sententiam Grotii; quamvis subiciat, quod *naturali rationi conveniens* sit, ut sanctimonia & *inviolabilitas* præstetur Legatis.

Nos existimamus, quod, quia Legatorum missio ideo introducta est, ut magna illa *Societas* in genere humano inter populos dissitos & Regna distincta conservari, aut rupta amicitia iterum redintegrari queat, accurate loquendo Jus Legatorum ad Jus Gentium referri debeat. Hoc enim est principale discrimen inter Jus Naturæ & Gentium, quod primarius illius finis sit conservatio & amor sui, sed ordinatus: Juris verò Gentium est conservatio magnæ illius societatis, quæ est inter Gentes, ad quam utique necessarii sunt Legati; quia nec Reges vel Principes ipsi in Persona cum aliis, nec populus integer cum alio immediatè tractare potest. Unde opus est *personis* talibus *publicis*, quæ negotia ejusmodi gerant.

Observ. II. ad th. 2.

An soli illi mittere queant Legatos, qui Juribus gaudent Majestatis?

Grotius rectè quæstionem affirmat. Nam cum Legati fœderum vel belli vel pacis negotia tractent, quæ propriè Majestatis summæ sunt objectum: mitti non possunt,

ni-

nisi ab iis, qui summa illa majestate gaudent. Hinc Carolus V. Imperator Legatos Ducis Mediolanensis, sibi subjecti & bellum molientis, in carcerem conjecit, teste Bodino de Rep. libr. 1. Ejus vestigia secutus est filius Philippus II. Hispaniarum Rex; nam & is legatos Belgarum in carcerem conjecit.

Sed quæstio ingens & controversa est de Statibus Imperii, an illi Legatos mittere queant? *Obrecht* distinguit inter causas, & ait, si causa tangat totum Imperium, tum ab Imperatore & Imperio mitti posse Legatos, quanquam quoad *formam externam* Legatio ipsa ab Aula Cæsarea instruat. In causa vero ad singulos **STATUS** seorsim spectante, Legatos mitti non posse; cum vera & propriè sic dicta majestate destituantur: quatenus tamen **ANALOGON** aliquid habeant Majestatis, eatenus quoque **ANALOGUM** quoddam jus Legationis habere. Cum *Obrecht*o facit ejus discipulus *Kulpisius*, qui ait, quod *Superioritas territorialis* **ANALOGA** sit summæ potestati.

Nobis hæc distinctio inter Majestatem propriam & Analogam sufficiens non videtur.

Observ. III. ad th. 3.

An admissio Legatorum sit libera?

Hic censemus dicendum esse, quod *regulariter* loquendo admitti debeant, nec rejici queant sine gravi aliqua ratione.

Ratio-

Rationes autem, cur rejici queant, sunt: *Primo* si hostis sit, qui Legatos mittit; per hostem autem in præsentia is intelligitur, qui eo tempore, dum mittit Legatum, hostilia exercet. Sic Senatus Romanus negavit se Carthaginensium Legatum admittere posse, quorum exercitus in Italia hostilia ageret.

Secundo rejici possunt Legati, si sunt Cives originarii illius, ad quem mittuntur. Memorabile exemplum habemus in Wilhelmo Fürstenbergio, quem Cæsar Ao. 1674. pro Legato Gallico admittere noluit, eò quod Cæsari esset subjectus: unde etiam, quia adversa Cæsari consilia agitabat, à Cæsarianis per Marchionem de Grana captus, & in custodiam missus est. Vid. tract. cui titulus: *detentio Principis Fürstenbergii.*

Hinc *tertio* etiam eorum Legati non admitti possunt, de quibus constat, quod hostilia meditentur, quique adeo eam tantum ob causam Legatos mittunt, ut sub specie amicitiae clandestinæ machinationes tegantur. Fecit id nuper pudendo exemplo Moscoviæ Dux, qui Legatum ad Regem Sueciæ eo ipso tempore mittebat, qui amica omnia sponderet, quo bellum contra Suecos parabat. Sed hæc verusutia indigna est Principe.

Quarto obstare etiam potest Legato vilis-
tas vel indignitas Personæ vid. Guil, vand. My-
len. p. 393.

SUM-

SUMMA
CAP. DECIMI NONI
LIBRI SECUNDI.

I.

Obligatio humandi mortuos juxta Gro-
tium etiam ex Jure Gentium est, quam-
vis juxta alios ex Jure Naturæ descendat.

II. De ortu sepulturæ variatradit Author,
non satis consona; si enim obligatio est ex Ju-
re Gentium, quid opus est alium ortum quære-
re minus nobilem.

III. Unde etiam hostibus debetur.

IV. Alia est ratio cum insigniter facinorosis,
quibus pars pœnæ est, ut insepulti jaceant.

V. Sic & illis, qui se ipsos voluntariè in-
terfecerunt, jure negatur sepultura.

Observ. I. ad th. I. Cap. XIX.

*An obligatio ad sepeliendos demor-
tuos sit ex Jure Gentium?*

Grotius hîc affirmativam tenet, atque
in eum finem multa ex Scriptoribus pro-
ducit loca: verum si ea rectè inspiciantur,
declarant quidem, quod consuetudo hæc fue-
rit apud moratiores Gentes, ut corpora de-
functorum terræ mandarent; at non pro-
bant, quod OBLIGATIONEM quandam agnove-
rint. Nam *obligatio* ad aliquid faciendum, plus
impor-

importat quam meram consuetudinem: accedit, quod Romani ex Gentibus moratissimi corpora maluerint cremare, quam terræ committere ad putrefactionem; ac nobilius censuerint, si igne non simplici sed aromatibus fragrante consumerentur, quam in terræ visceribus vermibus in pabulum cederent. Unde etiam Principes eorum non sepulti, sed cremati fuere; ut constat de Julio Cæsare, Augusto, Germanico & aliis, teste Tacito. Quin & hodiè urnæ non paucæ in ruderibus Romanis reperiuntur, in quibus cineres crematorum cernuntur.

Theologi *obligationem* sepeliendi mortuos derivant ex *Jure Divino*, & quidem principaliter ex loco Gen. 3. Ubi DEus Adamo dicit, *pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quæ verba Dn. *Osiander* post alios sic exponit, ut dicat, non tantum esse *prædicentia* sed etiam *præceptiva*, adeoque Juris divini esse, ut corpora demortuorum sepeliantur, & non cremantur.

Verum idem Dn. *Osiander* istum locum in Commentario in Genesin longè aliter explicat, dum de *resurrectione eam accipit*, hoc sensu, *pulvis es, O Adam, & in pulverem reverteris*, hoc est, iterum *corpus* tuum recipies in resurrectione; qui sensus non est *Imperativus*, quid homo facere debeat circa mortuos, sed quid DEus facturus sit.

Unde

Unde satius est dicere, quod *obligatio* sepeliendi mortuos oriatur ex officio *Charitatis* & *miseriçordiæ*, quod sicut ex fonte juris naturæ fluit, ita etiam sepultura illuc referri debet. Neque dicas, hac ratione illos contra Jus Naturæ fecisse, qui corpora olim per ignem consumere; nam etiam per illam cremationem corpora redierunt in pulverem, ex quo fuerunt. Et deinde id præcisè est officium charitatis, si corpora non jaceant in aperto campo in pabulum volucrum immundorum, adeoque in dedecus & ignominiam publicam, quod per cremationem honorificam æque obtineri potest quam per *Sepulturam*. Alias enim Corpora Regum & Principum, quæ non terræ mandantur, sed inter repositoria ex lapidibus constructa ponuntur, ac quæ nulla terra attingit, malè ita & contra officium charitatis tractarentur, quod nemo sanus dicit. Denique superstitiosa est ea sententia, quæ ex sepultura majorem spem concipit resurrectionis, quam ex crematione corporum; FIDES vera longè profundius nititur *Omnipotentia* & promissis Divinis, quam inani isto ratiocinio.

Sane Martyres, qui per vivi-comburia in cineres redacti fuere, non minus certam spem habuere *resurrectionis* corporum suorum, quam alii intra terram sepulti & vermibus objecti.

Observ.

Observ. II. ad th. 4.

*Cur suspensi e patibulo eodem die se-
peliri debuerint, & an hæc Lex
Divina sit perpetua?*

Grotius, ut stabiliret eo magis Jus sepul-
turæ, provocat ad Legem Divinam,
Deut. 21. v. 23. in qua præceptum est, ne
suspensi e patibulo diutius quam per diem in
ligno pendeant, sed sepeliantur.

Sed advertendum est, Legem illam ad fo-
renses pertinere, quæ uti cum Republica He-
bræa expirarunt, ita hodie vim non habent am-
plius obligandi. Nec absona eorum Theo-
logorum observatio est, qui existimant, dispo-
sitionem illam Divinam Typum fuisse ad Chri-
stum, qui sicut pro nobis factus est *ex-crucis*,
pendens e ligno Gal. 3. v. 13, ita etiam non diu-
tius quam usque ad inclinantem diem pe-
pendit in cruce.

Quare sicut aliæ Leges forenses non amplius
ligant Christianos; ita etiam hæc nullam am-
plius vim habet, & tutò licet ab ea recedere,
ita ut facinorosis denegetur sepultura in ex-
emplum videlicet, ut alii à simili facinore de-
terreantur. Nam ut rectè inquit Cicero lib. 1.
*Off. pœnis utimur contra delinquentes, ne post-
hac quicquam committant ipsi; ceteri vero sint
ad delinquendum tardiores.* Neque apud

Ec

Ro-

Romanos infrequens fuit sepulturam denegare iis, qui ob atrocia crimina ad mortem damnati fuerant, in quorum censum violatores & turbatores pacis publicæ, sacrilegij & alii refererentur. Quin & ipsos Imperatores quandoque sepulturâ privabant. Sic de Heliogabalo refert Sextus Aurelius Victor & Lampridius illum in cloacam projectum, & postea in Tyberim tractum fuisse, quod odio omnium communi contigisse testatur Lampridius; siquidem nec sepulchra mereantur, qui amorem Senatus, populi & militum non merentur.

Observ. III. ad th. 4.

An ob negatam sepulturam bellum justè suscipi possit?

Grotius ait, veteres magno consensu existimasse, quod justè bellum suscipi queat ob negatam sepulturam, & provocat ad Thesei historiam & ad locum Isocratis.

Contrarium docet Zieglerus & post eum Guil. van der Myelen. Ziegleri rationes sunt, quia in hoc casu, denegatæ videlicet sepulturæ, nec periclitetur nec lædatur dignitas Imperantis vel Status Reipublicæ; nec violatio Juris Gentium qualiscunque statim jus det ad bellum. Non tamen, inquit, inficior, illum in humanitatem peccare, qui sepulturam negat, præsertim postquam culcris-

sumæ

simæ gentes, Græci maxime, sepulturam inter humanitatis officia habuere.

Verba Guil. vander Myelen sunt his consonantia, dum ait: *quis statuit ob non præstitam humanitatis officium, quod ejusmodi est generis, ut jure perfecto exigere nequeat, aliquem facultatem nancisci vi & armis vindicandi hanc INJURIAM; non potest enim propriè illi illata injuria videri, cujus jus perfectum non laeditur.*

Nobis contra videtur, adeoque sententia Groti non est temerè rejicienda. Nam primò si populus aliquis alium populum indignum haberet, ut ipsi in territorio suo concederet sepulturam; Ex, gr. Si Galli Anglis in suo territorio ad eos infamandos negarent sepulturam: tum summo jure Angli Gallis bellum inferrent ob manifestam injuriam. Neque distinctio inter *Jus perfectum & imperfectum* hîc locum habet; nullum enim *jus perfectius* est, quam quod ex fonte *Juris Naturæ* fluit. *Juris autem Natura exactissima regula est, quod Tibi vis fieri, id alteri quoque feceris.* Sicut ergò Galli volunt honestè sepeliri: ita idem Anglis debent præstare.

SUMMA
CAPITIS VIGESIMI
LIBRI SECUNDI.

Docet Grotius, quæ sit definitio Pœnæ, & quod pertineat ad Justitiam explettricem.

II. Nos constituimus peculiarem speciem, nempe Justitiam vindicativam.

III. Exactio pœnæ jure divino & humano pertinet ad potestatem Legislativam.

IV. Deus etiam *finem* suum habet in pœnis, & quidem sanctiorem quam homines, contra quod sentit Grœtius.

V. Ultio & pœna longè distinguuntur.

VI. Frustra Author querit, quid Lex Evangelica statuatur de pœna & ultione; cum Evangelium annunciet remissionem peccatorum non pœnam.

VII. Leges humanæ, quæ jus dant interficiendi alium, impunitatem habent in foro eterno.

VIII. Actus interni quæ tales non subjacent pœnis humanis; quia sunt incogniti.

IX. Nec actus externi, quos fragilitas humana nequit evitare.

X. An & quousque liceat ignoscere.

XI. Taxatio pœnæ æstimanda ex meriti proportionem, & imprimis ex proposito delinquentis.

XII. Causæ ad delictum impellentes imprimis etiam hic sub considerationem veniunt.

XIII. Item quæ à peccato abstrahere debuissent.

XIV. Item conditio Personæ, ætatis, sexus.

XV. Afferitur, quod meritum pœnæ ad majus extendi possit, quam damnum illatum est.

XVI.

XVI. Facilitas ad peccandum gravius puniri debet, quod etiam Lex divina statuit; ut gravius punitur furtum de pascuo quam de domo.

XVII. Semper tamen proniores esse debemus ad clementiam quam ad pœnam.

XVIII. Bellum propter delicta suscipi posse statuit Grotius: Nos pœnam referimus præcisè ad Superiorem, qui Jurisdictionem habet.

XIX. Justè bellum inferri non potest populo, qui Christianam Religionem amplecti non vult.

XX. Nec etiam illi, qui in Interpretatione Legis Divinæ hallucinatur.

Observatio I. ad thes. I.

Quæ sit Origo pœnæ?

Grotius in hoc puncto, quod magni momenti esse censet, paulò levius procedit; dicit enim, quod NATURA dicitur, pœnam esse licitam; quæ nimis generaliter dicta sunt. Nam vel id intelligitur de Natura sana, qualis fuit in Statu integro, vel de corruptâ. De integra non potest intelligi; quia tum temporis nondum erat peccatum, quod puniri potuit: non de corruptâ; quia illa secundum se spectata mavult delicta manere impunita, utpote in quæ toto pondere inclinât. Deinceps non bene quaritur, an pœna sit licita, quæ potius Dr-

BITA est; cessantibus enim pœnis necessum est genus humanum in omnem barbariem ruere. De origine ergo pœnarum altius res est examinanda: diversæ autem hic sunt Authorum sententiæ.

Franciscus Burmannus inter Theologos Batavos haud postremus in Synopsi Theol. part. I. libr. I. asserit, *originem & fundamentum pœnarum humanarum* propriè esse ex defensione & conservatione sui, tam in statu naturali quam civili. In hoc enim putat stare differentiam justitiæ Divinæ & humanæ, quod *justitia Dei punitiva* ex summo ejus Jure & Imperio ac perpetuo ejus comite, *Sanctitate* videlicet & veritate, descendat, quam proinde definit, quod sit *constans voluntas divina puniendi*: tale autem fundamentum non reperiri in pœnis humanis; *homines enim tantum propter Bonum sui & Reipublice, cui cavere debent, pœnas inferre, vel ad statuendum exemplum, vel ad corrigendos ipsos peccatores, vel ad propulsandam eorum injuriam ab aliis.* Unde pœnas non pro magnitudine malitiæ & vitiositatis, qua in delicto est, sed pro ratione damni, quo istud natura aptum est hominum Societates afficere, intendere vel remittere; sæpe etiam ubi Reipublice satis cautum est, prorsus intermittere solent, quod in Dei judicio nefas foret. Lambertus Velthuisius itidem Batavus in tract. de pœna divina & humana idem penè tradit; ait enim:

Origo

Origo pœnarum est ex defensione sui, tam in Statu naturali quam Civili. Magistratus summus à populo creatus nomine Societatis pœnas infligit, ut Societatem tueatur à periculis; & justitiam facit, cum officio satisfaciens, & juxta equitatem sine acceptione personarum singulorum Civium singula peccata æstimans ex noxa magnitudine, qua Civitatem afficiunt, non ex personarum qualitate, qua ea perpetrant, nec cuiquam ideo gratificans, debita & justa pœna ea peccata ulciscitur: que JUSTITIA pœna non ex magnitudine malitia petitur sed DAMNI.

Verum nobis ex asse ista non satisfaciunt. Quanquam enim inter rationes moventes, ut pœnæ infligantur, etiam sit, ut Societas à periculis defendatur: tamen radix & origo potestatis, quæ infligit pœnas, longè sublimior est, descendens videlicet ab ipso Deo. Sicuti enim potestates summæ vim imperandi acceperunt à Deo, ut leges possint ponere, quæ non tantum exterius obligant, sed etiam ipsam conscientiam ligant vid. Rom. 13. v. 5: ita etiam Jus infligendi pœnas ab ipso Deo originaliter est, teste Paulo loco citato.

Expressit hoc David Paræus, Doctor itidem Reformatus, qui *Magistratum* vocat *Ministrum Dei*, gerentem *Gladium* ad puniendum loco DEI: VICES ergò DEI gerit *Magistratus* in pœnis infligendis. Unde subjungit: *propter duas causas necesse est POTESTATIBUS subjici ma-*

xime. Primo propter iram non tantum hominum, Magistratus, Recloris, Parentum & Praeceptorum, quae sanè cavenda est; sed maxime propter IRAM DEI, cujus IRA magis tremenda est quam Leonis rugitus, quem effugere licet, illam minime. Secundo propter Conscientiam, ut bonam & tranquillam tueamur; nam obedire Magistratui & potestatibus est obedire DEO. Obedientia igitur parit bonam Conscientiã; contra opponere se potestatibus est Deo ejusque ordinationi resistere, est θεομαχίᾱ Gigantum more.

Manet ergò quod Origo pœnarum, sive Jus puniendi, longè altius principium habeat quam *defensionem* sui; multa enim sunt enormia peccata, quæ mortem non simplicem merentur, quæ tamen non important necessitatem se defendendi, uti est v. gr. *Sodomia, bestialitas &c.*

Observ. II. ad th. 2.

Ad quam speciem Justitiæ referenda sit pœnarum irrogatio?

Grotius hoc punctum prolixè tractat, & primo quidem refutat sententiam eorum, qui pœnarum irrogationem ad Justitiã *assignatricem*, quæ alias *distributiva* dicitur, referunt: deinde taxat etiam illos, qui ad *commutativam* ducunt; quia hæc maxime in contractibus locum habeat; cum tamen nocenti
pœna

pœna propriè non debeatur : tertio dicit, in pœnis primò ac per se exerceri *Justitiam expletricem*; quia qui punit, ut rectè puniat, Jus debeat habere ad puniendum: denique aliquid esse in pœnarum irrogatione, quod *contractuum* Naturam sapiat.

Dn. Pufendorfius libr. 8. cap. 3. de Jure Nat. & Gent. p. 1157. pœnas neque objectum *JUSTITIÆ* distributivæ seu assignatricis, neque *expletrici*, nec *commutativa* facit; sed ad tertiam quandam speciem refert, cui quidem specialem titulum non tribuit. Tandem ait: *Ni dicere malis, tam IMPOSITIONEM pœnarum, quam distributionem premiorum, super quibus peculiari pacto in antecessum non fuit conventum, partes esse prudentiæ, qua cum officio regendi alios est conjuncta, adeoque ad justitiam universalem referenda.*

Nos existimamus, magnam illam litem, quæ magis ad speculationes otiosas quam praxin moralem pertinet, optimè componi posse, si dicatur, quod pœnarum *irrogatio* neque ad *justitiam distributivam* proprie, neque ad *commutativam* referri queat; sed quod ad *Justitiam vindicativam* tanquam ad speciem propriam pertineat.

Cernimus hoc evidentissimè in *JUSTITIÆ* omnis sanctissimo fonte, hoc est in *DEO*, in quo non datur *JUSTITIA COMMUTATIVA* respectu Creaturarum suarum, ut Theologi omnes saniores

Et docent: & tamen datur *Justitia vindicativa* in omni rigore. Quod si ergo in Deo species distinctæ sunt *Justitia Commutativa* & *Vindicativa*; nam Deus Pater perfectissimum actum *Justitiæ* exercuit in *Pacto* cum filio suo; pariter perfectissimum actum *Justitiæ vindicativæ* exercuit erga Angelos lapsos: distinctæ hæ sunt species sicut in Deo ita multo magis in homine.

Secundo diversitas essentialis potentiarum, habituum & actuum desumitur ab Objectis. Ubi ergo diversa sunt specie Objecta, ibi diversitas quoque specifica est in potentiis & actibus. Sed inter has tres *justitias*, *distributivam*, *commutativam* & *vindicativam*, sunt diversissima Objecta; nam *Distributiva* versatur circa præmia & onera publica; *Commutativa* autem circa Contractus, quæ sunt Objecta & jura quædam REALIA in rebus ipsis fundata. At verò *justitiæ vindicativæ* objecta sunt MORALIA, MALITIA videlicet & *demeritum* in aliquo actu, vel ejus *omissione*, quæ punitur. Secundo regula, quam sequitur *Justitia Vindicativa*, est iterum aliquid MORALE, videlicet Lex dictitans pœnam; quin & *imputativitas* ipsa, quæ debet intrinsecè esse in actu, qui puniti debet, & est fundamentum pœnæ si non proximum tamen remotum, MORALE quid est.

Tertio in superioribus audivimus, quod DEUS Magistratui politico gladium vindicem in manus dederit ad puniendos malos, & quod VICES DEI in hoc negotio gerat, quin ipsum Deum repræsentet. Quare uti DEI tanquam Causæ principalis justitiam exercentis scopus primarius non est custodia societatis, uti alias in pœnis vult Dn. Guil. vander Myelen: ita nec in Vicario ejus, magistratu politico. Ex Natura itaque justiciæ est, ut puniantur delicta; & delinquens ex dictamine suæ Conscientiæ, quod est DEI TRIBUNAL, novit, quod, qui mala patrant, suam mereantur pœnam.

Interim videantur de hoc puncto litigantes

Pufendorfius loco supr. citato.

Hornejus in Moralibus.

Lugo de Just. & Jure libr. 2. cap. 2.

Ferdinand. Vasquez. Illustr. Controv.
libr. 1. cap. 16.

Lessius de Just. & Jure.

Ludov. Molina de Just. & Jure.

Kulpisius in Colleg. Grot.

Observatio III. ad th. 3.

Quisnam punire alterum possit?

Afferit Grotius, per *Naturam* determinatum non esse, cuinam Jus competat delicta puniendi.

Verum

Verum vel Author per naturam intelligit **NATURAM NATURANTEM**, hoc est, Deum, tum id falsum est; nam Deus in Lege Cordibus nostris inscripta præcepit, ut Parentibus & cum iis omnibus, qui Superiores nostri sunt, obedientiam præstemus; quæ obedientia talem subjectionem indicat, ut etiam pœnas eorum, qui Parentum loco sunt, æquo animo feramus nec repugnemus.

Vel Grotius intelligit *naturam naturatam*, exempli gratia, *Naturam* hominis, prout primitus à Deo producta est, & sic iterum fallitur; nam primus homo fuit Princeps & Caput Generis humani *naturale*, quin & morale; unde jus quoque habuit puniendi descendentes suos ex duplici titulo, tum qua Pater, tum qua Princeps.

Sed inquit *Guil. van der Myelen*, homines in naturali statu & conditione constitutos æquales planè esse, ac proin ex conditione Naturæ neminem in alterum Jus habere puniendi. Verum enim verò hæc hypothesis, quæ etiam Grotii est, ideo vana est, quia in exordio Generis humani, & postmodum in reparatione post diluvium, nulla fuit æqualitas inter homines: sed sicut Adami liberi & nepotes ipsum revereri tenebantur, ut Patrem & Principem, ita etiam filii Noachi. Unde etiam ex illa auctoritate Noah benedictionem dedit filiis morigeris,
Semo

Semo & Japheto; maledictionem verò impio
Chamo & quidem per modum pœnæ.

Observatio. IV, ad th. eandem

*An aque nocens nocentem puni-
re possit?*

NEgat hoc Grotius, sed malè. Nam cum
Jus puniendi competat Superiori qua ta-
li, & qui officium vel Parentis vel Magistratus
gerit: per se sequitur, nocentem etiam
punire posse nocentem. Quo pertinet, quod
Pufendorf libr. 8. cap. 3. notavit inquiring:
*Effatum Grotii, non debere aque nocentem à no-
cente puniri, propriè non pertinet ad eos, queis
potestas publica competit puniendi; sed qui nulla
ex necessitate officii, & ostentando adversus vitia
odio, ad censuram vel accusationem vitiorum
privata Authoritate prorumpunt. Et si in-
decorum, & ad reverentiam Magistratum
legumque minuendam valdè sit efficax; si
exactor justitiæ iisdem maculatus deprehenda-
tur vitis, quæ in aliis vindicatum it; cum
non irasci vitis sed eorundem dulcedinem
aliis videatur invidere, qui in aliis punit, quæ
ipse committit. Et sanè Magistratus nocens,
qui nocentes punit, graviolem aliquando pœ-
nam à Majestate Divina habebit,*

Observ.

Observ. V. ad th. 4.

*An Deus puniens peccata nullum
finem habeat, sed agat ex summi Domini
Jure, aut ex Jure summa Libertatis?*

Affirmativam hujus quæstionis partem tenet Grotius, sed oppidò malè. Nam sicut Deus essentialiter justus est: ita ex vi Justitiæ non potest non peccatum quoque punire; ceditque in Gloriam ejus, qui finis Dei sanctissimus est, si peccata puniat. Hinc dicitur *justus Jehova absolute justitias diligens.* Ps. II. v. 8. Ideo nunquam non rectè facta remuneratus est, & malefacta punivit. Quo enim Jure ipsa præcepta moralia nituntur, eodem etiam sanctio pœnalis nititur; inter peccatum enim & pœnam necessarius est nexus, inquit ipse Haidegger in Med. Theol. Christ.

Eo magis autem miramur Grotium in hanc sententiam incidisse, quæ duriorum est Calvinistarum, hoc est, Supra lapsariorum; cum ipse fuerit in Arminii schola educatus.

Producimus hic inter Supralapsarios omnium subtilissimum Guilielmum *Trissum*; is enim duo hæc paradoxa summis viribus defendere conatur. Primo quod DEO liberum sit punire hominem peccatorem, vel non punire: deinde quod Deus ex Jure Domini supremi Creaturam rationalem æternis cruciati-

ciatibus afficere possit, etiam citra noxam vel peccatum.

Pro primo paradoxo satis profano sequentes rationes in medium adduxit: si, *inquit*, Deus non potest peccatum dimittere impunitum: tum necesse est, ut puniat necessitate absoluta. At hoc dici cum ratione non potest; quicquid enim agit ex absoluta & naturali necessitate, id semper ita agit, & quantum potest, agit. Exempli gratia: Ignis semper urit, simul atque admovetur combustibili, & quantum potest, urit. At Deus non semper punit, neque quantum potest, punit.

Secundò potest Deus mitiorem pœnam inferre, quam peccatum meretur: ergo potest pro absoluta sua potentia pœnam universam suspendere. Nam ponantur, si placet, tres gradus pœnæ promeritæ; huic si possit Deus subtrahere gradum unum, cur non etiam alterum; & si duos possit, cur non simul etiam reliquum tertium.

Tertio si peccatum meretur pœnam necessario infligendam, tum vel finitam vel infinitam merebitur. Si finitam tantum, tum injustus esset Deus, si lapsos Angelos pœna afficeret infinita: Si infinitam pœnam merentur, sequetur Deum non posse Creaturam suam annihilare, sed necesse esse, ut eam superesse faciat ad congruam, quam meretur, pœnam subeundam in infinitum.

Ve

Verum hæ rationes, utut speciosæ, invalidæ tamen sunt, quia ex pharetra rationis contra Verbum Dei adducuntur. Unde ad primam respondetur: aliud esse peccata punire ex *necessitate physica*, qualis est in igne ad urendum, aliud ex *necessitate morali & rationali*. Si Deus juxta primam puniret peccata, tum utique *semper & eodem modo* ageret; sed hoc non valet de *necessitate morali*, quia *exercitium* istius pendet à sapientissima ejus voluntate. Sicut Deus necessariò videt Creaturas actu existentes non necessitate aliqua, quemadmodum ignis urit; quia ad ipsam existentiam creaturarum concurrat Voluntas Dei libera.

Ad secundam dicitur, quod frustra quærat, an Deus mitiorem pœnam inferre peccatis possit, quam merentur; nam in verbo suo, quod ex veracissimo ejus ore prodiit, id revelavit, quod unicuique daturus sit *secundum opera sua*. Rom. 2. v. 6. De facto ergò se declaravit, quod justitiam exerciturus sit strictissimam. Et Gen. 18, v. 25. *An Judex totius terra non exerceret IUS*. Unde sicut pœnarum inflictio non est *actus* potentia Divinæ, sed *actus justitiae*, ita frustra imò stolidè quæritur, quid possit citra *gradus* pœnarum.

Ad tertiam dicitur, quod peccatum mereatur pœnam infinitam seu æternam, id patere ex prima sanctione legali, ubi Deus dicit ad primum nostrum Parentem, *quacumque die*

com-

comederis de arbore vetita morte morieris. Huic comminationi si Adamus regressisset: heus bone Deus, non potes mihi minari mortem æternam, alias me non posses annihilare; vide igitur, quid dixeris *bone Deus* in Lege tua; Tibi ipsi contradicis. Quæso ad tam effrenem propositionem Adami quid non regressisset Deus! Idem Twissus cogitet sibi Deum aliquando dicturum.

Interim hanc unicam Twisso & Grotio opponimus rationem, quanquam plures adduci possent.

Si liberum est Deo peccata punire vel non punire; ita ut nullus finis nullaque ratio ostendi possit, cur Deus puniat peccatum, ut vult Grotius & Twissus; tum etiam nulla ratio dari potest, neque finem ullum habuit, propter quem *dilectissimum & sanctissimum* filium suum crudelissimæ morti & maledictioni subicere voluit. Quis autem hoc sine summa injuria in Deum diceret? Alias Deus summe protestatur, & protestationem Juramento firmat apud Ez. c. 33. se non delectari morte peccatoris, sed velle, ut vivat: at verò ita delectatus fuisset in morte cruentissima innocentissimi Filii; quia sine ratione & sine, ex sola arbitrii libertate, eum hostibus acerbissimis tradidisset.

Quare missa hac periculosa sententia, quæ Deum sine FINE & scopo facit peccata punientem, longè satius & sanctius est dicere: Deum

punire peccata, quia *essentialiter* justus & sanctus est; quæ geminæ proprietates Divinæ, uti sunt *Moralitatis* omnis fontes, ita manifestatio earum specialissime tendit in Gloriam DEI, tanquam in finem nobilissimum.

Adeò ergo falsum est, quod Deus non habeat *finem* in pœnis, & homo habeat, ut potius dicendum sit, solum Deum, tanquam sanctissimum & sapientissimum agens, omnia ex *sine* optimo in Genere NATURÆ & MORUM agere; contra vero hominem plerumq; in actionibus suis *finem* habere *spurium* ac in genere *natura* & *morum* malignum, quod imprimis in materia *pœnarum* frequens est.

Observatio VI. ad eandem thes.

An Deus ex Jure supremi Domini agat, cum peccatores punit?

DUO vitia supra notavimus in Grotio, quando materiam de pœnis Divinis tractat: primum est, cum putat illas ex mero arbitrio & libera Voluntate, sine ullo FINE vel scopo, quem Deus habeat propositum, infligi; quam opinionem, nemini magis quam Socinianis gratam, in antecedentibus rejecimus.

Restat, ut pauca dicamus de altero puncto, videlicet quod pœnæ non procedant ex jure Domini divini.

Patet id iterum ex eo, quia, quoties in verbo Dei de pœnis Divinis sermo est, toties dicitur, quod illas infligat ut justus Judex. Sic Paulus Rom. 3. v. 6. ait: *Num injustus est Deus, qui infert pœnam? absit; alioqui quomodo judicaret Deus mundum.* In his verbis Apostolus adeo pœnas non transcribit *dominio Divino* absoluto, ut potius dicat, si Deus in pœnis infligendis non ageret juxta dictamen Justitiæ, eum ne quidem officio Judicis universalis defungi posse.

Secundo plurima scripturæ loca sunt, in quibus peccata dicuntur Deo abominatio Pl. 5. v. 7. *item Deum odio habere omnes peccatores,* ipsum esse ignem consumentem peccatores, in Zelo exardescere contra eos: quæ omnes emphaticæ locutiones in Sententia Grotii in nihilum abeunt. Sensus enim eorum foret, peccata non In Se ipsi esse abominabilia, sed ex Jure domini, & quia sic libere vult. Odium quoq; illud esset talis affectus, qui in Deo non haberet aliam radicem, nisi quia Deus esset supremus rerum arbiter, non quia *sanctus*, nec quia justus.

Observatio VII. ad th. 10.

An detur Lex Evangelica, quæ circa pœnas aliquid disponat?

Duo iterum sunt hîc observanda, primò an detur Lex Evangelica; secundo an circa pœnas illa aliquid disponat?

Ff 2

Quod

Quod primum spectat, id certum est, quod meliores Grotii interpretes, ut *Zieglerus, Osiander, Obrechtus, Kulpisus*, quin & *Guil. vander Myelen*, qui alias Grotium non facile deserit, uno ore modum illum loquendi, ceu Socinianis faventem, rejiciant.

Interim censemus, ne circa ipsas voces hæreamus, bene advertendum esse, quod *Evangelium* variis modis sumatur. Nam vel sumitur *strictè pro lata annunciatione beneficiorum, quæ per meritum Christi nobis parta sunt, uti sunt remissio peccatorum, justificatio per fidem, promissio vitæ æternæ*: vel secundo accipitur *late pro varia dispensatione fœderis Gratia in Testamento Veteri & Novo*. Nam id certum est, quod licet *Evangelium*, ceu medulla fœderis Gratia, in Veteri quoque Testamento locum habuerit, aliàs nemo salvatus fuisset: tamen ejus *Oeconomia* longè fuerit durior, & *Lex* majore rigore exacta quam in Novo Testamento.

Proinde si *Evangelium* in stricto & rigoroso sensu accipiatur, utique *Lex Evangelica* locum habere non potest; cum, uti dictum, *Evangelium* sit lætum nuncium, non præscribens *quid sit faciendum*, sed *quid sit credendum*, & quomodo beneficia per Christum nobis parta per *FIDEM* sint applicanda. Quare planè nullam de pœnis mentionem facit, nisi quod *Christus pro peccatis nostris pœnas sustinuerit in*

ara crucis, & Patri suo cœlesti satisfecerit.

Quod si vero *Evangelium* sumatur pro *OECONOMIA Gratiæ fœderalis* in novo Testamento: tum eo sensu Lex potest admitti Evangelica; quia *Christus, Evangelii Fons, Sator & Scator*, Legem de Amore proximi novo EXEMPLO novoque MOTIVO, ex *Evangelio VIVO & INCARNATO* desumpto, firmavit, videlicet EXEMPLO Amoris sui. Unde Joh. 13. v. 34. ait: *Novam vobis Legem do, ut vos invicem ametis; in hoc enim monstrabitur, quod discipuli mei sitis, si vos invicem amatis.*

Lex de Amore Dei utique primo statim homini data & repetita est in Decalogo; sed fortior & nova accessit obligatio in novo Testamento, prout *Patres* primitivæ Ecclesiæ id pulchrè exponunt.

Cyrellus Alexandrinus libr. 9. c. 23. in hunc locum ait: *Vides NOVUM atque inauditum dilectionis MODUM; Lex enim fratrem diligendum præcipit sicut seipsum, Christus autem magis nos quam seipsum amavit; non factus fuisset pauper, NISI NOS MAGIS quam seipsum amasset.*

Paria habet Ildorus Pelusiota, qui libr. 3. Epist. 410. postquam Johannis textum posuit, sic loquitur: *Diligere quidem in V. Testamento præscriptum est: hoc vero, diligite sicut dilexi vos, Christus adjecit, eoque nomine mandatum NOVUM appellavit. Aliud enim est,*

diligere proximum sicut seipsum; *aliud est*, sua negligere, ut proximi commodis consulamus.

Nicolaus de Lyra dicit, *mandatum Charitatis dici novum*, ob differentiam *novi & veteris* Testamenti. Nam vetus Testamentum fuit *timoris & servorum*, at Lex Gratiae est lex AMORIS. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, Joh. 3. Deinde Vetus Testamentum in servitutem generat. Gal. 4. v. 24. Testamentum vero *novum* in filios. Quae Lyra sententia *aliquid* dicit, totum vero non exhaurit.

Rectius Chrysostomus: *Non dixit Christus, non oderis fratrem*, ut dicitur Lev. 19. v. 17; sed majus quid ponit, *diligite*, inquit, inimicos: non ait, nolite nocere; sed quod plus est, iussit *benefacere*: Non dicit, *nolite maledicere*; sed quid excellentius praecipit, intercedite pro ipsis apud Deum & *benedicite*, quin si necesse fuerit, propriam vitam pro eorum salute date.

Dicitur ergo *Amor proximi* à Christo novum praecipit, primo, ratione Exempli excellentissimi; dum ipse Filius Dei pro inimicis patiendo & moriendo se dedit in exemplum antea nunquam auditum; tum ratione *Obligationis*, qui vult esse discipulus Christi, obligatur ad calcanda ejus vestigia AMORIS nova & inaudita antè: denique, ut observat *Leontius*, *Novus* simul *Spiritus*, videlicet ille Pentecostalis, novo modo hunc Amoris ignem in cordibus fidelium accendit. Quomodo FIDES possit dici Lex Evangelica, supra notavimus.

Observatio VIII. ad th. 4.

*Quomodo explicandus sit locus Pro-
verb. 16. 4: res singulas Deus facit
propter ipsas, etiam impium ad
diem malum?*

Grotius geminam habet interpretationem, prima est ex mente Hebræorum, quod Deus nullum sibi finem proponat in actionibus suis, sed quod nitantur omnes jure summi Domini: altera explicatio est, quod Deus etiam tum, cum punit impium, non alium finem habeat, quam ut puniat.

Has duas responsiones jam in antecedentibus elisimus, veram autem expositionem subjungemus.

Primo autem notamus, quod in Hebræo textu non legatur: *Deus res singulas facit propter ipsas*; sed hoc habetur: *Univerſa operatus est dominus PROPTER SEIPSUM, impium quoque ad diem malum.* Ubi rectè Lucas Osiander κατὰ πρόδα rem explicat: *Deus omnia creavit ad nominis sui Gloriam, ut inde eluceant ejus sapientia, potentia, bonitas &c. Quin & impiorum Creator est, etiam si prævidit, quod impii & impoenitentes sint futuri. Sed non creat ipsorum impietatem, eam enim hæreditariò ex utero materno in mundum afferunt: Corpus autem & animam ipsorum creat, ut aliquando in*

*illis severe puniendis suam justitiam & justum
judicium declaret, sicut contra in salvandis piis
suam clementiam & misericordiam ostendit.*

Consonat huic interpretationi *Tirinus*, qui ex *Augustino* sequentem interpretationem habet:
UNIVERSA PROPTER SEIPSUM, seu ad gloriam
suam in iis manifestandam, OPERATUS EST,
creavit & condidit DOMINUS, etiam IMPIUM non
formaliter sed materialiter, id est, hominem
illum, quem previdit futurum sua malitia im-
pium. Nam hunc quoque creavit absolute ad
gloriam suam, in eo & per eum declarandam.
Et vellet quidem, quantum EX SE est, hanc in eo
gloriam declarari per excellentem Gratiam, qua
(si non peccando sequi velit) adduceretur ad bo-
num diem, ad fruitionem beate aeternitatis: sed
cum nolit sic sequi, deducit nihilominus illum ad
declarandam in eo Gloriam suam, sed per aliam
viam, nempe per justam punitionem rapiendo il-
lum AD DIEM MALUM seu ad supplicium aeternum,
quod SECUNDARIO tantum, & ex HYPOTHESI
intenditur à Deo. Itaque velint nolint impii,
etiam Gloria Dei in ipsis, dum scelorum suorum
dant poenas, aeternum declarabitur.

Adeò ergo ex *Salomone* non probat *Grotius*,
quod Deus in poenis infligendis nullum respi-
ciat finem, ut potius contrarium exinde pro-
betur. Nam si est Creator rerum omnium;
si in ipsa Creatione sanctissimum habuit finem,
nempe demonstrationem *Potentia & Sipientia,*

ut

ut Cæli dicantur enarrare Gloriam Dei: quis sine scelere dicet, quod Deus in Providentia & Gubernatione Creaturarum suarum finem nullum habeat?

Imo, Providentia & Gubernatio Dei stare non potest, si statuatur, quod Deus in pœnis infligendis nihil respiciat; ut rectè Chrysologus dixerit: *Perinde est pœnam ac vindictam secerum non esse, ac Deum non esse.*

Observ. IX. ad eandem th.

An verum sit, quod in hoc sit discrimen inter pœnas divinas & humanas, quod homo aliquid sibi in pœnis habeat propositum, Deus verò non item?

Quamquam ex dictis hætenus satis possit intelligi, quam falsa sit assertio Grotii: tamen ut liquidius de falsitate constet, advertendum est; pœnas ex sententia Grotii in foro humano infligi vel in *utilitatem* ejus, qui peccavit, aut ejus cujus intererat non peccatum esse, aut indistinctè quorumlibet. Addunt alii, Reipublicæ interesse, ne delicta maneant impunita. Quo pertinet illud Ciceronis libr. 3. *de Natura Deorum: nec Domus nec Respublica stare potest, si in ea nec recte factis premia extent ulla, nec supplicia peccatis.*

Hi sanè *finis* omnes longè excellentius & sublimius cernuntur in pœnis Divinis. Sumamus

exempla ex Scriptura Sacra, quæ fallere non potest: David Rex illuminatissimus agnoscit, quod summam habuerit utilitatem in anima ex castigatione Divina: *Bonum est, inquit, quod Tu, o Deus meus, me humiliasti, ut discam justitiam tuam.* Pl. 119. v. 71. Egregius sanè fructus ex radice amara pœnæ divinæ *humilitas cordis!* Quam utile fuit Manassi Regi, quod Deus ipsum in manus Nebucadnezaris tradidit, qui ipsum in vincula coniecit; tantam enim & tam salutarem pœnitentiam, quid aliud operatum fuit, quam acerba satis castigatio divina.

Quod verò Deum ipsum spectat, sanè non est absolum asserere, quod Deus suum ex pœnis fructum ac finem capiat, & quod totius Universitatis à Deo creatæ intersit, ne delicta maneant impunita.

Duo enim mala peccato perpetrantur, alterum injuria Dei, dum peccator ipsum contemnit, & se illi quodam modo præfert, sibi plus sumens, & Deo detrahens; alterum perturbatio recti ordinis, dum se divinæ subjectioni subtrahit, & publicæ rectitudinis statum pervertit. Maximum malum est contemptus & injuria in Deum, quo nullum majus animo concipi potest: ingens quoque malum est recti ordinis perturbatio in suprema natura creata, nimirum rationali. Sicut si elementa mutatis suis sedibus permiscerentur, vel

vel se supra cœlos efferrent, ingens esset per-
 turbatio & grande malum mundi: ita longe ma-
 jor est & horribilior perturbatio, cum natura
 rationalis, quæ præstantissima est, (ob quam
 totus iste mundus est conditus, ut ejus serviat
 obsequiis) se sui Conditoris subducit guberna-
 tionis, suo arbitrio vivere volens, se illi oppo-
 nens & quodam modo præponens. Utrumque
 malum emendatur per justitiam vindicatricem.
 Dum enim peccatori debita pœna infligitur,
 injuria Deo irrogata quodammodo compensa-
 tur. Nam qui contra Voluntatem suam aliquid
 ab altero est passus, satisfactionem quandam
 accipit, dum videt illum vicissim contra suam
 voluntatem pati; & qui ab altero contemptus
 est, illius pœna & depressione honoratur.
 Præterea, dum pœna infligitur, violatus ordo
 instauratur. Nam qui se divinæ gubernatio-
 ni subtraxerat, suo arbitrio agere volens, ite-
 rum eidem subicitur, dum pati cogitur arbi-
 trio Dei. Sicut igitur inordinatio illa, quam
 peccatum inducit partim contra Deum, par-
 tim contra rectam partium universi dispositio-
 nem, est maximum malum & maxima in
 mundo deformitas: ita justa vindicta, qua
 utraque inordinatio quodammodo tollitur
 vel emendatur, est maximum quoddam bonum
 & summa pulchritudo in universi istius amplissi-
 ma Republica. Quid enim pulchrius & re-
 ctissimo ordini justitiæ congruentius, quam

ut

ut, qui Deo injuriam agendo irrogavit, is pati-
 tiendo (cum aliter non possit) ei satisfaciat;
 & qui se contra Deum extulit, à Deo infra se
 deprimatur; & qui voluntati & affectui ni-
 mium indulsit, ea, quæ voluntati & affectui
 sunt adversa, sustinere cogatur; & qui subduxit
 se gubernationi misericordiæ, incidat in severi-
 tatem justitiæ? Accedit, cum omnis inordina-
 tio, quæ est in elementis & universa natura
 corporea, orta sit ex peccato, (si enim pec-
 catum non fuisset, singulari providentia tota
 natura rerum fuisset cohibita, ne homini esset
 noxia aut molesta): correctâ inordinatione
 peccati per justam vindictam, omnem quoque
 perturbationem, quæ occasione peccati in re-
 liquis erat, sublatum iri, eaque omnia suum
 congruentissimum ordinem & statum conse-
 cutura.

Observ. X. ad Th. II.

*Qua ratione verum sit, quod in
 novo fœdere major sit Dei lenitas & mi-
 sericordia, quam in veteri?*

Grotius circa hoc punctum à recta verita-
 tis via aberrat, Censet enim misericor-
 diam in novo fœdere esse majorem quam in ve-
 teri; quia illa præcipuè spectarit peccata, con-
 tra primævam Legem aut etiam contra Legem
 Moïsi commissa ante acceptam Evangelii no-
 titiam

titiā; & provocat ad locum Act. 13. v. 38. qui ut rectè intelligatur, est enim res non levis momenti, sciendum, quod Paulus in illo capite usque ad v. 38. docuerit, *Jesum esse promissum* in V. Test. Messiam; nunc etiam monstrat, quæ beneficia per hunc Messiam consequantur ejus Auditores, si in ipsum credant, unde ait: *Notum sit vobis viri fratres, quod per hunc remissio peccatorum annuncietur ab omnibus peccatis, à quibus non potuistis per Legem Moysis justificari.*

Totus ergò hîc locus agit de eo, quod *Justificatio* nostra non sit quærenda in Lege Moysis nec in veteri nec in novo fœdere, sed in *fide in Messiam*. Quo pertinet quoque cardinalis illa definitio Act. 15. v. 10. 11. Quoad articulum ergò de *Justificatione* non est diversitas in veteri & novo fœdere, nec major in hoc lenitas, sed utrobique unus idemque *modus* est; prout constat ex Rom. 4. ubi Abrahami & Davidis, quorum ille ante Legem Moysis, hîc post eam vixit, exempla *Justificationis* eadem sistuntur, nempe per *FIDEM* in Messiam venturum non per *OPERA* Legis.

Itaque in *Justificatione* non est quærenda major *lenitas*; sed in ipsa *OECONOMIA* fœderis *Gratiæ*, quæ duplex est in Vet. & Novo Testamento.

Nam *primo* in V. Test. *populus* Israeliticus adhuc erat sub *Oeconomia* Legali; tum propter

pter conditionem populi adhuc *minorennis*, & sub Lege tanquam sub tutore & tristi pædago-
go constituti; tum propter dilationem adven-
tus Christi & satisfactionis per ipsum præ-
standæ: at in novo Testamento fideles jam
sunt emancipati, & à ferula Pædagogicæ Legis
liberi Gal. 4. v. 1.

Hinc *secundo* conditio patrum V. Test. fuit
servilis Lege semper circumsonante aures eo-
rum. Quæ servitus augebatur per σοιχῆια τῶ
κόσμου *elementa* mundi, id est, *Ceremonias*, ita
dictas propter earum *ruditatem* & *imperfe-
ctionem*, sub quibus detinebantur, & quæ
propter immensam illam rituum multitudinem,
quibus defungi debebant, cum severa inter-
minatione suos cultores gravabant, quo re-
spectu vocantur Gal. 5. v. 1. *Jugum servitutis*,
& onus ἀβάρατον, insupportabile Act. 15.
v. 10.

Hanc *servitatem* comitabatur *Spiritus servi-
tutis* Oeconomix servili-attemperatus Rom. 8:
v. 15. Qui *timorem servilem* Dei judicis &
metum pœnæ, atque ex eo continuam quasi an-
xietatem & sollicitudinem communiter magis
operabatur per Legem, quam alacritatem, per
doctrinam Evangelii *parcius* & *obscurius* præ-
dicatam.

Contra in N. Testamento spirat SPIRITUS
LIBERTATIS per Christum partæ. Si enim vos
FILIIUS liberat, vere estis liberi, ait Salvator Joh. 8.
v. 36. & Paulus ait: ubi est Spiritus domini, ibi

plena est libertas 2. Cor. 3. v. 17. Hic spiritus Libertatis dicitur Spiritus FILIATIONIS & adoptionis.

Observ. XI. ad th. 12.

An liceat Capitalia supplicia mutare in damnationem ad opus publicum?

GRORIUS hîc à quibusdam reprehenditur, quod Socinianis accedat, dum consilium *Rectoribus* dat, ut ad exemplum Regis Ægyptiaci laudatissimi Sabaconis capitales pœnas nonnunquam in damnationem ad opus publicum mutant.

Nobis certè in plerisque illis delictis, quibus in Jure Divino capitalis pœna non est definita, consilium Grotii quam maximè probatur. Exempli gratia, furta reiterata plerumque suspendio puniri solent; quæ pœna non saltem non correspondet pœnæ à Deo dictaræ; sed & proportionem non habet cum delicto. Nam *vita & bona fortuna* multum inter se distant; neque ex scripturis probari potest, quod Deus homini potestatem dederit, tam enormem pœnam statuere contra furem, maximè si saltem exiguam aliquam portionem opum nostrarum abstulit. Sic & illa pœna limites justitiæ longè excedit, si propter cervum vel aprum in sylva occisum aliquis vita privatur. In his & similibus casibus longe me-

ius

lius facit Judex humanus, si delinquentes loco pœnæ capitalis ad opus publicum damnet, ubi inter compedes & alia vincula, item inter egestatem satis delicta sua luere possunt. Nec statim Socinianis adhinnit vel favet, qui non facile ad capitalia supplicia procedit, sed sanguini & vitæ humanæ, quantum Jura Divina concedunt, parcit.

Observ. XII. ad th. 28. & seqq.

Unde desumenda sit pœnarum destinatio & taxa?

Hoc punctum Grotius non malè expendit; Nos saltem, quæ tenebricosa sunt, illustrabimus.

Advertendum ergò primò, æstimationem illam vel sumi posse à *subjecto* peccante, vel ab *Objecto* peccati, vel ab *actibus*, in quantum vel consummati sunt, vel in conatu actu stant.

Quod *subjectum* spectat, in eo primo loco spectanda est *Intentio*, sive propositum, quod delinquens habuit. Etenim cum nemo *gratis* malus sit, ut recte Grotius advertit, ideo quivis proæreticè peccans habet aliquod propositum in sua actione. Qui itaque cum pleno proposito peccatum committit, ille gravius longè peccat, quam qui affectibus abreptus in peccatum ruit. Sic gravius longè fuit adulterium Davidis, dum non tantum copiam ha-

habuit fœminarum, & tamen alienum thorum invasit ac fœdavit; sed & quia spatium longum habuit deliberandi & peccati turpitudinem agnoscendi. Vidit enim Bathsebam sese in hortu lavantem, misit ad eam, locutus est cum ea in aula; illa procul dubio non statim consentit in tam turpe factum, quæ mora temperare ejus effrenem cupidinem omnino potuisset; quin & Conscientia procul omni dubio sceleris magnitudinem ob oculos posuit. Dum itaque his non obstantibus adulterium commisit, gravissimi sceleris se reum fecit, quia proæreticum fuit. Cicero id advertit, dum off. l. 1. ait: *Leviora sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata & preparata inferuntur.*

Sic qui ex iræ subitaneo impetu aliquem occidit, quem non occideret, si pacatam mentem habuisset, non tam graviter peccat, quam qui destinato consilio & proposito & ex intentione plena exivit, ut alterum interficeret.

Unde porro leviora peccata sunt, quæ vel ex errore vel ignorantia, quamvis culposa, proveniunt, quam quæ ex plena scientia. Ita in morte Christi gravius peccarunt summi Pontifices & Sacerdotes, quam Pilatus ejusque milites. Illi enim contra dictamen conscientiæ, & ex mera invidia Christum crucifixerunt: isti vero ex ignorantia & errore, quanquam satis culpato.

Sic qui ad avertendum aliquod grave malum, exempli gratia carceris, magni doloris, egestatis extremæ peccat &c. ; ut cum furtum committitur ad sedandam extremam famem; vel cum quis perjurium committit ad evitandam mortem, quam latro intentat: is in talibus casibus excusatus, maximè in foro humano, peccat.

Sic & qualitas Personæ delinquentis proæresin & peccatum auget. Gravius enim est peccatum in Persona Ecclesiastica, utpote quæ alios à peccatis abstertere deberet, quam in homine Politico. Ita Tacitus refert Ann. libr. 3. *Capitonem infamia notatum fuisse, quod humani divinique juris sciens, publicum & bonas artes domi debonestavisset.* Sic gravius afficit ab amico, quam ab hoste, illata injuria.

Denique & modus atque instrumenta facinoris patrati ad idem vel aggravandum aut minuendum ideo facit; quia ex illis proæresios firmitas aut remissio sæpe colligitur. Hinc gravius judicatur furtum cum effractione, parietum perfossione, aut ubi per instrumenta artificiosa claustra referantur, quam si quis per apertas ædes intravit, & furtum in re obvia fecit.

Ratione *Objecti* in peccato certum est, quod, quo sanctius illud est, eo quoque gravius sit peccatum. Sic peccata contra Deum, quæ in prima Decalogi tabula prohibentur, nemo est,

qui

qui non videat, quod sint atrociora, quam quæ sunt contra secundam, ubi pro Objecto est *proximus* noster.

Proximum post Deum gradum obtinent, quæ universam societatem humanam tangunt, eamque violant, societas enim hæc universalis, quo amplior est, eo quoque gravius est peccatum, quod contra eam committitur.

In tertia classe stant ea peccata, quæ Reipublicæ alicujus ordinem perturbant, quale scelus est seditiosorum, ut in Republ. Romana Catilina.

In quarta Classe sunt ea delicta, quæ familias privatorum, quarum fundamentum est matrimonium, turbant vel fœdant. Huc quoque pertinent ea, quæ aut perdunt aut everunt res alias expetibiles, vitæ necessitatibus aut commoditatibus inservientes, idque vel directè vel indirectè, dolo malo causam dando.

Denique quæ civilem existimationem lædunt.

Ratione Actuum spectandum est, an peccatum sit planè consummatum, vel an adhuc in primis quasi viis, vel in conatu stet. Quæ observatio maximè in *foro humano*, quod *externum* est, locum habet: sic cædes actualis & furtum consummatum longè majorem habent pœnam, quam si res adhuc sit in conatu. Quin si quis cædem alterius sclopeto meditetur, & aberrerit, quamvis destinatum habue-

rit animum ad occidendum: tamen pœna ordinaria homicidii plerunque non adjudicatur. Sicut in furto, si quis in conatu furandi deprehensus rem nondum actu abstulit, talis pœna non decernitur, uti si rem Actus abstulisset.

Hæc inquam in foro humano sed non divino procedunt, & sic limitanda est propositio Grotii, cum ait: *Primum locum obtinent delicta consummata, postremum, qua ad actus aliquos, sed non ad ultimum, processerunt; in quibus tanto quidque est gravius, quo ulterius processit.* Hæc ut dictum in foro humano.

Quamquam etiam id certum sit, quod, qui delicta rectius in suo fonte ponderant, non minus capitales pœnas decernant conantibus & intendentibus scelus aliquod, quam qui commiserunt. Senecæ Romanorum sapientissimi & æquissimi vox est libr. 4. de Benef. cap. 8. *Latro est etiam ante, quam manus sanguine inquinet; quia ad occidendum jam armatus est, atque habet spoliandi & interficiendi voluntatem.* Idem dicit Philo de Confus. linguar: *Quantvis aliquis, conatus per insidias alterum interficere, frustratus est: nihilominus homicidii reus est, sicut decernit super hoc casu scripta Lex: Si quis, inquit, conatus fuerit proximum suum dolo perdere, & ad altare confugit: abstractum officies supplicio.* Et sic judicatur in foro divi-

no, quod sanctissimum & justissimum esse constat.

Sic juxta infallibilem sententiam Christi, qui saltem mulierem aspicit *oculis concupiscentia*, *is jam adulterium commisit*. Id quod apud Deum in actibus quoque bonis & piis advertitur; nam de Abrahamo dicit Spiritus S., quod *sacrificaverit filium*, id quod ipsi imputatum est tanquam actus SUMMÆ FIDEI & Obedientiæ, quanquam saltem in animo ac proposito habuerit illud Sacrificium. Hebr. II. v. 17.

Quarto ad taxationem pœnæ pertinet quoque consideratio Personæ, quæ deliquit; quippe alii sunt acriori intellectu præditi ad perspicendam malitiam & deformitatem in actu, alii sunt hebetiores. Qui rationes, propter quas à peccato abstinere deberent, clarius vident, majorem merentur pœnam; quia major est consensus in malum, & major petulantia. Sic immatura adhuc ætas in pueris & fœminis faciliorem habet indulgentiam, quam adulta, & quæ annos maturos attigit. Unde justo severiores habiti fuere Areopagitæ, qui *damnaverunt puerum coturnicum, oculos effodientem, quod id signum esset crudelissima mentis*, multisque perniciosum foret, si adolevisset. Sic de Sylla legitur, quod Julii Cæsaris, adhuc juvenis, faciem contuitus, ipsum voluerit interficere; causatus, quod multi *Marii* in ipso sint.

Gg 3

Observ.

Observ. XIII. ad th. 22. & 24.

Quid sit Lex pœnalis?

Mentionem Grotius quoque facit Legis pœnalis, de qua varii variè. Illud in universum ex communi Doctorum consensu tanquam certum supponendum est, Leges humanas, quantum ad præsens institutum attinet, in duplici esse differentia: quædam enim sunt *purè præceptivæ*, quæ scilicet aliquid faciendum aut non faciendum jubent aut prohibent; quædam verò sunt *pœnales*, quibus infligenda pœna transgressoribus statuitur. Differt autem Lex pœnalis à *præceptiva*, quod præceptiva proprie illa est, quæ aliquid præcipit aut prohibet, nulla apposita pœna; pœnalis autem est, quæ apponit pœnam. Unde Lex pœnalis definitur, quod sit tale *præceptum*, quod statuit pœnam alicui infligi propter culpam commissam, ex Alphonso de Castro lib. de potest. leg. pœnalis c. 3. ante finem.

Atqui in pœnis statuendis variæ formæ & modi reperiuntur. Nam aliquando Lex statuit pœnam, non tamen exprimit speciem pœnæ, & tunc eo ipso lex reliquisse videtur pœnam arbitrio judicis, quæ ille, quem lex punire voluit, sit puniendus. Aliquando Lex pœnam aliquam *expressam* & taxatam, sed à judice infligendam statuit: sicut si lex hoc modo dicat,

car,

cat, qui hoc aut illud fecerit, relegetur, aut mulctetur pœna decem aureorum, aut officio vel beneficio priveretur. Quo sensu Theologi, Canonistæ, & Jurisconsulti communiter dicunt, tales leges continere *sententiam ferendam* seu comminatoriam, non autem *sententiam latam*. Aliquando autem Lex statuit *pœnam expressam* & taxatam, quam non committit judici, ut ab eo imponatur, sed ipsamet Lex committit reo, ut ille in seipso pœnam exequatur: ut sunt leges illæ tam in jure Canonico quam Civili contentæ, quæ condemnant reum ad exilium, aut ad alicujus pecuniæ solutionem; quas sanè pœnas, postquam ad illas damnatus est, tenetur reus in se ipso exequi, nec expectare debet, ut ab alio sibi infligantur, sed satis est illi, ut ad illas à judice juxta legem condemnatus sit. Aliquando etiam lex statuit & exprimit pœnam taxatam, nec committit judici aut reo, ut illam exequatur, sed ipsamet lex talem pœnam exequitur in reo: tales sunt multæ Leges in utroque jure, quæ videlicet *sententiam latam* continent, his aut aliis similibus verbis utentes: *Qui hoc aut illud fecerit*, sit ipso jure excommunicatus, aut sit privatus beneficio, aut possessione bonorum suorum. Et ne leges humanæ passim ac facile violarentur, neve Respublica ex *legum istarum transgressione*, pro cujus recta gubernatione leges instituuntur, periret, aut hu-

humana societas turbaretur, justum & expediens omnino fuit, legum humanarum transgressoribus pœnam statuere; ut quos virtutis amor ad illarum observationem non allicit, aut futuræ pœnæ metus non impellit, præsentis saltem pœnæ timor ab illarum transgressione deterreat, juxta illud; Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Quam rem non malè docet & confirmat Aristoteles lib. 10, Ethic, c. 9. sic inquit: Multitudo necessitati potius quam rationi, & pœnæ quam honestati parer, Idcirco sunt, qui legumlatores oportere censent ad virtutem invitare ac provocare honestatis gratia, propterea quod ii, qui prohibent, ob consuetudinem præcipue obtemperabunt; adversus autem inobedientes, hebetiores ingenio, castigationes pœnasque instituere; at eos, qui curari atque emendari nequeunt, extrudere atque exterminare, Probum enim hominem & ad honestatem viventem rationi obtemperaturum esse inquit; improbum vero, voluptatem affectantem, dolore afficiendum esse perinde atque jumentum. Hactenus Aristoteles qui ex sui ipsius & aliorum Philosophorum judicio & opinione ostendit, necessarium esse legibus pœnas apponere, ut sic improbi saltem timore pœnarum ad legum observationem cogantur. Idemque colligitur ex Concilio Lugdunensi, ut habetur in cap. Exigit, de Censib. in 6, ubi dicitur:

Exigit

Exigit peruersorum audacia, ut non solum sola delictorum prohibitione contenti, sed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Hinc factum est, ut in veteri Testamento populo illi dura cervicis leges multæ pœnales à Deo data sint, ita quidem exigente populi duritie, ut sic tandem metu pœnarum legibus obtemperare disceret.

In lege autem pœnali constituenda summo studio cavere debet Legislator, ne pœnæ atrocitas delicti gravitatem excedat, prout rectè Juris Consultus *in leg. respiciendum, ff. de pœnis*, admonet his verbis: *Respiciendum est, inquit, judicanti, ne quid aut clarius aut remissius constituatur, quam causa deposcat; nec enim severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent: in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Hæc ille, quæ non sunt dissimulanda, quæ tradit Grotius.*

Ubi porro Author rectè asserit, quod Legislator seu Princeps possit tollere Legem talem, sed quod non debeat, sine probabili Causa; quia alias peccaret contra regulas Justitiæ Gubernatricis, quin & contra propriam authoritatem; nam in *labem* inconstantia incurrit Legislator, qui Leges suas sæpè rescindit,

Observ. XIV. ad **tit.** 45.

In quibus punctis consistat vera Religio?

Grotius miram hîc habet sententiam, nempe quod VERA Religio consistat in his quatuor pronuntiatis:

1. Deum esse, & esse unum.
2. Deum nihil esse eorum, quæ videntur.
3. A DEO curari res humanas, & æquissimis arbitriis dijudicari.
4. Eundem Deum Opificem esse rerum omnium.

Verum si Grotius per *veram* Religionem intelligit eam, quæ Deo placet, deinde per quam verè colitur, & tertio per quam homo pertinere potest ad vitam æternam: tum respondeamus, ex tribus tantum his punctis constantem religionem Grotii esse falsam, uti mox videbim9.

Herbert de Cherbury, Anglus, subtilius ad hæc procedit: is autem quinque articulos in Religione sua ponit, quam dicit esse universalem.

Primus articulus est, *esse supremum aliquod Numen.*

2. Numen illud coli debere.
3. Præcipuam partem cultus divini consistere in Fide & Amore erga Deum.
4. Resipiscendum esse à peccatis.

5. Præ-

5. Præmium vel pœnam esse post hanc vi-
ram.

Verum sicut nec Grotii quatuor Articuli, ita nec Herberti, quamvis hi speciosiores sint, veram Religionem faciunt. Et ut in Herberti articulis maneamus, licet primus, sicut & Grotii, agnoscat supremum aliquod Numen: tamen hæc cognitio non sufficit, sed essentialiter requiritur, ut sciatur, quomodo sit Unus ratione Essentiæ, & quomodo sit Trinus ratione Personæ. Vid. Joh. 17.

Observ. XV. ad th. 51.

Quid tenendum de sententia Grotii ratione Belli pœnalis?

Grotius in hac materia diffusus est: sed rectè advertit Obrechtus, quod quandoque nimis faveat ambitioni Principum; saniora enim principia alibi tradit, ut infra patebit. Id certum est, quod Bella sæpe à Principibus suscipiantur sub titulo, quod sint pœnalia: ut ut re ipsa sint ex ambitione suscepta. Sic in Bello Gallico contra Hollandos Ao. 1672. Galli quidem publicis scriptis testati sunt, se velle Hollandos ob ambitionem nimiam punire: sed eventus postea docuit, & ostendit Celebr. Puffendorf in Histor. Brandenburgica luculenter, quod Galliarum Rex Hollandos sibi ex ambitione subicere, & exinde fundamentum ad Monar-

narchiam Europæ quærere voluerit. Unde potius nova exurgit quæstio, an ambitiosum possit punire is, qui longe est ambitiosior?

SUMMA
CAP. VIGESIMI PRIMI
LIBRI SECUNDI.

I.

Pœna transit quoque in eos, qui de delicto participes sunt: ut sunt ii, qui *jubent*, consilium dant, consentiunt, receptum præstant, non vetant &c.

II. Transit quoque in Reges, Principes, aut Reipublicæ Rectores; si adsit scientia delicti, & non prohibent.

III. Item si recipiantur in protectionem, qui alibi deliquerunt.

IV. Tradendus ergo delinquens, aut puniendus.

V. Asyla jure Gentium non dantur nocentibus, sed infortunatis.

VI. Cognitio causæ in talibus facienda est aut ex Jure Naturæ, aut Gentium, aut ex Jure Civili populi illius, unde veniunt tales supplices.

VII. Delictum à summa potestate transit etiam in subditos, si consentiant in factum.

VIII. Jus pœnæ in populum seu Communitatem tamdiu durat, quamdiu Republica.

IX.

IX. Pœna nunquam transit, nisi communicata culpa.

X. Nemo puniri potest ob factum alienum.

Observ. I. ad th. 14.

Quomodo Deus dicatur punire peccata parentum in filiis?

HOc punctum jure vocatur nobilissimum & discussione dignissimum: occasionem illi dedit textus sacer, maxime Exod. 20. v. 5. ubi Deus in lege minatur, & imprimis de non committenda Idololatria, se Zelorem esse, qui visitaturus sit peccata Parentum in Liberis in tertiam & quartam generationem. Hic enim quaestio est, quomodo Deus minari possit pœnam posteris, non participantibus de culpa? Difficultas stat in eo, an Deus pœnas in innocentes quoque derivet, aut qua ratione illæ minæ cum *justicia Dei stare queant?*

Grotius existimat, quod Deus in posteros utatur Jure Dominii *eminentis*, ex quo ipsi Jus comperat plenissimum, ut in res nostras ita etiam in vitam nostram, quam pro lubitu possit auferre.

Alii ut Bonfrerius & Tirinus censent, pœnam, quæ posteri impiorum Parentum puniuntur, non esse pœnam *formaliter* loquendo, sed *materialiter tantum*; hoc est, afflictionem & miseriam temporalem, quæ præbere possit po-
steris

teris *materiam* Virtutum, ut *patientia*, *humilitatis* &c.

Alii ut B. Osiander dicunt, pœnam hanc denunciari filiis & Nepotibus, qui Parentum vestigia in impietate premant; adeoque pœnam *formaliter* infligi posteris tanquam nocentibus non minus, quam Parentes fuere.

Nobis duæ priores sententiæ combinandæ potius, quam separandæ videntur. Nam id certum est, quod in cap. Exod. 20. v. 5. Deus tanquam Zelotes sistatur, adeoque qui Justitiæ suæ vim modo quasi quodam extraordinario voluerit populo Israelitico proponere, eumque hortari, ut Legem suam sanctè observet, nisi in gravissimam pœnam velit incurere; sicut contra Clementiam & Misericordiam extraordinariam in mille usque generationes promittit timentibus eum. Quare sicut ex plenitudine suæ Gratiæ spondet copiosissimam remunerationem; timens enim Deum ultra sperare non potuit, quam Gratiam divinam pro se, & tamen ex abundantia benignitatis Deus promittit Gratiam suam usque ad millesimam generationem: ita ex justo Zelo, qui pariter transcendit ordinariam justitiæ viam, quæ legitur Ez. 33., Deus minatur derivationem pœnæ in tertiam & quartam generationem. Acuitur ergo hic & exaltatur quasi *Justitia Divina* per Jus suum Majestaticum; unde etiam exaggeratio illa pœnæ illos maxi-

me

mè tangit & ferit, qui Jura Majestatis divinæ violant, & alienos Deos colunt, quo nihil indignius in Deum potest committi.

Unde non satisfaciunt ii, qui de posteris, vestigia Parentum scelerata sequentibus, locum & Zelum illum Divinum exponunt. Ita enim Deus non punit peccata parentum, sed propria filiorum; & quænam gravis illius & Majestaticæ dehortationis ratio esset, si Deus dixisset: *Cavete vobis O Israelita ab Idololatria*, nam ego Deus Zelotes sum, & quidem tam SEVERUS, ut, si filii vestri ad tertiam & quartam usque Generationem commissuri sunt Idololatriam, ego eos puniturus sim? Quis hic non videt, nullum Zelum & Vim nullam Iræ Divinæ extraordinariam insinuari; imo potius exinaniri omnem gravitatem divinæ *Cominationis*.

Accedit tertio, quod hac ratione omnis gratia comparationis periret inter Misericordiam & Justiciam Divinam. Nam Deus Exod. 20. ita opponit misericordiam justitiæ, ut eam extollat in magno excessu; nempe quod exercent misericordiam in mille generationes propter parentes pios; cum tamen non puniat parentum impiorum peccata in filiis, nisi usque ad tertiam & quartam generationem. Sicut ergo Deus per abundantissimam illam Clementiam accendere voluit pietatem in parentibus; ita per graves illas minas dehortari eosdem parentes voluit ab impietate & maxime ab Idololatria.

Observ.

Observ. II, ad th. 17.

An Deus per pestem immissam Davidem, an vero populum, puniverit, & an populus recte à Davide dicatur innocens?

Grotius existimat pestem illam immissam à Deo esse in pœnam non populi sed Davidis; quia & ipse David agnoverit populum innocentem. Contrarium docet Zieglerus & cum eo B. Osiander, motus maximè ex eo; quia dicatur iratum fuisse furorem Domini contra Israel. Deinde ajunt, recenseri quidem peccatum Davidis nempe numerationem illam fastuosam populi; sed probabilissimum esse, quod populus in eam consenserit, atque adeo etiam de culpa participarit.

Sed nostro judicio conformius textui sacro dicitur, quod pœna illa directè à Deo inflictæ fuerit Davidi. Nam primò David, cum numerasset per Joabum populum, perculsus in Conscientia agnovit statim delictum, non populi, sed suum, & ad Deum per pœnitentiam conversus dixit: *Peccavi valde in hoc facto, sed precor Domine, ut remittas iniquitatem servi tui; quia stulte nimis egi.* Nihil hic dicit de populo David, quod & ipse peccaverit.

Deinde recenset Historia sacra, quod Dettus Prophetam Gad miserit ad Davidem, ut ipsi de-

denunciaret, quod ob istud peccatum Deus ipsi triplicem pœnam destinaverit, nempe vel famem per tres annos, vel persecutionem hostium per tres menses, vel pestem per tres dies; atque ut Rex ex his tribus unam eligeret. Nihil hic iterum Gad de populo dicit, quod peccaverit, & quod Deus propterea eum punire velit, sed de Davide. Unde etiam David Prophetæ respondet: *In magnis versor animi angustiis*; quæ exclamatio Regis seriaz peccati agnitio fuit.

Tertiò cum pestis usque ad triduum jam grassaretur, & ad septuaginta millia Virorum absumsisset, Rex David videns Angelum percussorem, ante Deum genibus flexis procumbens, gembundus iterum exclamavit: *Domine, Ego Sum, qui peccavi & inique egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* hoc est, ut explicat Lucas Osiander: *Ego Pastor populi meritis sum hanc pœnam, quare parce subditis meis, miseris oviculis: vertatur obsecro manus Tua contra me, & contra domum Patris mei.* Quæ verba iterum satis notant, Davidem populum quoad hoc factum plane habuisse pro innocente.

Quod si quærat, cur ergo populus punitus fuit à Deo, si fuit innocens: respondeatur, populo non fuisse pœnam *formalem*, sed afflictionem; & Deum repetere posse vitam ab homine, quando velit; Davidi verò fuisse pœnâ

Hh

Observ.

Observ. III. ad th. 20.

An pœna ad hæredes possit transire?

Hic breviter dicimus, quod, quando actio pœnalis contra hæredem delinquentis decernitur, non sit pœna, sed hæredi turpe lucrum extorqueatur, à defuncto delinquente relictum. Nec hic dissentit Jus Romanum, modo lis à defuncto sit contestata, ut etiam agnoscit Grotius; ubi causa proxima est dicta *litis* contestatio, quæ etiam vim contractus habere dicitur.

SUMMA

CAP. VIGESIMI SECUNDI
LIBRI SECUNDI.

I.

Explicat Auctor, & rectè, discrimen inter causas *suasorias* & *justificas*, hoc est, inter *veras* & *pretensas*.

II. Afferit, quod illa bella, quæ nec *suasorias* nec *justificas* habeant causas, feratim potius, quam hominum sint.

III. Ubi suasoriæ adsint bellandi causæ & non justificæ, prædonum sint.

IV. Exhibentur causæ belli, quæ justi quidem speciem habent, iusta tamen bella non sunt: Ut est primo metus incertus, deinde utilitas sine necessitate, tertio negatum con-
ju-

jugium in magna fœminarum copia, quartò cupiditas melioris soli.

V. Neque justam bellandi causam præbet desiderium Libertatis in populo subjecto; cum potius sit rebellio.

VI. Iniquum etiam est arma movere contra populum, quem indignum censemus, ut sit in libertate.

VII. Adulatio turpis est illorum, qui Romano Imperatori aut Ecclesiæ jus dant in terras omnes remotas.

VIII. Denique notatur, quod bellum possit esse justum, licet deinde vitia accedere possint.

Observ. I. ad th. 1. & 2.

*Quæ sint Causæ justificæ & quæ
suasoriæ belli?*

TRactat hic iterum Grotius de causis belli suasoriis & justificis, quamvis in libro primo jam hanc materiam tractarit. Breviter id hic notandum, quod Causæ suasoriæ pertineant ad *questionem* Consilii; *justificæ* verò tractentur in questione JURIS. Secundo advertendum, quod, licet geminæ hæ Causæ non rarò convenient, ingenstamen differentia etiam in hoc conspiciatur; quod suasoriæ Causæ secundum se spectatæ nunquam faciunt BELLUM justum, sed haud rarò merus sint prætextus.

Observ. II. ad th. 5.

An Vicini potentia crescens possit esse sufficiens belli inferendi ratio?

Quanquam Grotius recte asserat, quod potentia Vicini crescens non sufficiat ad bellum inferendum: ille tamen hodierni seculi genius est, ut is Princeps vel negligentiae vel imprudentiae accusetur, qui patitur, ut Vicini potentia multum crescat; nec eidem vel per clandestinos cuniculos vel per aperta bella obstat. Quid enim aliud sunt cruentissima illa bella, quae jam per duo secula & ultra Hispaniam & Galliam concusserunt, quam tacitus ille livor, quo una Natio alteram aëris oculis aspexit, si crescere alterius potentia visa est?

Id ergo in puncto Juris & Justitiae certum est, quod Potentia vicini, si non praesens aut certum sit exinde periculum, nullum Jus fundet ad bello impugnandam talem potentiam; nec *suspicio* aut *metus* idoneum sint fundamentum ad arripienda tam violenta remedia. Quod ipsum rectè observavit Cel. Dn. Pufendorf l. 8. cap. 6. inquit: *Incerta periculi suspicio id quidem suadere potest, ut maturè tibi praesidia circumponas: non jus facere, ut prior vim adhibeas, ne ad hunc quidem finem, ut realem, quam vocant, cautionem de non offendendo alter praestet. Ceterum, posita bellandi justa causa, gliscens nimium vicini potentia in deliberationibus super bello*

bello magnum momentum habet; cum experientia: compertum sit, plerisque una cum viribus etiam dominandi libidinem crescere.

Exemplum admodum illustre habemus in præsentē bello cum Gallis. Isti enim cum *partitionem* illam Hispaniæ, Anglis & Hollandis arbitris, cum juramento firmassent; & postea Carolum II. Hispaniæ Regem per Card. *Porto-Carreri* artes eo flexissent, ut contra omnem fidem & vincula sanguinis cum Domo Austriaca, in Germania regnante, Regis Galliæ Nepotem, Philippum, hæredem omnium Regnorum Hispaniæ per testamentum declararet: hæc ipsa declaratio satis quidem causæ fuisset Cæsari bellum movendi, & Hispaniam omni jure ad Domum Austriacam devolutam occupandi; idque eo magis, quod satis constabat, per meras præstigijs supra dicti Porto-Carreri Testamentum illud fuisse conditum, manu ducente omnis doli Architecto supremo: sed cum non minor fuerit Anglis & Hollandis belli causa ob perfidiam Gallicam, qua omnes Europæ Principes fallebantur; solenne pactum inierunt, ut pro tranquillitate Europæ amplissima Hispania in partes ita abiret, ne unius potentia aliis nimis periculosa fieret.

Neque hic regei potest, Anglos & Hollandos expectare debuisse, donec periculum in effectum erumperet. Satis enim jam constabat de perfidia Galli; item quod jam animo

non tantum sed & armis ad Europæ jugum imponendum se composuerit. Ubi rectè *Albericus Gentilis de Jure Belli* libr. 1. cap. 14. ait: *Defensio justa est, qua prævenit pericula jam meditata & parata: etiam nec meditata adhuc, sed verisimilia & possibilis: neque tamen ULTIMUM HOC SIMPLICITER; aut dicerem iustum dare verisimilia & possibilis.*

Observ. III. ad Thes. 14.

An Ecclesiæ Jus aliquod competat in populos ignota partis terrarum?

Grotius hîc tangit, & recto quidem nomine, illustrem illam Controversiam, quæ est inter Ecclesias Evangelicas seu Protestantium, & inter Ecclesiam Romanam; dum hæc præten dit, quod ipsi Jus competat etiam in Regna secularia.

Ubi tamen ante omnia notandum, quod sub nomine Ecclesiæ Doctores Romani intelligant ipsum Pontificem Romanum tanquam Caput Ecclesiæ, Christi præten sum Vicarium & Petri Successorem: Grotius noster ad invidiam declinandam, non nominat Pontificem R., quanquam nemo tam obesæ naris sit, ut nesciat, quod hunc intellectum voluerit. Nam is ausus est ex plenitudine Pontificiæ potestatis Hispaniæ Regi Jus in populos Americanos concedere.

cedere; is ausus est, & quidem sub nomine Pii II. (ante Papatum Æneæ Sylvii) Mahometo, Turcarum Imperatori & Constantino-
poleos Victori, titulum Imperatoris Orientalis offerre, & ipsum in possessione Græciæ sub certis quidem conditionibus confirmare, quas quidem conditiones Turca rejecit.

Sic & Eugenius IV. Pontifex in literis ad Johannem Palæologum Imp. Constant. ita non erubuit scribere:

Definimus, sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere principatum.

Idem ante ipsum fecit Gregorius VII. & Bonifacius VIII., qui ad Philippum Gallix Regem cognomento Pulchrum, tanquam ad subiectum suum in temporalibus, ausus est scribere, qui tamen egregiè, & prout Gallix Regem decet, rescripsit:

Sciat Tua maxima fatuitas, nos in TEMPORALIBUS nulli subesse.

Et certum est Galliam hætenus inter omnes Nationes Romanæ fidei addictas contra ambitionem papalem pugnasse, nec penitus collum jugo illi intolerando subjecisse. Unde Pastores Parisienses olim in sua Epistola ad Ludovicum XIII. scripsere: *spes est, fore, ut Deus Tibi aliquando aperiat oculos ad percipiendum, Papam sub specioso nomine Ecclesie Romanae MONARCHIAM temporalem edificasse.*

Quæstio ergo primò in genere potest esse, an Pontifex jus & potestatem habeat in temporalia Regna?

Et secundò, an alteri Regi, exempli gratia Hispaniarum, jus concedere possit ad bella inferenda populis Americanis; ex eo titulo quia sint populi infideles, qui sub Rege Christiano ad fidem possint perducii?

Ubi ad utramque quæstionem respondemus negative. Rationes negationis nostræ respectu primi puncti prolixè produximus in *defensione Imperatoris nostri* contra Bullas ferales Clementis XI. & contra impudicos illos Curia Romanæ assentatores, *Sanctarellum, Marianum, Becanum* & alios, quorum libri justissimè ex sententia Parlamenti Parisiensis per carnificem in Metropoli Gallia, nec non Londini in Anglia, tanquam injurii in *Majestates Regum & Principum* combusti fuere.

Impudentissimus autem omnium fuit ipse Pontifex *Bonifacius VIII.*, qui ex loco, quo Christus ad Petrum dixit: reconde GLADIUM TUUM in vaginam, item quod Apostoli dixerunt: hîc sunt GLADII duo, ambitiosam hanc consequentiam trahere voluit: Ergò Petrus habet PROPRIUM GLADIUM, nec UNAM tantum, sed DUOS; ergo Petrus divina auctoritate habet potestatem summam POLITICAM & ECCLESIASTICAM; ergò habet Jus in Reges &

& regna; ergò Reges non saltem *excommunicare* potest, sed & *deponere*, ac Regna in alios transferre. Quæ funestæ consequentiæ in ACTUM deductæ, ut non rarò factum, APERTISSIMA sunt DOCUMENTA omni sole meridiano clariora, quod Pontifex sit ille, quem Paulus 2. Thess. 2. descripsit, ut mirum sit, in tanta LUCE rerum *prestigias* illas Curia Romanæ à Christianismo non plenis oculis cerni.

Quod ad secundam verò spectat, satis notum est, quod Fides & Religio non possint esse causa, ut possit alicui bellum inferri. Nam κατ' ἀνθρώπων loquendo hac ratione nemo majus jus haberet Pontificem Rom. ejusque terras oppugnandi, quam Ecclesia Evangelica; quæ clarissimè & divinitus novit, quod Ecclesia Romana non sit Apostolica, sed Apostatica; & quod Pontifex Rom. veræ Religionis sit peccatis, atque ex divina nomenclatura *Filius perditionis*.

Sed porrò nec Christi, quanquam habuerit omnem potestatem in cælo & in terra, nec Apostolorum praxis est, neque ullum præceptum Divinum extat in Codice sacro, quod Religio & Fides Christiana sit promovenda per arma; quin potius character fidei Christianæ est charitas, lenitas, mansuetudo Matth. 11, 28. non furor bellicus, adeo ut, cum Christo difficile non fuisset duodecim Legiones Angelorum à Patre suo cœlesti impetrare, per quos

non Judææ tantum Regnum, nec Imperium Romanum tantum, sed omnia terrarum Regna intra spatium unius horæ sub obsequium suum cogere; & fidem eo efficacius plantare potuisset, tamen id non fecerit, sed duodecim vilissimæ sortis homines miserit, qui orbem converterent.

3. Causæ omnes, quæ alias Jus dant ad arma legitima sumenda, & ad Regnum alterius invadendum, cessant. Neque enim Americani injuriam intulerunt vel Pontifici vel Hispaniæ Regi, ut illam ulcisceretur; nec secundo justitiam illam comunem societatis humanæ læsere, cum Americani, suis rebus contenti, ne per famam quidem aliquid sciverint de Hispanis, multo minus injustitiam contra ipsos commiserint, cum tamen juxta Augustinum *Bellum sit ultimum afflicta justitia remedium.*

Unde quoque bellum pro pœna Americanis non potuit inferri, nec Pontifex potuit Jus regnandi Americanis Regulis auferre, & Hispanis tradere. Rectè magnus aliàs apud Pontificios Doctor dixit: *Fides non tollit jus naturale & Humanum, ex qua dominia sunt profecta, quodque vult, ut homo homini non insidiaretur.* Ita verò fecere Hispani, qui per artes planè Diabolicas & extremam tyrannidem, ex mera AURI Peruani, non *animarum*, siti, regna illa occuparunt.

Equi-

Equidem *Sepulveda* Hispanus integro libro Romæ excuso causas justæ contra Indos belligerendi conquirit: sed oportet, ut rationem omnem amiserit, qui non videt, librum esse compositum partim ex superstitione, partim ex præstigiis & meris larvis, partim ex domesticis & fallacibus testimoniis.

SUMMA

CAP. VIGESIMI TERTII
LIBRI SECUNDI.*De Causis dubiis.*

I.

Aserit Auctor in rebus Moralibus non eandem esse certitudinem, ut in Mathematicis, atque exinde esse causas sæpe dubias.

II. Deinde dicit, nihil esse faciendum contra dictamen Conscientiæ, etiam si errans sit.

III. In rebus dubiis consulendos esse sapientes.

IV. In re gravi semper eligendam esse partem tutiorem.

V. In bello si rationes adsint mutuæ & alternantes & ex utraque parte æque graves, vergendum ad pacem.

VI. Recenset porro Grotius modos, quibus vitari possit bellum: ut est 1. Colloquium, 2. Compromissum, 3. fors, cui affine putat Certamen singulare.

VII.

VII. In pari dubio Grotius asserit meliorem esse conditionem possidentis.

VIII. Quod si neuter possideat, & rationes dubitandi sint æquales, rem esse dividendam.

IX. An bellum ex utraque parte possit esse **JUSTUM**, multis distinctionibus explicatur.

Observ. I. ad Thef. I.

An in Moralibus detur etiam certitudo sicut in Mathematicis?

HÆc quæstio magnas contentiones excitavit inter discipulos Grotianos & Pufendorfianos, magna illa Capita & Duces, dum alii Grotium cum magno ardore, alii *Pufendorfium* majore Zelo secuti sunt.

Pufendorfii sententia contendit, quod utique in Moralibus non minus quam in Mathematicis demonstrationes dentur; & conqueritur maximè laudatus Author, quod propter hanc persuasionem, quia non detur in Moralibus certitudo demonstrativa, hæc disciplina in contemptum abiverit.

Definit autem ante omnia, quid sit *demonstrare*, & ait, quod sit, rerum propositarum certitudinem necessariam è certis principiis, tanquam suis *Causis*, indubitato cognoscendam, syllogistice deducere.

Ap-

Applicando jam definitionem, producit exemplum hoc: quicquid convenit cum Naturâ sociali, illud est rectum vel justum; & quicquid non convenit, illud est injustum seu pravam: atqui suum cuius tribuere convenit cum natura sociali: Ergo

Talis Syllogismus Pufendorffio est demonstrativus, & certitudinem habet necessariam, & sic dantur etiam alii plures.

At verò totum fundamentum talis demonstrationis adhuc est incertum, an videlicet fons justitiae & recti sit *Socialitas*, contrarium supra docuimus.

Deinde *Moralitas* longè latior est, quam *Socialitas* illa; nam ante omnem Socialitatem datur MORALITAS, tum in divinis tum in humanis. Deus enim ab omni æternitate fuit *Sanctissimus*, quæ *sanctitas* Divina illa Radix est *Moralitatis* in Legibus divinis quas Deus postea dedit; Ac primus noster Parens Adamus, antequam *Evam* accepit conjugem, *Morale* fuit agens, habens Principia Moralia in se, *Intellectum*, *Voluntatem*, atque illi superadditam *Libertatem*, quæ proximum principium est omnium actionum *Moralium*. Adhæc non sola *Justitia*, quæ ad alterum est, sed & aliæ omnes *Virtutes* pertinent ad genus *Morum*, ubi non pauca præscindunt à *Socialitate*.

Tertio, nemo magis *Moralia* fecit lubrica & incerta, quam ipse Dn. Pufendorff, Vir alias

in,

ingeniosissimus, in hoc tamen puncto contumax potius, quam VERI tenax. Nam ille Originem omnium Entium *Moralium* posuit in IMPOSITIONE, adeo ut ante *Impositionem* dicat, omnes actus humanos esse INDIFFERENTES.

Manet ergò sententia Grotii adhuc vera, nempe quod in *Moralibus* non detur *Certitudo*, pro-ut in *Mathesi*, & sanè cuius hoc ad oculū pater.

Observ. II. ad Thef. 2.

*An operans ex Conscientia erronea
& putans rem esse vitiosam, quamvis
in RE ipsa sit justa, peccet?*

HOc punctum, quod in *Moralibus* magni est momenti, Grotius noster his verbis proponit: *Illud est tenendum, etiamsi quid justum re ipsa sit, sed ab eo fiat, qui omnibus expensis INJUSTUM id existimat, actum esse vitiosum*
In *Conscientia* ergò *erronea* hoc triste est, quod homo, quamdiu errorem illum non deponit, malè agat, sive agat juxta dictamen *Conscientiæ*, sive contra. Etenim si agat juxta dictamen *Conscientiæ* *erroneæ*, peccat; quia *errorem* sequitur: si contra agat, iterum peccat; quia contra *judicium internum*, quod vim *LEGIS* habet, agit. Nam *Regula generalis* & *infallibilis* est, quam *Paulus* dictante *Spiritu S.* posuit: *Quicquid non est ex fide, peccatum est.* Ubi vocem *fidei* pro *dictamine Conscientiæ*, sive *judicio practico*, sumi certum est, quicquid alii

in contrarium proferant, ut alibi audiemus. Liquet hoc ex Apostolo ipso, qui in loco citato docet, esum cibi *per se innoxium* ei fieri noxium & immundum, qui ex conscientia erronea existimat esse vetitum: *si manducaverit*, inquit Paulus, *damnatus est, quia non ex FIDE* fecit. Rationem ejus posuit *Thomas Aquinas*, inquit: *in Bonum non fertur Voluntas, nisi secundum quod à ratione proponitur. Si itaque Bonum proponitur à ratione errante, UT MALUM, fertur in hoc sub ratione MALI. Unde voluntas erit mala, quia vult malum; non quidem id, quod est malum PER SE, sed quod est malum ex sinistra apprehensione.*

Augustinus rectè etiam id exposuit Ep. 154. inquit: *Si quis putaverit Bonum esse, quod malum est, & fecerit; hoc putando utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantia & erroris. Et contra si quis putaverit malum esse, quod revera Bonum, vel ad minimum indifferens est, is etiam peccat.*

Tertiò subtiliter dicit Grotius, *Deum vim judicatricem*, quæ nihil aliud est quam Conscientia antecedens, *humanis actionibus velut DUCEM addidisse*, qua contempta, Deus contemnitur, & obbrutescit animus.

Quoties ergò Judicium illud Rationis aliquid pro malo habet, etiamsi sit *judicium erroneum*, tamen homo peccat; quia agit contra Obligationem Conscientiæ, quæ tan-

ta est, ut juxta meliores Moralistas ne quidem à Deo dispensabilis sit.

Observ. III. ad eandem th.

Utrum hesitante judicio possit suscipi Operatio, sive an liceat operari cum dubia Conscientia?

ETiam hoc punctum tractat Grotius, ad cujus plenam intelligentiam sciendum est, quod Conscientia *dubia* magnam cognationem habeat cum *erronea*. Utraque oritur ex *ignorantia*; utraque ad præcipitia ducit; differunt tamen quod *erronea Conscientia actualis* sit *dictamen* & Intellectus *judicium*, quid sit faciendum; *dubia* verò *pendula* & *suspensa* sit, quia Intellectus propter æqualitatem rationum ex utraque parte stantium *suspensus* atque *ambiguus* vel *hæret* vel *fluctuat*.

Cum hac Conscientia qui agit & operatur, hoc est, *dubitans*, an actio sit *licita* vel *peccaminosa*, & tamen operatur, *peccat*.

Nam quicumque *fluctuat*, an *actio*, quam *molitur*, sit *peccaminosa*, & tamen eam facit, is *ÆQUIVALENTER peccato* consentit. Sic qui *dubitat* num hoc vel illud faciendum sit *offensurus DEUM*, & illud nihilominus facit, is utique *offendit DEUM*, estque id *peccatum omninò tale, quale est Dubium*.

Se-

Secundo verissimum est Siſacidis dictum in Moralibus quoque : *qui amat periculum, in illo peribit* : sed cum dubitante conscientia operatur, censetur periculum amare; aliâs enim omnem operam impenderet, ut conscientiam prius in tuto & extra periculum peccandi poneret & serenaret.

Tertiò qui facit aliquid cum conscientia dubiâ, & dubitat, an opus suum sit contra voluntatem amici, is facit contra legem amicitia; & plus videtur illud diligere, cujus gratia id facit, quam amicum, de quo dubitat, an illud ei placere possit : ergò qui facit aliquid cum dubio, an aliquid sit peccatum, ac proinde an illud sit contra DEI Voluntatem, contra legem amicitia; erga DEUM facit ; & plus videtur diligere illud, cujus gratia illud facit, quam DEUM, contra quem dubitat illud esse.

Vid. Sayrus *Clav. reg. lib. 1. cap. 13.*

Gabr. Vasquez, *1. 2. disp. 115.*

Medina *1. 2. quest. 9. art. 5.*

Em. Rodriquez *in Summa part. 2.*

Ex nostris

Dn. D. Osiander *in Theol. Moral. & Cas.*

Balduinus *de Conscient.*

Danhauerus & alii.

Observ. IV. ad Th. 5.

An in Controversiis, in quibus ex utraque parte stant argumenta probabilia, sive ab intrinseco sive ab extrinseco, semper preferenda sit pars TUTIOR, vel an etiam minus tuta minusque probabilis possit praeferi?

HOc punctum, quod Grotius noster per aliquot tantum lineas tractat, per ingentia volumina à Moralistis fuit tractatum, atque hodiè per summa ingenia agitur.

Prænot. autem est, argumenta, quæ dicuntur probabilia ab *Intrinseco*, dici apud Moralistas & nostrum Grotium illa, quæ ex *intrinsecis suis* fundamentis talia sunt: *Extrinseca* verò dici, quæ ab *Authoritate* gravium & Doctorum Virorum desumuntur. Non enim verisimile est, graves & doctos Viros, de aliqua Controversia in Materia *Juris* aut alia judicantes, faciliè decipi posse; nam, inquit Grotius, probabilia sunt, quæ plurimis iisque sapientioribus videntur.

Prænot. secundo, illam partem esse **TUTIOREM**, quæ à peccandi periculo magis recedit; atque illam **TUTAM**, quæ periculum peccandi non habet. Unde illa sententia est *tutior*, quæ Legi Divinæ est conformior. Sic si quis habeat rationes pro se, quod die Sabbathi iter fa-

facere possit, quia videlicet gravia quædam negotia, & quæ moram magnam non patiantur, habeat expedienda; contra etiam sciat, quod in Lege divina præcepta sūt diei Dominicæ sanctificatio; sanè Tutius in Conscientia facit, si iter omittat, & DEO diem illum sacrum habeat, quam si negotia temporalia tractet,

Idem est in Contractibus, *aut etiam in materiæ belli*. Si quis rationes habeat, quod Contractus, quem cum proximo iniit, non habeat usurariam pravitatem; si tamen ex altera quoque parte videat, proximi conditionem notanter deteriore[m] esse factam; si quærat, quid hîc sit Tutius, respondetur, si contractum illum reducat ad æqualitatem, & excessum proximo restituat.

Magna hîc ergò & nobilis quæstio est, an aliquis obligatus sit in FORO INTERNO ad sequendam partem *Tutiorē* & probabiliorem?

Ubi pro affirmativa stant.

Ex Canonistis *Antonius Merenda* & *Prosper Fagnanus*;

Ex Theologis Moralistis

Comitolus in *Responsis Moralibus* libr. 5, cap. 15.

Philalethus in libello de *Opin. Praxi* quest. 5.

Elizalde in libr. de *recta morum doctrina*.

Vincent. Baronius in libr. scripto contra *Amadæum*.

Montalvus in literis Provincialibus.

Wendrokus in notis ad illas literas.

*Jul. Mercorus in Bas. Theol. Mor. p. 2.
art. 21.*

Altera sententia censet, licitum esse Opinione sequi minus probabilem minusque tutam, quamvis opposita sit tutior & probabilior. Pro hac stant Agmina, nescio an dicam Theologorum an Atheistarum. Paucos eosque recentiores tantum nominabo.

Matthaus de Moya, Soc. Jes. in Select. Quest.

Oviedo in 1. 2. tract. 3. contr. 3. punct. 2.

*Pallavicinus, in 1. 2. Disp. 9. quest. 4.
art. 4.*

Reginaldus in Praxi libr. 13. cap. 10. Sect. 2.

Honoratus Faber. in Dialog. de Opin. prob.

Escobar, de Mendoza Theol. Moral. ex. 3.

*Francisc. de Lugo de Act. Hum. part. 1.
quest. 2. n. 28.*

Luis de la Crux. in Expos. Bul. Cruc.

*Alphonsus de la Penna Episcop. Quitensis
libr. 5. tr. 3. fo. 555.*

Rationes horum Authorum sunt, Primo quia nulla Lex obligat, nisi sufficientem & expressam habeat promulgationem. Est enim hæc aut pars essentialis, aut ad minimum Intrinseca quædam Condicio atque ultimum complementum Legis. At quoties adsunt rationes probabiliter suadentes partem minus

Tu-

TUTAM esse licitam; Lex vero præcipiens partem tutiorem non est sufficienter promulgata: ergo illa Lex neminem obligat, quam diu certo probabile est, partem minus tutam non esse prohibitam.

Secundo arguunt dissentientes: Nemo tenetur ad honestius & perfectius amplectendum, sed sufficit, si sequatur honestum & perfectum: Ergò nemo tenetur sequi opinionem tutiorem, sed sufficit, sequi æque aut minus Tutam; quia sequi Opinionem probabiliorem, & sequi Opinionem æque aut minus probabilem, in contradictione Opinionis tutioris certo probabilis se habent ut excedens & excessum, ut magis & minus Bonum in eodem genere. At certam est, quod liceat sequi probabiliorem contra tutiorem minus probabilem: ergò licet etiam sequi minus tutam certo probabilem contra tutiorem æque aut magis probabilem; cum uterque modus procedendi sit in eodem ordine, qui aliam comparisonem non admittit, quam minus honesti ad magis honestum. Hæc Adversarii.

Sed contra est primo, quod egregiè observat *Mercorus in Basi Theol. sue Moralis*, quia in Scripturâ S. dantur exempla eorum, qui *probabiliter* existimarunt ex rationibus *probabilibus* non invalidis, quod aliquid sit licitum, & tamen fuit peccaminosum. Primum exemplum desumit à primis nostris Parentibus: Primi, inquit,

Parentes habuerunt opinionem probabilem, quod præceptum sibi impositum de non comedendo ex arbore prohibita, non obligaret ipsos in conscientia graviter; ergò opinio probabilis non excusat à peccato, etiam lethali. Patet consequentia, cum sit certum ex fide, primos parentes peccasse lethaliter transgressione ejus præcepti. Probat Antecedens primò, quia probabile est ex Valentia, Navarro, Lessio & alijs, nullam legem pœnalem obligare in conscientia; præceptum autem primis Parentibus impositum habuit formam legis pœnalis, ut patet ex *Gen. 2. In quacunque die comederis ex ea, morte morieris*: quia secundò probabile est, quod nonnulli docent, Deum non posse præcipere aliquid leve sub culpa gravi; erat autem aliquid valde leve edere unum pomum.

Secundo loco proponit peccatum Saulis ex *1. Reg. 15*. Ubi præmittitur primò præceptum, impositum Sauli per Samuelem nomine Dei, de delezione & totali exterminio Amalec, gentis rebellis Deo & inimicæ populo Dei Israël: *Nunc ego vade, & percutite Amalec & demolite universa ejus. Non parcas ei, & non concupisças ex rebus ipsius aliquid; sed interfice à viro usque ad mulierem & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum*. Sequitur deinde aggressio & victoria Saulis adversus Amalec, cum internecone
vulgi

vulgi & demolitione rerum vilium, auctis
 verò à milite pretiosis quibusque acpulchris,
 & Rege Agag servato incolumi: *Et pepercis*
Saul & populus Agag & optimis gregibus
ovium & armentorum & vestibus & arie-
tibus, & universis, quæ pulchra erant; nec vo-
luerunt disperdere ea: quicquid vero vile fuit
acreprobum, hoc demoliti sunt. Clauditur de-
 mum narratio reprobatione hujus facti & in-
 dignatione Dei adversus Saulem propter tam
 magnum tamque manifestum peccatum;
 quæ reprobatio, & indignatio occupat totum
 reliquum caput illud à *vers. 10, ad 35.* & incipit
 his verbis: *Factum est autem verbum Domini*
ad Samuel dicens: Pœnitet me, quod constitue-
rim Saul Regem; quia dereliquit me, & verba
mea opere non implevit.

Subdit jam Mercorus, Saulem habuisse
 opinionem probabilem de honestate eorum,
 quæ fecit, seu ea omnia sibi licere; so-
 lum igitur peccavisse, quia opposita opi-
 nio erat probabilior. Majorem istam proba-
 bilitatem non probat, quia Saul consideravit,
 præceptum divinum sibi à Samuele intimatum
 non potuisse esse novum, nec diversum ab ora-
 culo divino, quod fuerat traditum à Moyse
 ad perpetuam rei memoriam *Exod. 17. 14.* ubi
 dicit Deus: *Delebo memoriam Amalac sub cœ-*
lo: Illud autem oraculum non minus probabili-
ter (verba sunt Mercori) poterat interpretari

de delenda memoria, quam de delendis solis masculis Amalekitarum. Erat videlicet scriptum characteribus ambiguis, & non magis significantibus deletionem memoriæ, quam deletionem masculi. Quam in rem notat ex Sixto Sen. lib. 3. *Methodoseunda*, antiquos Hebræos non fuisse in scribendo usos vocalibus ullis, sed solis consonantibus; & quia hinc oriebantur frequentes errores in intelligentia sacri textus, adinventata postea fuisse puncta, quibus cuique consonanti oportune subiectis loco vocalium, sensus ubique legitimus redderetur clarus ac dilucidus. Atque specialiter in oraculo prædicto, ob defectum pro tunc & vocalium & punctorum vice vocalium æquè benè intelligi potuisse, tum deletionem memoriæ tum deletionem masculi, uti idem Sixtus ibi ostendit, & ex eo transcribit Mercorus; atque ideo Saullem probabiliter opinatum fuisse, se nihil acturum contra præceptum, si, deletis masculis Amalekitis, asservaret, uti asservavit, res eorum omnes pretiosas & pulchras. Quæ equidem de causa Rabbiniali qui excusant Saullem à transgressione præcepti, uti memorat idem Sixtus eodem in loco.

Confirmat Mercorus istam Saulis probabilitatem. Primum enim si servavit vivum Regem Agag, id fuit ad magnificentiam triumphi propter gloriam populi Dei, & nil interfuit,

fuit, an ante, an post triumphum occideretur Rex: si servata sunt pecora, id fuit ad immolandum Deo, & nil interfuit, ea vel demoliri gladio in prælio, vel consumere igne in altari: si denique servatæ sunt vestes, & alia pretiosa, id rationabiliter permissum est militibus loco stipendii; eò vel maximè, quia verba illa præcepti: *non concupisces ex rebus ipsius aliquid*, non habentur in textu Hebræo, & propterea sunt expuncta obelo in nostra Vulgata. Accedit, hæc omnia fuisse mala, quia prohibita; non veto prohibita, quia mala, atque in hoc genere patet amplior benignæ interpretationi locus. Accedit rursus, quod ex verbis excusatoriis Saulis innotescat, hac illum probabilitate nixum fuisse; dicit enim *vers. 25: Adduxi Agag Regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de prada populus oves & boves, primitias eorum, quæ case sunt, ut immolet Domino Deo suo in Gilgal.* Accedit denique, rationes ponderatas pro Saule esse magis probabiles, quam quæ adduci solent pro peccato veniali, ex comestione ovorum & lacticiniorum absque privilegio tempore quadragesimæ; pro licita inductione ad jurandum falsum, quod à jurante putatur verum; pro liberatione legatarii ab onere solvendi, ultra centum annos, legatum pium perpetuum, quæ tamen & similia vulgantur in libris tanquam probabilia. Habuit igitur

Saul opinionem pro se probabilem, & tamen certo peccavit lethaliter. Hactenus *Mercorus*.

Tertium Argumentum desumitur ex trito illo Principio: in dubio tutior pars est eligenda. Neque enim licite aliquid agere possumus, quod dubitamus æquum sit an iniquum; quod ipsum sana Philosophia & Naturalis Ratio, communissimis boni & mali Notionibus informata, verum esse fatetur. Atqui in conflictu & distractione Opinionum, & de quarum Veritate non constat, quarum una rectior & probabilior, alia minus tuta minusque probabilis est, animum de minus probabilis sententiæ Veritate dubitare & fluctuare necesse est: ergò in Opinionum conflictu probabilior tutiorque est eligenda.

Majorem non audent negare Probabilistæ, & quamvis alii consilium duntaxat continere illam regulam dicant, alii usu contrario abolitam velint, id tamen alii, & rectè, explodunt. Unde negant minorem Propositionem, quia, inquiunt, hoc axioma valet quidem in dubiis, sed non in probabilibus, quia in dubiis neutri parti assentimur: at in opinionibus animus non est pendulus neque fluctuans, sed utriq; probabili sententiæ, etiam contradictoriæ, probabiliter assentitur. Ubi autem est assensus, ibi non est dubium; quia dubium assensum omnem continet & suspendit; opinio verò vel utrique vel alterutri sententiæ assentitur.

Ve-

Verum, hæc exceptio nullius est roboris, quamvis in ea tota Probabilissimi causa fundetur. Debilitas vero ejus constat, quia vel contradictoriæ opiniones sunt ambæ æque probabiles; vel una apparet minus probabilis, altera probabilior. Si primum, animus neutri parti assensum præbet; quia nihil habet, quo uni parti magis quam alteri se addicat. Cum enim Intellectus à sola veritate vel verisimilitudine moveatur: si in partibus contradictoriæ oppositis non reluceat aliquis major Veritatis radius, sed æqualem undique percipiat; ad unam inclinare potius quam ad aliam non potest, sed æqualibus rationibus distractus in æquilibrio dubius remanebit. Sicut enim remanent lances in libra, quibus æquale onus imponitur; sicut non movetur Corpus, quod in oppositas partes æquali duorum agentium Virtute impellitur: ita similiter Intellectus à dubii æquilibrio non recedit, nec in alterutram partem assensu flectitur; quia æqualibus premitur hinc inde rationum ponderibus & momentis.

Si vero posterius est, intellectus, misso minus tuto & probabili, assentitur tutiori & magis probabili, & sic rectè facit. Quarto an prudens est Imperator aut Dux, qui eo tempore prælium committit, & hostes aggreditur, quo probabilius judicat, exercitum suum victum iri, & profligandum habere.

habetur ne prudens ille Mercator aut Negotiator, qui cum illis societatem init, quos probabilius cenſet ære alieno gravatos, & pecunias acceptas per fraudem decocturos eſſe? cenſetur ne prudens ille Nauta vel non potius in exemplum ſtultitiæ & imprudentiæ ab omnibus ſiſtitur, qui explicatis velis mari ſe committit, quando probabilius à tempeſtate Naufragium timetur? Etgò totius prudentiæ lumen extinguunt Probabiliſtæ, dum docent, minus probabilia probabilioribus, minus tutioribus poſſe prudenter anteferri. Nihil eſſet prudentia imprudentius, ſi tam imprudens conſilium à prudentia poſſet oriri.

Obſerv. V. ad Theſ. 13.

An injuſtè agat nemo, niſi qui ſcit, ſe injuſtam rem agere?

Graviffima eſt hæc quæſtio, quæ non tantum in materia juſtitie & injuſtitie locum habet, ſed & in omni genere malitiæ, ubi quæritur: *an malè nemo agat, niſi qui ſcit ſe malè agere?* ſive, ut Moraliftæ id proponunt: *an ad omnem actum malum, ut ſit malus, requiratur cognitio malitiæ.*

Grotius noſter affirmativam tenet, & cum eo Moraliftæ haud pauci, ut *Gabriel Vaſquetz* 1. 2. diſp. 107. Sanchez in præc. libr. 1. cap. 16. Breſſerus tract. de Conſc., qui tamen
ait,

ait, non esse quæstionem de *formali & actuali aliquo iudicio*, quasi omnem actum injustum & malum talis debeat præcedere cognitio *malitia aut injustitia*, sed tantum, quod omnem actum malum vel injustum præcedat aliqua saltem dubitatio ac suspicio alicujus *mali vel injustitia* confusè.

Rationes pro hâc sententiâ sũnt primo; quia, ut inquit Bresserus, nil potest esse malum, nisi secundum aliquam rationem malitiæ sit *Voluntarium & Liberum*; atqui quod nullo modo cognoscitur affectum malitia, non potest secundum illam esse *Voluntarium*, ergò nec *Malum*. Totus discursus juxta illum Authorem necessariò deducitur ex ipsis principiis Theologiæ Moralis ac definitione *Voluntarii*, quod nempe sit à principio *Intrinseco cognoscente singula*, in quibus est *Actio*.

Undè necessariò, pergit, sequitur primò, quod nullo modo est cognitum, nullo modo esse *Voluntarium*; & quod nullo modo est cognitum sub aliqua ratione *MALI*, sub nullâ ratione esse *Voluntarium*.

Secundo nemo peccat in eo, quod vitare non potest. Quod Axioma, teste Augustino, unanimi concentu decantant & in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in Orbe
terra;

terrarum genus humanum. At quod ignoro vitare non possum: ergo in eo non pecco.

Tertio Lex virtutem obligandi non obtinet, nisi cum applicatur hominibus per PROMULGATIONEM. At verò promulgatio Legis fit per dictamen rationis, intimantis homini agenda vel omittenda; quod tamen dictamen in iis, qui Ignorantia talis Legis laborant, deest: ergo nulla Lex obligat ad sui observationem, dum adest ejus Ignorantia.

Nihilominus Nos existimamus, quod peccata quidem sæpe, sed non semper, præcedat malitiæ COGITATIO; sive quod non omnem actum malum præcedat eumque improbet Conscientia Mali. Probat hoc pro nobis Bernhartus Ep. ad Hug. de S. Victore: Si peccatum ignorantie, inquit, nullum est: non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam; quoniam ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blasphemus & persecutor contumeliosus; quod erat spirans minarum & cædis in discipulos Domini, in hoc ipso quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere, Misericordiam consecutus sum, sed mercedem recepi; quippe quem Ignorantia à peccato reddebat immunem; insuper & æmulatio remunerabilem indicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo caulamur
advers-

adversus occisores Apostolorum; quoniam non tantum nescierunt malum esse interficere illos; sed insuper id quoque faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare DEO. Sed & frustra Salvator pro suis orabat crucifixoribus quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nunquam peccantibus. Nunquid non ex his satis apparet, in quancis jaceat tenebris, qui ignorat, peccari posse interdum per Ignorantiam.

SUMMA

CAP. VIGESIMI QUARTI
LIBRI SECUNDI.

I.

Monet Grotius, Bellum non facile esse suscipiendum inprimis à Christianis.

II. Maximè bellum istud, quod pœnale tantum est.

III. Generosius esse ignoscere quam vindicare.

IV. Inprimis semper consultandum, an ex usu sit bellum: an plus sperare queamus boni ex bello, quam timendum sit mali.

V. Bellum proinde non suscipiendum, nisi ex necessitate:

VI. Aut ex maxima causa, cum maximis cautelis.

Observ.

Observatio. I. ad th. I.

*An semper bello injuria vindican-
da?*

Grotius in hoc capite ad *temperamentu* abit, & rectè asserit, quod non statim ad bellum prorumpendum sit, etiamsi Jus ad illud per injuriam datam habere videamur; Christianis vero hîc imprimis conveniat, ut malint cedere de JURE suo, quam sanguinolentum hoc *remedium* asserre. Suadet ergò & imperat *cessionem* de JURE suo primò exemplum Christi pro hostibus patientis & se non vindicantis, deinde cognatio naturalis Generis humani, tertio dilectio proximi in Lege divina tam sanctè præcepta.

Unde non possumus satis mirari, quod hætenus Reges nonnulli, qui Christianissimi videri volunt, tam audacter & sine ullo remorsu Conscientiæ in cruentissima bella, ad quamcunque levissimam occasionem, prorupere. An isti Reges tam peregrini sunt in lectione verbi divini, ut nesciant, quod ipsis de omni sanguine effuso gravis ante tribunal divinum sit reddenda ratio? Aut si tales Reges, ebrii vel cæci ex ambitione, non vident animarum suarum extremum discrimen, cur *Confessionarii* tam muti sunt, ut hoc non moneant? Aut cur Episcopus Romanus, qui jactat Curam
ati

animarum sibi ex alto commissam esse, tacere
 Cur in talibus abominandis atrociniis non utitur
gladio spirituali per excommunicationem
 eorum Regum, qui putant, sibi licere pro lubitu
 sanguinem humanum fundere.

Observatio II.

*An ex causa non satis liquida Rex
 aliquis vel Princeps possit alteri bellum
 inferre?*

Quamquam hoc punctum ad præcedens
 caput possit referri, ubi de causis du-
 bus fuit actum: placuit tamen huc ponere, ut
 eò magis constet, quid ad *arma justa* requira-
 tur; & quam nullus Princeps debeat in bellum
 prorumpere, nisi adsit causa liquidissima.

Quæstio ergo est, an in causa ancipiti &
 non satis liquida Princeps alteri possit bellum
 inferre?

Franciscus de Victoriâ in rel. de Jur. bell
 num. 27. & seq. postquam docuit, ut Princi-
 pes gerere possint bellum, examinandam esse
 causam magno studio & diligentia, inquit,
 quidnam fieri debeat, quando *Justitia Belli*
 dubia est & anceps: in cujus difficultatis
 enodatione docet primo, si unus ex Regibus
 & Principibus, qui de Regno aut Civitate
 contendunt, est in legitimâ possessione, non
 posse ab altero armis ex illâ possessione detur-

bari. Probat autem primo, quia in dubio **Conditio Possidentis est melior**; secundò, quia, si ageretur inter privatas Personas de simili Jure, nunquam spoliaretur in dubio ille, qui possidet; tertio, quia secundum Leges Principum una privata persona non potest aliam spoliare justâ possessione; quartò, quia, si in dubio liceret uni Principi alterum à possessione depellere, esset justum bellum ex utraque parte, quod absurdum plerisque est: ut ut hoc non absurdum censeant.

Reginaldus Tom. 2. lib. 21. num. 98.

Thom. Sanchez. libr. 6. Decal. cap. 3.

Filliucius Tract. 40. num. 266.

Pesantius 1. 2. quest. 70.

Docet deinde *Fr. de Victoria*, Principem, qui dubitat de **JURE Regni**, quod legitime possidet, debere examinare causam, & rationes oppositæ partis audire; ut, si possit aliquid **CERTUM** invenire, secundum illud justam sententiam ferat, quia Principes in propriis causis Judices sint. Quod si rationibus examinatis utriusque partis adhuc res dubia permaneat: Princeps, qui possidet, non debet **SEIPSUM** spoliare possessione; cum in dubio melior sit conditio Possidentis.

Postremo docet, si nullus ex Regibus, inter quos est Controversia, sit in possessione Regni; & dubia res est, ad quem illorum **Jus Regni** pertineat: si alter illorum velit Regnum

aut Civitatem, de quâ est Controversia, dividi, vel pro altera parte satisfacere, debere alterum consentire in talem divisionem; quod si vellet totum Regnum armis occupare, injustum bellum talem suscepturum.

Hanc verò postremam partem suæ sententiæ probat primò; quia ille, qui in dubio æquali postulat sibi partem æqualem, non videtur injustam rem postulare, ergò potest armis & bello non puniri: deinde, quia aliàs iterum sequeretur, posse dari ex utraque parte bellum justum, quod, ut absurdum, modò ante rejectum est: postremò, quia in tali dubio Judex inter privatas Personas deberet dividere rem, de quâ esset Controversia; ergò etiam inter Principes erit dividenda. Hanc sententiam defendit etiam

Molina Tom. 1. Tract. 2. disp. 103.

Bannez. 2. 2. q. 4. art. 1. dub. 1. concl. 3.

Suarez. de Charit. disp. 13. Sect. 6.

Cui & Nos cum *Grosio* subscribimus.

SUMMA
CAP. VIGESIMI QUINTI
LIBRI SECUNDI.

I.

Docetur, quod arma justè capi queant pro subditis.

II. Nec tamen temere esse suscipienda, ne pro parte tota Respublica in discrimen adducatur.

III. Subditum innocentem pro Salute totius Patriæ deserere aut tradi hostibus posse monstratur.

IV. Bella etiam suscipi posse pro fœderatis, tum æqualibus tum inæqualibus; itemque pro amicis, imo etiã pro hominibus quibusvis.

V. Possetamen etiam talia bella sine injuria omitti; in primis si manifestum sit periculum in tali bello.

VI. Quin & pro alienis subditis, contra magnam tyrannidem defendendis, juste arma capi posse docetur.

VII. Ostendit Grotius, nullum Genus hominum esse sceleratius, quam eorum, qui sine Causæ respectu mercede conducti militant.

Observ. I. ad th. 3.

An Civis innocens possit deserere & hosti tradi?

HOc punctum Doctores in diversas sententias traxit: Grotius affirmat & producit Ciceronem pro P. Sextio, qui ait: *Si mihi in aliqua nave cum amicis naviganti hoc accidisset, ut multi ex multis locis Prædones classibus eam navem se oppressuros minarentur, nisi me unum sibi dedidissent, si id vectores negarent, ac mecum simul*

simul interire, quam me hostibus tradere mallent: jecissem me potius ipse in profundum, ut cæteros conservarem, quam illos mei tam cupidos, non modo ad certam mortem, sed & in magnum vitæ discrimen adducerem. Idem dicit de finibus 3. quæ nobis certa videntur.

Verum majoris ponderis quæstio est, an aliquis civis ad id, quod ex Lege Charitatis & amoris publici facere deberet, cogi possit?

Ubi Zieglerus, Osiander & vander Myelen negant, quibus prævit Fern. Vasquius, qui in illustr. Controv. cap. 13. ait: *discrimen & periculum pro patria, simul cum reliquis civibus idque etiam certatim, appetere tenemur: non autem soli certam mortem appetere.* Van der Myelen ait: Superiorem quidem imperium habere in vitam & bona nostra; ita ut, quoties exigat necessitas, imperare possit, ut vitam pro aris & focis ac patriæ salute tuenda periculo mortis exponamus: verum eam facultatem tam late non patere, ut possit Civem innocentem tradere hosti ad mortem, ut cæteri Cives sint salvi. Imperium enim, quod Princeps habeat in Cives eorumque vitam, fundatum esse in potestate & Jure, quod quisque habeat in seipsum. Atqui eam tam late non patere, ut ad proximum conservandum semetipsum perdat: ergo nec Principem, seu quemcunque Su-

Kk 3

perio-

periolem, tam amplam potestatem jure sibi vindicare posse in Civem innocentem.

Secundo inquit vander Myelen: Si Princeps tam amplam haberet potestatem in Civem, tum illum multo deterioris conditionis fore, quam si in statu naturali constitutus esset; utpote in quo non necessum habuisset pro aliis vitam profundere invitus, quam jam in Civitate constitutus pro publica salute innocens deponere cogitur, ut cæteri salvi & incolumes sint. Et huc etiam respicere videtur Puffendorflibr. 8. c. 2.

Verum enim verò, si dicendum, quod res est, Consul ille Romanus Cicero plus hinc videtur amoris pro Salute publica & Charitatis pro Sociis habuisse, quam Christiani; nam, ut audivimus, promptum se ostendit in redimenda salute plurimorum in navi cum vitæ suæ jactura. Quid non faciat Christianus pro tota Republica?

Secundo Princeps ex Jure Ordinario hanc quidem facultatem non habet, innocentem Civem hostibus tradendi: at si casus est *necessitatis*, & tota Communitas veniat in discrimen; tum sanè ex Jure DOMINII EMINENTIS hanc potestatem habet tradendi pro populo toto unum Civem. Quod autem de *Statu Naturali* dicitur, id oppositum potius probat. Nam si in statu naturali parentes liberos suos vendere ac in servitutem dare possunt: quan-

to

to magis Princeps Civem innocentem vendere vel in mortem dare potest, exigente hoc ultimo necessitatis articulo, atque ubi tota salus Reipublicæ vertitur. Neque alius animus, si rationabilis voluit esse, coeuntium in unam Civitatem fuisse potest, quam ut quilibet paratus sit, se pro salute Reipublicæ sacrificare. Lumen enim ipsum Naturæ dicitur, ut potius pereat UNUS, quam ut pereat UN TAS.

Quod denique Zieglerus addidit de ordine dilectionis, quod nempe Amor incipiat à se, id extensionem accepit à Christo & ejus discipulo Johanne, qui vult, ut vitam ponamus pro fratribus, multo magis pro tota Republica.

Observ. II. ad th. 4. & 5.

An pro sociis arma sumi queant?

Hic certis cautelis opus est: Nempe obligati sumus arma pro sociis induere, si *in fidem* aut *tutelam* nostram se dederunt isti; aut mutua auxilia *facti* sunt: *excipiuntur* tamen bella, quibus *causa injusta* subest. Quod si *nulla spes*: sit boni exitus Ego cum *Zieglero*, alterum ad auxilia nihilominus teneri, puto; aliàs talis fœderatus semper excipere posset, se *non habere spem boni exitus*. Sociis heic fere pares sunt *amici*, quibus quidem auxilium promissum non est, sed tamen *amicitiæ* quadam

ratione debetur, si exhiberi possit *facile & sine gravi incommodo.*

SUMMA
CAP. VIGESIMI SEXTI
LIBRI SECUNDI.

I.

Subditus aut Civis quicumque non tenetur ad bellum sive ad arma gerenda; si sciat causam belli esse injustam.

II. Subditus aut alius Civis, si dubitet, an bellum sui Superioris sit justum, tutiorem partem eligere debet, & bello abstinere, & sic jussa detrectare.

III. Magistratus tales subditos ad bella cogere non debet; sed potest extraordinaria tributa imponere, per quæ alii ad militiam conduci queant.

IV. Subditus in bello Principis sui injusto justè se defendere potest.

Observ. I. ad th. 3.

An Cives in Republica obligentur ad bellum & militiam sequendam, etiam si sciant, quod bellum sit injustum?

Grotius nobilem hanc questionem in cap. 26. tractat, quanquam autem ex
su

supra dictis decidi possit, nōominus plenius eam tractare animus est.

Advertendum itaque est, non esse hoc in loco quæstionem, si Civis saltem *dubitet* de *justitia* armorum, de hoc enim in sequentibus dicendum erit; sed si evidenter sciat, arma esse injusta. Sic in nupero bello, quod Poloniæ Rex contra Regem Suecorum gessit, nulla prius *clarigatione* facta nec ostensis antea rationibus, Saxonia tota, sicut etiam Polonia, novit, quod arma fuerint injusta: quæstio ergo est, quid facere debuissent Subditi Regis?

Equidem non desunt ex Moralistis, qui censent, Civem aut Subditum posse nihilominus arma induere; primò ex eo, quia, si quid in tali bello peccetur contra *justitiam*, tum injustitia redundet in *causam principalem*, non in *instrumentalem*, hoc est, in *Principem* seu *superiorem* in Republica, non in Civem vel subditum; nam inter primas *Moralitatis* causas esse *jubentem*.

Secundo ajūt, in tali bello, injustè à Principe illato, cavendum tamen esse subditis, ne Principem & Rempublicam destituant: itaque pro defensione ad minimum Principis & Rempublicæ arma capi posse.

Verum sententia Grotii longè est melior. Nam primò quæcunque ad FORUM CONSCIENTIÆ pertinent, ea sunt ita consideranda,

da, quod Deus tanquam supremus Judex & Dominus Regimen ac Imperium teneat, non Princeps temporalis, cujus ipsius Conscientia DEO subiecta est. DEO itaque in talibus semper magis est obediendum, quam hominibus, Act. 5. v. 29. Unde Augustinus rectè dicit: *Generale pactum est Societatis humanae, obtemperare regibus suis: quanto magis DEO Regnatori universae Creaturae ad ea, quae jusserat, sine dubitatione servientium est. Sicut enim in potestatibus societatis humanae major potestas minori ad obediendum praepositur: ita Deus omnibus praepositus est.*

Nec obstant Rationes crudiorum Moralistarum, non prima. Quanquam enim Princeps injusta arma gerens magis longè peccet, quam subditus, qui jussa Principis sequitur: tamen quia Subditus non est merum instrumentum; quia porro ad Conscientiam ejusque Imperatorem Deum semper ipsi respiciendum; ideoque & ipse peccabit.

Ad secundum dicitur, quod illa ratio quidem vim aliquam habeat in bello *defensivo*, aut in *Custodia* principis; sed non in bello *offensivo*. Defendere itaque potest & debet Subditus Principem; sed salva Conscientia non potest *innocentem* aggredi & interficere.

Observ. II. ad th. 4.

*Quid faciendum subdito, si dubitet
de Justitia armorum?*

HÆc quæstio multum differt à priori; nam in ea præsupposuimus, quod subditus sciat evidenter, atque adeo in *Conscientia* convictus sit, quod arma Principis sui sint injusta; in hac verò quæstio est, quid faciendum subdito, si dubitet, an Princeps justa arma gerat.

Hic Pufendorf censet, subdito parendum esse. Verba ejus sunt: *si quis dubitet, num satius sit, injuriam Reipublicæ negligere aut condonare, quam bello exigi: is sciat nullo modo videri sufficere hanc causam; quare civis possit imperio civili obsequium denegare, ejusque rigorem in se irritare. Adeoque tutissimum erit, si civis hic simpliciter pareat, summumque imperantem super justitia belli DEO rationem reddere permittat.*

Lambertus Velthufius dissert. de Princip. just. & decori pariter inclinatur in sententiam Pufendorffii. Sic enim loquitur; *Pergimus ad alia, quæ à Magistratu fieri aut imperari solent, & sunt ejus generis, ut licet nonnunquam evenire possit, cum iniquitate ea conjuncta esse, at tamen abstrusiora sint, quam ut cujusvis judicio ea pateant: de iis itaque, quæ hujusmodi sunt, duplex tantum officium privatis re-*
li-

liquum est; vel ad investigationem rei, sine aqua nec ne, non procedere, sed iudicio Charitatis aestimare, ea iuste à Magistratu imperari. Sicut privato non requiritur investigare in causam belli, sine ea iusta an secus; neque necesse est Carnificem instruere de iustitia & aequitate supplicii, quodrens afficitur.

Vel si subditus ad cognitionem de facti aut Legis iustitia atque iniustitia animum adiungit; vel si evitare non potest, quin suo iudicio factum approbet vel detestetur: debet id iudicium esse tantum THEORETICUM & in praxin non deduci; neque obedientiam magistratui denegare, aut aliis persuadere, ne obediant.

Verum nobis sententia Grotii longè in Conscientia TUTOR videtur. Quis enim negabit, quod si quis in bello hostem non unum, sed forte etiam plures occidat; & tamen dubitet, an iustam causam habeat, talem ut hostem occidendi: quod talis occisio sit *formale homicidium*, maxime si is, qui oppugnatur, in terminis defensionis versetur; nihil enim est, quod ipsum ab *homicidio* formali excusare possit, causam enim non habet ipsi adimendi vitam. JUSSIO Principis in FORO EXTERNO ipsum quidem absolvit; sed FORUM INTERNUM ipsum damnat.

Neque Nos ab hac sententia dimoveret Dn. Zieglerus, JCtus alias doctissimus, & in Theologicis non mediocriter versatus, dum ait:

ait: *se per illud Principium, PARTEM TUTIOREM ESSE ELIGENDAM, non moveri; cum potius illa altera regula vulgata sit tenenda: tene certum, relinque incertum.* Jam verò, inquit, certum est, quod subditi obedientiam debeant Magistratui, non præcipienti manifestè impia & injusta.

Hoc, inquam, apud Nos vim non habet. Nam primò periculosè admodum Regula illa, quod *in dubiis pars tutior sit eligenda*, in dubium vocatur; cum ea vacillante tota basis *Theologia moralis* ruinam minetur; adeo, ut ii ex Moralistis, qui verum pietatis sensum habeant, asserant, & rectissimè quidem, quod ne Deus quidem adversus *Legem Conscientiæ* dispensare possit, ut supra tetigimus.

Novimus quidem, quod nonnulli existiment, illud AXIOMA non esse *Legis*, sed tantum *Consilii*, in qua sæda opinione sunt

Castro Palao Tom. 1. disp. 3. c. 3. punct. 6.

Merolla Tom. 1. disp. 3. cap. 3.

Sanchez. in libr. 1. cap. 10;

Imo *Antonius Terillus Jesuita Anglicus* eo usque progreditur, ut in quæst. 20. de Op. magis probabili asserere non erubescat, quod *onus sit intolerabile Conscientiis*, sequi semper in dubiis partem *tutior*, cum quo etiam facit *Honoratus Faber*, Jesuita Gallus, Vir alias eruditissimus in vario genere: Nos

ta-

tamen dicimus, hanc sententiam nemini, rectè rem perpendenti, placere posse, quam quibus laxissima illa Probabilistarum principia placent. Totum enim Probabilismi fundamentum consistit in eo, quod quis non obligatus sit in *dubiis* ad partem *tutior*em, nec in *Probabilibus* ad partem *probabiliorem*, sed quod minus *tutam* & minus *probabilem* eligere pro lubitu quisque possit.

Conferantur magno & fortissimo animo contra Probabilismi monstrum pugnant-

tes

Montaltius in *litteris prov.*

Sennichius in *Saulo ex Rege.*

Mercorus *Inquis. mant. in Bas. Th. Mor.*

Vincentius Contenson. in *Theol. ment. & alii.*

Quod porrò sententiam Dn. Ziegleri spectat, illa ex eo quoque falsa est, quod putat, certiorē esse regulam: *Magistratui esse obediendum*, quam hanc, *Deo magis esse obediendum, quam hominibus.* Act. 5. v. 29. Nam hoc Deus severissime interdixit, ne injustitiam committam⁹ contra *proximum*, atque in primis, ne destinato animo ejus necē intēdamus, quod in bello fit. Neque hīc excusationē habet, quod casus Ziegleri loquatur de *dubio & incerto*, id est, tum demum possit subditus magistratui obedire, quum *dubium* adhuc sit ac incertum, an bellum sit *injustum*.

Nam

Nam id neque *dubium* neque *incertum* est, sed certissimum in F O R O *interno* Conscientiæ, quod in *Dubiis* pars *tuncior* sit amplectenda; sicut & illud certissimum est, quod *Magistratus* neminem in causa dubia debeat adigere ad operandum.

Observ. III. ad th. 5.

An subditus obligatus sit ad solvenda tributa, si dubitet de earum justitia?

Grotius in thesi 5. remedium aliquod proponit, quid faciendum sit Principi, si subditi ejus de Justitia Belli, quod suscipere vult, dubitent. Nam postquam statuisset, illos cogi non posse, ut contra Conscientiam militent hoc remedium à Principe adhiberi posse censef, si tributa subditis imperet, ex quibus postea miles mercenarius conducì possit.

Verum quia subditus itidem *dubitare* potest, an teneatur *tributa* injusta solvere: ideoque à Moralisticis hæc in primis etiam quæstio in Controversiam venit, quousque aliquis subditus in tali casu obligetur.

Hic verò *Villalobus*, celeberrimus Scriptor Hispanus, in summ. Tom. 1. tract. 1. diff. 26. putat, subditum non esse obligatum, in primis si sint tributa nova, citatque pro suâ sententiâ *Castrum & Azorem*. In eadem sententiâ est etiam
Lu-

Ludovicus Carbo *in tract. de restit. quest. 33.* ubi sic ait: Antiqua tributa, seu Gabellæ veteres, censeri debent justæ, ac pro talibus sunt agnoscendæ, ac consequenter in dubio eas defraudare non licet; cum ad minimum adsit præscriptio: novæ verò gabellæ, præsertim in rebus ad usum quotidianum pertinentibus impositæ, si manifestam non habent causam, fraudari possunt. Sic ille.

In eâdem quoque est sententiâ Molina *de Justit. Tom. 3. tract. 2. Disp. 27. num. 7.* sic asserens: Si tributa sunt nova, & non constat de illorum Justitiâ, sed dubitatur, an desit aliquid ex requisitis, ut sint justa: affirmant Doctores, non deberi in Conscientiâ, sed Principem superiorem posse falli, modo perjuriam & mendacia non interveniant; imò denegari posse, si absit scandalum.

Ratio hujus Authoris est, quia in dubio melior est conditio populi possidentis; &, quia ejusmodi nova tributa censentur injusta, prius oportet Justitiam eorum declarare & manifestare, antequàm solvantur.

Quod si subditis ratio & causa tributi illius significetur, & illi adhuc dubitent de illius justitiâ: adhuc Subditos non esse obligatos ad illa solvenda in Conscientiâ; necessum tamen esse, ut etiam consulant peritos, & accuratè atque diligenter in justitiam vel injustitiam tributi inquirent, ne videlicet dubium illud fiat

fiat affectatum tantum, & ex negligentia ortum. Eandem sententiam secutus est Fallucius *Tom. 2. tract. 28. part. 2. cap. 7.*

Driedo libr. 2. de libert. Christ. cap. 5.

Joh. de la Crux in director Consc. part. 1. quest. 7. art. 3. dub. 1. conclus. 2.

Ubi respondet ad illud argumentum pro sententia opposita, nempe in dubio præsumentum esse pro Rege; dicit enim hoc debere intelligi, quando non agitur de interesse ipsius Regis, ut est in casu, de quo loquimur.

Leonhardus Lessius lib. 2. cap. 33. aliam viam ingreditur; dicit enim, verius esse, ut subditi teneantur ad solutionem vectigalis novi, non esse necessarium, ut ipsis constet esse justum: sed satis esse, si non habeant probabiles rationes, ob quas probabiliter possint judicare, esse injustum. Si tamen, pergunt, tales rationes habuerint, non tenebuntur in Conscientia solvere. Citat pro se Petr. Navarrum lib. 3. cap. 1. n. 263.

Rationem pro primâ parte affert hanc: quia subditus in dubio negativo, id est, quando dubitat ex IGNORANTIA, quod in neutram partem rationes habeat, tenetur se conformare judicio superioris; nullam enim habet causam, cur contra sentiat.

Secundò inquit, quia Princeps, ut possit imponere vectigal, non necessario debet esse certus speculative de Justitia vectigalis; suffi-

cit, ut de ea rationes habeat probabiles. Quis enim in actionibus suis sententiam probabilem sequi potest: ergò subditus ut obligetur solvere, non necessarium est, ut habeat rationem probabilem credendi esse æqua vectigalia.

De alterâ parte assertionis, videlicet subditum non teneri, quando sunt probabiles rationes, esse certum ait, quod illa sit communis Doct. Antonii, Navarri & aliorum &c. Ratio ejus est, tùm quia subditi se possunt confirmare opinionis probabilitate; tùm quia in tali dubio melior est conditio Possidentis. Nec, pergit, obstat, quòd Princeps justè possit exigere; quia utraque pars Jure suo utatur, dum probabiles rationes sequitur. Ignorantia enim veritatis facit, ut utraque pars propter rationes veritatis, speciem habentes, bona fide Justitiam pro Se stare putet.

Verum hæc Sententia Moralistarum est falsissima. Nam primò habemus expressum Scripturæ Sacræ Textum Rom. 13. 6. 7. Ideo & tributa præstetis; Ministri enim DEI sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergò omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Neque hîc ulla est limitatio, tunc videlicet esse tributum aut vectigal dandum, quando certò cognoscitur illud esse justum; tunc verò non esse dandum, quando probabiliter subditi censent esse injustum: sed est

pro:

propositio absolutissima, sicut illa Matth. 22. v. 21. Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Sanè si hæc Moralistarum limitatio esset justa, haud dubie Pharisæi taxassent Christum, quod tam absolutè loquatur; quin ipsi Judæi sine dubio ex rationibus probabilibus conclusere, se non debere tributum solvere Cæsari, atque illam impositionem esse Tyrannicam, & nihilominus Christus eos adstringit ad solutionem.

Secundo hæc sententia est via plana ad rebelliones, deceptiones, fraudes & omnia mala. Quòd si enim semel hoc privilegium subditis, quibus alias, teste etiam Tacito, nihil nisi obsequii gloria relicta est, concedatur, examinandi videlicet acta Principum, Regum &c. & inquirendi in eorum leges & præcepta, an sint æqua vel iniqua: quid aliud sequetur, nisi mera Confusio, turbæ meræ, dissolutio Regnorum & Imperii?

Tertio Jus imponendi vectigalia & tributa est jus quoddam, quod Principes & Reges habent, non à populo, ut somniant Moralistæ, sed à Deo; à quo enim habent Majestatem, ab eo habent etiam illa, quæ Majestati annexa sunt; unde dicuntur Jus habere non tantum in Bona Subditorum, sed etiam in Vita. Si itaque hoc posterius Jus ipsis competit, quod tantò excedit alterum, quantum id, quod est reparabile, & quod est irreparabile: cur non etiam hoc habebunt?

Denique, quod de probabilitate adductum est, illud prorsus absonum est, & dudum explosum. Probabilitas enim in talibus casibus prorsus non potest esse principium agendi bene & tutò in Conscientia; sed est regula agendi arbitraria, spuria, ex orco cum Authoribus suis nata. Habemus hîc præceptum Dei, quod omnes illas probabilitates improbabilis facit, quando Petrus I. Epist. 2. v. 17. ait: Regem honorate, servi subditi estote cum omni Timore Dominis non solum bonis & æquis (qui æqua tributa imponunt) sed etiam DURIS, qui subditis suis gravia vectigalium onera imponunt. Talis igitur requiritur subiectio Legis Divinæ, quæ etiam injuriæ patientiam secum ferat; sicut de Parentibus dici solet:

Amet Parentem, si æquus est: si non, feras.

Et de Lyfimacho Justinus: magno animo Regis, velut Parentis, contumeliam tulit.

Observ. IV. ad eandem th.

An causidicus sive advocatus possit dubiam causam tueri?

HOc punctum à Grotio quidem non tangitur: censemus tamen propter affinitatem materiæ, & quasi supplementi loco, haud incongrue huc apponi posse.

Ubi

Ubi ante omnia tanquam certum & undique concessum supponendum est, non posse Advocatum causam manifestè injustam tueri; hâc enim ratione fieret Patronus malitiæ, & derivaret in se alterius peccata: solum ergò defendere potest, si post sufficientem diligentiam adhibitam anceps videtur Justitia. Ita docet

Anton. 1. p. tit. 1. cap. 19. 8.

Angelus verb. Advocat. n. 17.

Sylvester quæst. 10:

Navarrus in Summ. cap. 25. n. 28.

Intelligunt autem prædicti Authores, tunc esse Justitiam dubiam & ancipitem, quoties sunt variæ & contrariæ de eâ opiniones. Cum his etiam sentit

Sotus libr. Just. quæst. 8. art. 3.

Et addit hanc sententiam esse veram, quoties æque pendet dubitatio in utramque partem; quia res vel factò vel jure in DUBIO est: intelligunt autem, tunc æque in dubio esse utramque partem, quoties æque probabilis est.

Quod si Advocatus intelligat majorem esse probabilitatem alterius partis, vel propter probationes facti vel propter fundamenta JURIS: tum censet SOTUS opus esse distinctione. Aut enim agitur de Causâ sanguinis, vel mortis vel honoris. Et in his Casibus inquit SOTUS, non licere PATROCINARI contra probabiliorem sententiam contra vitam aut hono-

rem alicujus; quia in dubiis, inquit ille, melior est conditio possidentis, præsertim in favorem honoris vel vitæ, cum etiam in dubio nullus sit condemnandus. Idem censer, quando ageretur de omnium bonorum Possessione &c. In aliis vero causis minoris momenti, inquit Sotus, licet vix possit sine periculo patrociniū concedi contra probabilio-rem opinionem: si tamen loqui velimus secundum severas leges Conscientiæ; non est, cur Advocatum condemnemus, quòd contra probabilio-rem partem patrocinetur; dum tamen Clientem admoneat, partem ejus non esse ita probabilem, sicut alteram. Huic adstipulatur

Joh. de la Cruce *in director. Conf. part. 1. præc. 8. art. 5. dub. 1.*

Malderus *in p. 2. 419. disp. 86.*

Martinez, *in p. 2. Tom. 1. quest. 19. art. 6. dub. 6.*

At verò hæc Soti & sequacium distinctio invalida videtur. Nam quòd in lite agatur de causa mortis & sanguinis, vel de possessione omnium bonorum aut agatur de re minoris momenti, parum refert, ut dicamus, in uno casu non licere patrocinari contra probabilio-rem opinionem, in alio autem casu licitum esse: sed hoc tantum sequitur, non esse tam magnum peccatum, in re parvi momenti patrocinari parti minus probabili, quam in re magni momenti. Nam sicut in causâ majori me-

melior est conditio possidentis, ita etiam in minori melior est; ac proinde si in Causâ majoris momenti non licet contra ipsum patrocinari, cum ei probabilior opinio suffragetur, eodem modo non licet in causa minoris momenti.

Audacior est Diana, qui ait, posse Advocatum absolute in causis dubiis defendere partem minus probabilem, citatque pro se

Franc. de Lugo *Princ. Theol. Moral. part. 1.
q. 0. c. 3.*

Casp. Hurtado *in part. 2. tract. de Bon.
& Malit.*

Baunium *in Theol. Moral. Tom. 3. libr. 3.
Præpositum in p. 2. Th. quest. 19. art. 6.*

Castro Palato *Tom. 1. Tract. 1.*

Salam *part. 2. quest. 21.*

Escobar. *in Theol. Moral. Exam. 3. de
Consc.*

Montesinum *in Theol. Moral. Exam. 3.
de Consc.*

Perez *in Laur. Salamant. Cort. 10. dub. 2.*

Rationes ejus sunt: quia Advocatus prudenter agit, dum probabili sententia ducitur ad patrocinandum, licet altera sit probabilior, nec ulli facit injuriam; & jura, inquit, concedunt inter duas opiniones unam eligere.

Secundo officium Advocati tantum est, proponere fundamenta pro parte sui Clientis;

dummodò verè recitet leges & loca, quæ in favorem illius adducuntur.

Tertio contingere potest, quòd illa opinio, quam Advocatus judicat minus probabilem, ex opinione Judicis sit probabilior, & quòd tandem sententiam ferat in lite, conformando se illi. Ergò, colligit Diana, licitè potest Advocatus patrocinari, sequendo sententiam minus probabilem.

Sed hæc sententia Nobis non placet; & si omnibus displiceret, non ita fora frequentarentur; nec litibus mundus ita impleteretur. Nam primò, Advocatus partem minus probabilem defendens directè hoc agit, ut causa injustè decidatur, quod procul dubio est illicitum, & in Foro Conscientiæ prohibitum; agit enim, ut causam cum minore Jure obtineat.

Secundò quod non licitum est Judici facere, illud etiam non licet ab eo petere, ut faciat; at non licet Judici judicare pro parte minus probabili, relictà probabiliore, ut docent meliores Moralistæ: ergo &c.

Tertio si cum Fratre v. gr. sum relictus æqualiter hæres bonorum Patris, non est mihi licitum agere, ne Fratri quicquam detur; sed debeo esse divisione contentus: ergò, si non habeo æquale Jus, ut viderur in minus probabili causâ; non possum contra alterum agere, nisi ad summum, ut dividatur res, quæ sub
lite

lite est, nullo autem modo possum totam eam mihi vindicare. Minister itaque injustitiæ est Advocatus, qui Clientem in tali casu adjuvat.

Ex dictis elucescit, *quid sentiendum sit de illa propositione, que apud hodiernos Moralistas infrequens non est*: Quamvis actor nullum jus in rem, quam petit, videatur habere, potest illi Advocatus patrocinari.

Sic Caramuel libr. 3. Theologia moral. numer. 1470. ait: si actor, velit nolit Advocatus, accusare vult, vel etiam de facto accusavit: **TAMETSI NULLUM JUS VIDEATUR HABERE**; potest illi Advocatus patrocinari, nimirum quantum per leges licet, examinando bene testes, eorum responsa conferendo & notando. Sæpè enim contingit causas benè fundatas malè cedere, & sæpè male fundatas bene succedere.

Oppositum expressè docet D. Thomas 2. 2. quæst. 71. art. 3. in corp, ubi sic discurret: Illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, aut qualitercunque consentiendo; quia consilians & coadjuvans quodammodo est faciens; & Apostolus dicit ad Rom. 1. 32. quod digni sint morte non solum, qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus; unde & supra dictum est, quod, omnes tales ad restitutionem teneantur. Manifestum est autem, quod Advocatus & auxilium & consilium præ-

stet ei, cujus causæ patrocinator: unde si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Et rursus ibidem in solutione ad 2. Advocatus (inquit) si in principio credidit causam justam esse, & postea in processu non appareat: non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet, potest tamen & debet causam deserere, ve eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.

Confirmatur ex Augustino epist. 54. sic dicente: *Si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato: redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfueristi, fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* Et infra: *quis tandem Advocatus facile reperitur, qui suscepto suo dicat: recipe, quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti. & redde adversario tuo, quod me agente inique abstulisti? & tamen, quem prioris non recte vita rectissime pœnitet, etiam hoc facere debet? Ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem; nisi forte restituendum est alienum, quod per furtum clanculo auferitur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata*

pmiuntur, decepto Iudice & circumventis legis obtinetur.

SUMMA
CAPITIS PRIMI
LIBRI TERTII.

I.

TRactat in hoc capite Grotius punctum illud grave, quid in hostem liceat.

II. Ostendit Auctor, quod liceat hostem occidere, rem ejus invadere, diripere, & si bellum pœnale sit, etiam per incendia vastare.

III. Jus etiam nasci potest belligeranti ex causis subnascentibus: sic qui se bello miscet, vel ut socius adjungit, præsertim injusto, obligat se ad damna facienda.

IV. Jus etiam nascitur plus accipiendi in bello, quam nobis debetur; ita tamen ut obligatio adsit restituendi pretium ejus, quod redundat, cessante scilicet bello.

V. Quin & Jus mihi est in eos, qui res hostibus subministrant; nempe si res sint tales, ut in bello tantum habeant usum, non verò, si planè nullum.

VI. Explicatur per varias distinctiones an & quomodo *dolus* vel Stratagemata in bello sint licita.

VII. Quomodo mendacium sit licitum, itidem explicatur,

VIII.

VIII. Falsiloquium non licet adhibere in promissionibus.

IX. Nec in juramentis.

X. Generosius tamen esse aasserit Grotius, si falsiloquio omni abstinetur, etiam cum hoste agendo.

Observ. I. ad th. 2.

An ea, quæ ad finem ducunt in morali materia, estimationem suam intrinsecam habeant à fine?

Hoc axioma sæpè locum habet, sed non semper & ubique. Advertendum itaque, quod ea, quæ ad finem ducunt, titulum *Mediorum* gerant. Media autem sunt in triplici differentia; quædam enim sunt ab intrinseco bona, quædam indifferentia, quædam mala: finis contra in agentibus moralibus tantum inter duo extrema versatur, nempe inter *Bonum & Malum*; nulla enim actio humana, & quæ in certum finem tendit, est indifferentis. Itaque si finis intrinsecè bonus sit, tum bonitatem exinde quoque capiunt media, videlicet, quæ alias ex se sunt indifferentia; aut si ex se bona quoque media sunt, tum ex fine nova bonitas accedit: at si medium malum sit, tum refunditur quoque malitia in finem alias bonum. Exempli gratia, si quis furetur, ut ex furto opus Charitatis possit exerce-

ercere: tum *medium* illud sicut *malum* est, ita etiam vitiat finem, videlicet *Charitatis*, qui alias bonus est. Grotius noster axioma suum applicat ad materiam de *conservatione* sui; hunc finem, quia in naturali Jure suum habet fundamentum, Grotius putat, me ita sine ulla læsione Juris intendere posse, ut possim etiam alium innocentem occidere, si sine ejus cæde vitam meam conservare nequeam.

Verum utut non negemus, id in Foro externo & soli impunitatem habere: in foro tamen interno & coram tribunali divino talem homicidam excusatum omnino non esse. Nam talis si passivè se haberet; & potius mallet periculum vitæ præsens incurrere, quam ut alium occideret: procul dubio melius faceret, quam si *active* se gerit, & *proximum innocentem* occidit. Regula Charitatis Christianæ, hanc nobis licentiam non concedit: quam Regula alias vulgata sit, quod amor proximi cedere debeat amor proprio. Sanè Christus pro nobis pati & mori non potuisset, si hanc regulam sequi voluisset: *Amor incipit à se*. Accedit, quod *patienda* nemo peccet, sed *agendo*.

Qui ergò mallet vitam propriam amittere, quam *innocentem* occidere, in Nostra sententia longè melius faceret.

Observ

Observ. II. ad Thes. 4.

*In quo consistat dominium Dei in
Creaturas, imprimis in racionales?*

Punctum hoc in præcedente libro tactum, sed non excussum est. Grotius de eo de novo tractat in thesi quarta, cum ait, quod id, quod Deus facit, in exemplum non sit trahendum, ob plenissimum DOMINII JUS, quod Deus in Nos habeat.

Quæstio ergò magna est inter eruditos, in quo consistat istud *Jus Domini* divini, ubi tres sunt principales sententiæ. Nam duriores Reformati, quorum primus est Guil. Twissus Anglus, statuunt, quod Deus ex illa *ὑπεροχῇ* & præ eminentia, quam habeat præ Creaturis, ita absolute possit circa eas disponere, ut non saltem eas pro lubitu annihilare queat, sed & æternis cruciatibus afficere, etiam si *innocentes* sint.

Secunda sententia huic extremè opposita dicit, Dominium divinum in Creaturas, maxime racionales, non consistere in *ὑπεροχῇ* seu præ eminentia, sed potius in ejus beneficiis; ita ut Deus plus non possit mali inferre Creaturæ immerenti, quam beneficii dederit; Jus itaque Dei mensurari ex ipsius beneficiis divinis. Et hæc sententia est Curcellæi & aliorum Arminianorum.

Ter-

Tertia sententia media est inter utramque, & asserit, quod ὑπεροχή sive Majestas divina fundamentum saltem remotum sit Juris divini in Creaturas; proximum esse **DEPENDENTIAM** Creaturarum à Deo in *fieri*, in *esse*, & in *conservari*. Act. 17. v. 28. Sicut enim pater jus habet in liberos ex titulo *Generationis* & *alimentationis*: ita à fortiori Deus, à quo longè magis vitam, naturam & totum esse habemus, quam filius à Patre, Jus ac potestatem in nos habet, quia nos creavit & conservat.

Interim hoc ipsum Jus Deus mire temperavit, dum fœdus Mediatore Christo sancivit cum homine; ut jam ipsum fœdus Evangelicum sit **FUNDAMENTUM PROXIMUM** Juris in Nos. Neque enim aliter vult nobiscum agere, quam ut in verbo Evangelii revelavit; adeoque non ex potentia, seu *dominio* quodam *absoluto*, sed ut mitis ac benignus Pater nos tractat. Quod ipsum si observatur, tum facile erit, ad duriorum Reformationum rationes respondere.

Hinc etiam sententia *Trivissi*, quanquam subtilissimi Viri, nullatenus est admittenda; quasi Deus vi *dominii* sui *absoluti* innocentem Creaturam æternis cruciatibus afficere queat: nec ratiocinia ejus ullum fundamentum solidum habent.

Primum est: Deus potest annihilare sanctissimum quemque, prout fatetur Arminius
(nam

(nam contra hunc disputat Twissus): ergo multo magis innocentem, vita donatum, in æternum affligere poterit; quandoquidem non saltem juxta Scholasticos, sed & juxta Augustinum eligibilis est, esse sub pœna quacunque, quam non esse.

Secundo potest Deus ex absoluta sua potentia, si velit, omnes infantes damnare propter peccatum Adami, utpote quod ex sola Dei constitutione derivatur in infantes. Quare quod potest Deus intercedente libera sua constitutione, illud etiam absolutè poterit, vel sine aliqua constitutione intercedente. Neque enim libera aliqua constitutio Dei extendit limites divinæ Omnipotentiae, imo potius ut plurimum contrahit.

Tertio potest Deus immerentem æterna quiete donare; addo peccatorem, etiam mortem commertum, potest æternæ vitæ fruitione cumulare: ergo potest etiam immerentem æterna pœna cruciari.

Verùm enim verò hæ rationes nullius sunt momenti: non prima, cum ait, Deum posse sanctissimum quemque annihilare, ergo multo magis immerentem in æternum affligere; nam à *potentia* ad annihilandum, a potentia ad cruciatus æternos in innocente non valet consequentia. Posterius est CRUDELE, & Deo, qui essentialiter BONUS, indignum. Et sane æternos

cru-

Cruciatu, meretur, qui ex Deo mitissimo & clementissimo tantum Tyrannum facit.

Unde secundo etiam antecedens nobis falsum est, quod Deus sanctissimum v. gr. Angelum aut hominem beatum possit annihilare; repugnat enim ejus SANCTITATI increatæ, ut *Sanctitatem* creatam & ab ipsa profectam destrueret. POTENTIA ergo divina semper ita consideranda est, quod Regulam habeat INTERNAM, videlicet *Justitiam, Sanctitatem, Bonitatem, Clementiam & Misericordiam divinam.*

Observ. III. ad Thef. 5.

Quo in loco sint habendi, qui hostibus res aliquas subministrant?

Grotius distinguit RES; quædam sunt quæ usum tantum habent in bello, ut *arma*: quædam, quæ voluptati tantum inserviunt, ut sunt histriones, scenicæ artis artifices &c: quædam sunt, quæ in bello & extra bellum usum habent, ut sunt pecuniæ, comæ, frumentum &c. In primo genere, inquit Author, res est facilis decisionis, quod scilicet etiam ille hostium loco sit, qui arma hosti subministrat. Secundum genus, ait, querelam non habet. In tertio genere putat distinguendum esse belli statum. Nempe si

M m

tue-

tueri me non possum, nisi, quæ mittantur, interceptiam, tum Necessitas jus dat, sed sub onere restitutionis.

Magnum & illustre hujus rei exemplum habemus in præsentè bello contra Gallos, ubi Angli & Hollandi naves omnes, quæ Gallia, cum extrema fame luctanti, frumentum afferunt, capiunt: nec censemus hoc iniquum, aut contra Jus Naturæ. Quanquam enim contra *Naturam* videatur, multa millia hominum fame necare velle: tamen quia Rex Galliaè injustissima arma fert; quia porro tanta est ejus potentia, ut omnia media sint adhibenda, ut effrenis illa ambitio in ordinem cogatur; quia tertio facile se ab illa fame liberare potest, si videlicet æquas pacis conditiones admittat; unde *damnum, quod sua culpa sentit Gallia, sentire non videtur*, uti est in Legibus Romanis.

Quod si enim injustum non est, Urbem aliquam fame expugnare, & ad deditionem cogere: injustum etiam non erit, Regnum aliquod, quod toties fidem fregit, per famem ad honestam & diuturnam pacem cogere. Neque hic opus est, ut Hollandi vel Angli intercepta suo tempore restituant; tam immensi enim jam sumtus sunt ad bellum hoc gerendum impensi, ut tota Gallia par non amplius sit ad eos restituendos. Quanquam nihil justius sit, quam ut injusti belli Author ad impensas cogatur.

Non

Non malè *Cyriacus Lentulus* de Jur. B. & P. ait: *Si armorum in hostilem regionem, si com-
meatum, si pecunia, & annona in vectio, Rei-
publica detrimentum aliquod, morando belli exitu,
vel confirmando in nos hoste, allatura est: boni
militie Ducis non videtur, eam rem in. negligen-
dis habere; atque hæc sola sunt tempora, quibus
invadendi aliena plaustra vel navigia facultatem
jura nobis in manus porrigunt; nec vituperio bel-
lanti datur, quod juris Gentium consensus facit.*

Observ. IV. ad Thef. 8.

*An voces sint merae inventionis
& Institutionis humanae, atque an Verba
naturæ suæ citra hominum Voluntatem
nihil significant?*

Grotius affirmativam tenet sententiam in
loco assignato, quæ etiam est commu-
nior apud Doctores. Verum uti lubentes con-
cedimus, quod post nostros primos Parentes
linguæ & sic etiam voces debuerint addisci:
ita contra censemus, quod prima Lingua & ha-
bitus loquendi Adamo fuerit à Deo collatus
& concreatus.

Movemur primò, quia Deus statim post
Creationem cum Parentibus nostris primis lo-
cutus est; Legem dedit, ac fœdus cum iis pe-
pigit; quod necessario supponit colloquium
non unum inter Deum & primum hominem.

At quomodo Adamus cum Deo loqui potuisset ea hora aut die, quo creatus fuit; aut quomodo Deum loquentem intelligere potuisset, si non intellexisset verba, sed eorum sensum addiscere debuisset; aut quomodo potuisset talem sensum addiscere?

Secundo de primo nostro Parente constat, quod statim post Creationem, cum Deus ipsi tanquam novo Domino animantia adduxisset, ipsis convenientia nomina imposuerit; Nomenclaturam ergo habuit concreatam.

Tertio post Creationem Evæ, tanquam Sociæ, Adamus statim prolixè discursum habuit sapientissimum de matrimonio, atque arcto ejus vinculo; qui sanè discursus infallibile argumentum est, quod Adamus fuerit eloquentia, quæ necessariò verba significantia in promptu habere debet, instructus. Sicut ergo Deus organa ad verba proferenda dedit Adamo, ut Os & linguam, quibus conceptus animi sui significare posset: ita etiam dedit habitum verborum.

Consentit Nobiscum Vir doctissimus Joh. Clericus, cujus verba ita habent: *Sunt ex Veteribus & Recentioribus, qui primos Parentes se mutuo primum non intellexisse, & linguam non nisi sensim inventam existimant. Verum ut, ad pleraque vocabula rerum, quarum nullus eis erat usus, quod attinet, concedi hoc potest: ita in summe necessariis non videtur Deus iis maxima cum*

mo-

molestia invenienda reliquisse. Cum adulti uterque essent à Deo creati, creatus simul in illis loquendi habitus, saltem in precipuis (& quidni etiam in cæteris, quæ ad beate vivendum conducunt, vel saltem in vita cursu suum præstare possunt usum); quod haud multo aliter evenisse crediderim, quam quando Apostoli linguis, quas antea ignoraverant, loqui cœperunt. Is linguam callerre dicitur, qui animi sensa verbis ea lingua usitatis efferre potest, quod longo usu solet acquiri: at Apostoli in se id subito divinius invenerunt, quod non nisi tempore alii homines consequuntur. Quo pacto etiam Adamus & Heva creati sunt cum eodem loquendi habitu, quem nos aliquot annis contrahimus. Qui ergo mentem humanam & mirabile corporis opificium formare potuit, idem, cum probe sciret, quid requireretur, ut sermones inter eos haberi possent, quod usus in aliis creat, primis parentibus sine mora dedit. Ac sane absque eo dono Deum ipsos alloquentem intelligere non potuissent; nec rei fuissent sprete divini moniti, quod non magis quam bruta potuissent intelligendo assequi. Hactenus Vir doctissimus Joan Clericus comment. in Genes. cap. 2.

Observ. V. ad th. 6.

An dolis uti liceat in Bello?

Hanc quæstionem pro ridicula habent Galli, utpote qui sub præsentē Rege Ludovico, per dimidium seculum & ultra, pleraque sua bella per dolos gessere; quin & Legati ipsorum plerique nihil aliud intendēro, quam per dolos & *malam fidem* agere.

Sed non est quæstio, quid Gallica Natio agat, sed quid in re statuendum; ubi, si historiam consulamus, facile patebit, quod bella, aperto Marte & bona fide gesta, à moratoribus Gentibus pro longè gloriosioribus fuerint habita. De Alexandro M. constat, quod suasores, ut Darium de nocte aggredēretur, graviter increpaverit: Romani, dum adhuc virtutes coluere, fraudes non admiserunt, quo pertinet id, quod est apud Livium libr. 41. cap. 27. dum ait: *Majores indicere prius, quam gerere solitos bella, interdum locum finire, Eadem fide indicatum Pyrrho Regi medicum, vite ejus insidiantem: eadem Faliseis vinclum traditum proditorum. Hac Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis græca; apud quos fallere hostem, quam vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus proficere dolo, quam virtute: sed cum demum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque*
arte

*arte, neque casu, sed collatis cominus viribus
justo ac pio bello esse superatum.*

Et sane nihil turpius est, quam quod Christianis, & imprimis Gallis, tanto in pretio non amplius sit VIRTUS, FIDES & SINCERITAS, quam Paganis.

Observ. VI. ad eandem th.

An detur dolus bonus?

HOC punctum agitur inter Theologos & Juris Consultos. Hi enim aperte statuunt, quod detur *dolus bonus*, ut patet ex l. 1. §. 3. ff. de dolo.

Videatur etiam *Gellius Noct. Att. l. 12. cap. 9.*
Festus in voce dolus.

Pufendorf. l. 8. c. 1. §. 11.

Contra Theologi, & imprimis Celeber. Dn. D. Osiander, existimant, dolum ex se & sua Naturâ importare *malitiam*; imprimis autem repugnare scripturæ sacræ. Apud Pontificios etiam non desunt, qui DOLUM ex se & sua *Natura* malitiam importare asserunt, quos inter haud postremum locum occupat *Sinnichius* in tractatu, quem inscripsit *Saul rex - Rex*.

Grotius noster distinguit inter *dolum* negative & positivè talem. Dn. *Ku'pisius* in Collegio Grotiano insistit vestigiis Grotianis, & dicit, quod *dolus* in actu negativo spectatus, non sit illicitus; quia per illum regimus & occul-

tamus aliquid, ad quod aperiendum vel detegendum non sumus obligati: alius verò, inquit, consistit in *actu positivo*, quando scilicet extrinseco signo aliter, ac alter putat, utimur; idque, si in *rebus* consistit, *simulatio*, si in *verbis*, tum appellari solet *mendacium*.

Unde facilè patet, quod tota hujus materiæ explanatio partim sit *LIS de voce*; partim ex eo dependeat, an *MENDACIUM*, quod est species doli, *licitum* sit; an verò generaliter omne sit *viciosum*? ideoque plenius de eo in seq. tractabitur.

Observ. VII. ad th. 9.

An mendacium omne sit peccatum, & an simulatio etiam illuc trahi debeat?

HOc punctum latè tractat Grotius per rationes *pro & contra*: ex Patribus duo sunt nobilissimi, *Augustinus* scilicet & *Hieronymus*, quorum hic, distinctione usus, non omne mendacium dixit esse malum seu *peccaminosum*; contra verò *Augustinus* cum magno fervore oppositum defendit.

Grotius noster in sententiam magis Hieronymi inclinat, & distinguit inter mendacium in *sensu laxiore* & in *sensu strictiore* tale. Prius non esse peccatum, ait, sed posterius; nam mendacium in priore & latiore acceptione nemini nocere, nec in præjudicium proximi tendere sed esse meram *discrepantiam* oris & cordis

Pu-

Pufendorf. libr. 4. cap. 1. ab hac sententia in re non abit, licet alium afferat modum explicandi; ait enim: Si alteri nullum est Jus, ut animi mei sententiam liquido debeat intelligere; neque alteri noxa aliqua præter meritum inferatur: nulla apparet ratio, quare, si ita mihi expediat, ego istis verbis ad alterius potius quam meum arbitrium, uti debeam. Hinc putat, talem dissonantiam oris & cordis, ubi proximus non læditur, falsiloquium quidem esse; sed non formaliter MENDACIUM, quod utique per se turpe sit ac vituperabile.

Verum enim verò, quamvis illa *discrepancia Oris & Cordis* non sit tam enorme peccatum, si nulli per eam noxa inferatur, quam est, si proximo damnum inferatur: tamen illa *DISCREPANTIA & DISSONANTIA animæ & linguæ* vera est peccatum.

Nam primò *mendacium* omne repugnat *Veracitati Divinæ*, quæ est *Attributum* quoddam in ipsius sanctitate fundatum. Unde sicut generaliter Deus præcipit, ut sancti simus, sicut ipse sanctus est: ita specialis quoque est obligatio respectu *Veracitatis Divinæ*. Quo pertinet etiam illud, quod ipse Grotius citat ex *Ps. 7. ubi David de Deo veracissimo ait, perdes mendacia loquentes: & Paulus Colossenses suos hortatur, ne mentimini alter alteri Col. 3. v. 9. Quare cum & DEUS sit veracissimus; & veracitatem* severe præcipiat: nullo

modo cernitur, quomodo non omne mendacium sit malum.

Secundo Notabilia sunt Verba Hugonis, dicentis: *mendacium est Idioma, quo utuntur, qui sunt de regno Diaboli; unusquisque enim loquitur linguam suam, in qua natus est; atque ita, quia MENDACES de PATRE DIABOLO nati sunt, juxta Ambrosium, gentis sue idioma loquuntur. Contra verò veraces utuntur idioma Regni, ad quod pertinent; Et cum ex DEO nati sint, qui ipsissima veritas est, genus ac gentem suam locutione veraci produunt.* Unde etiam Augustinus testatur, se non mediocriter dolere, PATROCINIUM mendacii ab Hieronymo tanto viro in Ecclesia fuisse susceptum.

Tertiò respiciendum in talibus ad primam hominis conditionem, quæ erat optima & perfectissima; prodiit enim homo primus ex manibus Creatoris sui ad imaginem ejus, quæ erat VERITAS & JUSTITIA, ut constat ex loco Ep. Eph. 4. 24. Ubi Paulus Christianos omnes hortatur, ut ad statum *primi hominis* contendant, qui erat *secundum Deum in veritate justitiæ & sanctitatis.* Quoties ergò homo Christianus mentitur, sciat, se violasse *imaginem divinam*, in se instaurandam,

Et in hoc consentientem habemus Theologum cordatum & celebrem Heideggerum, qui ait: *Nemo sine injuria DEI mentiri potest; quia homo aliquid cogitans vel loquens cogitare vel lo-*
qui

qui debet, ut *Creatura Dei ad imaginem ejus condita*. Cum igitur aliquid loquitur, non ut *imago Dei*, non ut teste *Creatore suo*, nomen *Dei* & *Christiani in vanum ducit*, adeoque *Deum dedecorat*, & *injuria afficit*. Cum porro *VERITAS nihil aliud sit quam RECTA RATIO*; & quicquid extra *recte rationis prescriptum exorbitat*, peccatum sit: mendacium omne pe. se illicitum & vitiosum intelligitur. Cumque *Deus*, conditor sermonis, homini usum ejus concesserit, ut ejus subsidio animi secreta, non nisi coram solius *Dei oculis nudi* & *resupinati*, involutam notionem explicaret; atque ut socialia animantia societatem mutuam colere valerent; divinum hoc institutum & nobilissimum humana societatis *commodum* MENDACIUM prorsus intervertit.

Omne genus mendacii, inquit *Isidorus*, summopere fuge; nec casu, nec studio loquaris falsum. Nec per testes mentiri studeas, nec qualibet fallacia vitium alicujus defendas. Cave mendacium in omnibus, mendacio enim fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur. Nullum justum mendacium, omne mendacium peccatum est, omne, quod à veritate discordat, iniquitas est. Leges seculi falsarios damnant, puniunt mendaces, fallaces perimunt. Si mendacium apud homines lege damnatur, si fallacia humano judicio plectitur, si falsitas capitali pœna conscribitur; quanto magis ante Deum, testem ver-

„borum & operum, ante quem & de otioso
 „verbo rationem unusquisque reddet, ante
 „quem & pro otioso sermone pœnas quisque
 „luet? Osenim, quod mentitur, occidit ani-
 „mam: & perdes omnes, qui loquuntur men-
 „dadium: &, testis falsus non erit impunitus.
 „Qui rursus lib. 2. sententiarum C. 30. sum-
 „mopere, inquit, cavendum est omne men-
 „dadium, quamvis nonnunquam sit aliquod
 „mendacii genus levius, si sc: quis pro sa-
 „lute hominum mentiatur. Sed quia scri-
 „ptum est, os, quod mentitur, occidit ani-
 „mum, &, perdes eos, qui loquuntur men-
 „dadium: hoc quoque mendacii genus per-
 „fecti Viri summopere fugiunt, ut nec vita
 „cujuslibet per eorum fallaciam defendatur;
 „ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam
 „alienæ carni nituntur. Quæ sententia ex
 „Gregorio verbatim descripta est, lib. 18. Mor.
 „c. 4. consonatque Alexander III. inquit:
 „Scriptura Sacra prohibet pro alterius vita
 „mentiri. Et ante hos *Augustinus*, non
 „ideo, inquit, mendadium poterit aliquando
 „laudari, quia nonnunquam pro salute quo-
 „rundam mentimur. Peccatum ergo est, sed
 „veniale, quod benevolentia excusat, & ideo
 „fallacia damnat. Plurimum quidem ad bo-
 „num profecisse homines, qui nonnisi pro
 „salute hominum mentiuntur, non est ne-
 „gandum: sed in eorum tali profectu merito
 lau-

laudatur vel etiam temporaliter remuneratur, benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur, satis est, non etiam ut prædicetur; maxime, in hæredibus Testamenti novi, quibus dicitur: sit *sermo vester* EST, EST, NON, NON; Et lib. *contra mendacium cap. 16.* Quisquis, mihi, inquit, pro persuadendo & defendendo ULLO MENDACIO contradicit, quid dicit, si verum non dicit? si autem propterea est audiendus, quoniam verum dicit, quomodo me, vult facere verum dicendo mendacem? quomodo mendacio patronam sibi adhibet veritatem? an adversario suo vincit, ut à se ipso vincatur? quis hanc absurditatem ferat? nullo ergò modo dixerimus, eos, qui asserunt, aliquando esse mentiendum, id asserendo esse veraces; ne, quod est absurdissimum & stultissimum credere, veritas nos doceat esse mendaces. Quale est enim, ut esse adulterandum, nemo discat à castitate, Deum offendendum, nemo discat à pietate, cuiquam nocendum, nemo discat à benignitate, & esse mentiendum discamus à veritate? porro si hoc non docet veritas, non est verum: si non est verum, non est discendum: si non est discendum, nunquam igitur est mentiendum. Et, superius ibidem proximo capite: hoc scio, inquit, quod etiam, qui docet, oporteat mentiri, verum se docere vult videri. Nam si falsum est, quod docet; quis falsæ velit studere,

Do-

„Doctrinæ, ubi & fallit docens, & fallitur
 „discens? Si autem, ut aliquem possit invenire
 „discipulum, docere se asserit verum, cum
 „doceat esse mentiendum: quomodo erit ul-
 „lum ex veritate mendacium, Johanne
 „Apostolo reclamante; *Omne mendacium non*
 „*est ex veritate?* Non est ergo verum, aliquan-
 „do esse mentiendum; & quod non est verum,
 „nemini est omnino suadendum. Et lib. de
 „Mendacio cap. 8. Quomodo credendum
 „est ei, inquit, qui putat aliquando esse men-
 „tiendum, ne forte & tunc mentiatur, cum præ-
 „cipit, ut credamus? unde enim scire potest,
 „utrum & tunc habeat aliquam causam, sicut
 „ipse putat, officiosi mendacii, existimans
 „falsa narratione hominem territum posse à li-
 „bidine cohiberi, atque hoc modo etiam ad
 „spiritualia se consulere mentiendo arbitretur?
 „quo genere admissio atque adprobatio, omnis
 „fidei disciplina subvertitur: qua subversa
 „nec ad intelligentiam pervenitur, cui capien-
 „dæ ista parvulos nutrit. Atque ita omnis
 „doctrina veritatis aufertur, cedens licentio-
 „sissimæ falsitati, si mendacio vel *officioso* aliun-
 „de penetrandi aperitur locus.

Vid. Kulpisius in Colleg. in Grot.
 Pufendorf de Jur Nat & Gent.
 Obrecht in Coll. msc.

Obsery. VIII. ad th. 17.

*Quid de Retentionibus mentalibus
sit sentiendum; atque an ad mendacia
quoque sint referenda?*

Grotius noster postquam exposuisset, in quibus Casibus falsiloquia & mendacia adhuc excusari queant, exempli gratia: si medicus pro ægri salute falsum dicat; aut si nobis cum hoste res sit; aut si ab homine occidendo grassator avortendus; &c: pergit ad *retentiones mentales*, easque rejicit, nec immerito. Equidem hodierni Moralistæ laxiores operosi sunt in illis defendendis; sic *Tamburinus* in libr. 3. cap. 3. *Diana* 2. part. tract. 1. Miscellan. resol. 3. *Honoratus Faber* tract. 2. de Relig. p. 205. *Corradus* p. 137. prolixi sunt in mendacio illo colorando, & à peccato absolvendo. Quin eo usque progreditur *Corradus*, ut dicat, per hanc doctrinam singularem de retentionibus vel restrictionibus mentalibus possumus innumera peccata vitare, quæ passim aliquot negligentiores admittunt negando vel affirmando passim sine aliqua subintellectione, cum qua conjuncta essent vera &c. videlicet *subintelligendo* aliqua, quibus fiunt vera, quæ annuimus, vel falsa, quæ negamus: ut si quis respondeat peccanti librum &c. dicat, *non habeo*, subintel-

telligendo ita ut *teneat tibi* dare, vel præstare; sensum hîc inquirunt esse verum, si componantur seu jungantur *verba externa cum internis.*

Isti ergo Doctores adeo nihil mali inveniunt in istis *restrictionibus*, ut potius pro medio utilissimo habeant ad multa peccata vitanda,

Rationes porrò pro defensione harum restrictionum affert *Honoratus Faber*, dum *inquit*: cum non rarò nonnulla tegere necessarium sit, & hominum convictus ad sui conservationem id exigit; si silentio veritas occultari nequeat, & ex natura rei debeat esse modus, ut regulam rationis non transgrediens possit quisque verbis absque mendacio veritatem occultare: unde conveniens utique est, ut quis restrictionibus talibus utatur, non exprimendo scilicet totam suam mentem verbis externis; sed partem tantum, licet error in alio, audiente istam propositionem partialem, causandus sit.

Citat deinceps Dominicum à Soto, qui libr. 5. de Just. quæst. 6. art. 2. docet: quod si quis nulla alia evasione possit astuti iudicis interrogationi satisfacere: poterit dicere, *se nescire*, subintelligendo, *ut Tibi dicam*; quia Verbum *sciendi* dicit relationem ad loquelam, ac proinde vere potest dici, *nescio*, subintelligendo ad dicendum.

Hunc discursum putat efficaciter se suadere ex sacra pagina, in qua *usus reservationis mentalis*

alis per exempla sanctissimorum stabilatur; nam prostare Salvatoris nostri optimi & sanctissimi praxin in Evangelio Marci cap. 13, 32. ubi expressis verbis externis dicat, de die illo nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque filius, nisi Pater. Cujus propositionis Veritas compleri debeat per ALIA VERBA in MENTE Salvatoris retenta & RESERVATA: nempe Filius etiam non scit diem extremi judicii, ut vobis revelet, vel non scit ex humanitate.

Secundum Testimonium producit *Hon. Faber* ex loco Joh. 7. 8, ubi Christus dicit, *non ascendam ad Festum*: quod tamen Salvator dixerit sub hac RETENTIONE, *non ascendam vobiscum*, vel non ascendam publicè; postea enim factò ipso ascendit, ut constat ex Evangelista citato, qui ait: *Ascenderunt autem fratres illius, postea & ipse ascendit.*

Verum hæ rationes nullius momenti sunt, & indignum est de *sapientia Hypostatica* dicere, quod *reservationibus mentalibus* usus fuerit, qui VERITAS est SUBSTANTIALIS.

Nec obstat, quòd ipsi tribuatur *ignorantia diei extremi*; id enim intelligendum est quoad ACTUM NATURÆ humanæ. Sicut enim scientia ejus quoad ACTUM NATURÆ fuit *finita*; imò *crevit*, teste Evangelista Luca: ita etiam multa potuit ignorare, *ignorantia non PRÆVÆ DISPOSITIONIS*, sed *simplicis negationis*, quæ sine ullo vitio esse potest. Conferantur hic,

NA

quæ

quæ in Systemate majore Theologico prolixè dicemus.

Neque secunda ratio aliquid probat, cum Salvator dicit, se non ascensurum cum *fratribus* ad festum Hierosolymitanum, & tamen postea *ascendit*; nam juxta *Augustinum* sensus est iste: *non ascendam* ad diem festum hunc, scilicet *scenopegiam*; quia in eo festo ego sum, cum per illud significet, uti per *figuram* VERITAS notatur; quare non opus est, *ut ego ad illud ascendam*, sed ut ille ad me descendat. Aut juxta *Bedam*, *Rupertum* & alios, voluit Salvator dicere, se non *ascensurum* ad consummandum opus redemptionis pro genere humana; cum ad id destinatum sit *tempus Paschatis*, non *scenopegiæ*.

Quare dicimus, tales *reservationes mentales* nihil aliud esse, quam fœdas deceptiones, & & turpia mendacia; quin per eas omnis sermonis usus corrumpitur, ut nemo amplius certus esse possit, in quam partem alterius verba debeat accipere; quanquam & absurdum planè sit hoc inventum. Cum enim institutus sit sermo, ut, quod in animo habemus, efferatur; cogitationum autem nostrarum, quamdiu non proferuntur, in vita humana nullus sit effectus: quomodo tacita illa, & à communi usu abhorrens *reservatio mentalis* poterit tollere effectum illum, quem pro-

prolata verba aliàs producere sunt apta? Enim verò sicut oratio propter alios inventa est, non ut sibi quisque loqueretur: ita ejusdem veritas & falsitas ex iis æstimatur, quæ exprimuntur, non ex iis, quæ supprimuntur, ut una eademque oratio expressis & suppressis verbis constare non possit, ut inquit doctissimus Heideggerus Corp. Theolog. l. 14. sect. 4. Non displicet tamen hæc ars Jesuiticorum ordini, dum apertè docent, licitum in certis casibus cum proximo agere, ut ad ipsius mentem non respondeamus, sed ita verbis ludamus ambiguus, & talia in mente reservemus, ex quibus apud nos intelligamus quidem veram enunciationem, sed ei, cum quo nobis res est, ea verba demus, ex quibus novimus eum sensum menti nostræ oppositum intellecturum, nec aliter posse. Hoc artificium mentiendi, inquit Theologus celeberrimus Rivetus, docuerunt in primis Jesuitæ, quem videat Lector Comment. in Decal. Hi Iesu sociorum nomine & typo inflati, qui & fidem hæreticis, hoc est, hominibus à factione & conspiratione sua abhorrentibus obstrictam, publica etiam summi Magistratus auctoritate communitam, jure violari posse, asserunt, inauditam quoque illam æquivocandi & partem orationis in mente *reservandi*, uti vocant, praxin & doctrinam horrendam in mundum invexerunt.

Observ. ad eandem th.

An verbis æquivocis uti liceat ?

Placet subnectere etiam hanc quæstionem propter cognationem cum prioribus, & quia in primis præcedentem observationem illustrat; advertendum itaque hodiernos Moralistas in primis etiam *æquivocationes* tanquam rem in Foro Conscientiæ licitam admittere. Unde *Tamburinus* libr. 3. cap. 3. quærit, *an testis possit æquivocare*, & respondet: *si inter jurandum licet æquivocare, vel mentaliter restringere, à fortiori licebit inter testandum.* Eandem sententiam tuetur *Filliucius* tract. 5. c. 1. *Sanchez.* libr. 3. cap. 6. *Honoratus Faber* Dial. 10. de Opin. prob.

Verum quid sunt istæ æquivocationes, nisi falsa testimonia, nisi dolosa labia, de quibus *Pl.* 51. *Deus dolosam linguam destruet in finem.* In quem locum *Augustinus* in *Expos. Pl.* Quid est, inquit, lingua dolosa? ministra fallaciæ est lingua dolosa, aliud in corde gestantium, aliud ore prementium. Et mox iterum ibidem: Dolus, inquit, fraus est, simulatio est, quando aliquis aliud in corde tegit, & aliud loquitur; dolus est, & tanquam duo haberet corda, unum quasi *SINUM* cordis habet, ubi videt veritatem, & alterum *Sinum*, ubi concipit mendacium.

Sc-

Secundo istæ æquivocationes DIRECTE ad-
 versantur vocum institutioni, quæ commune
 est Societatis humanæ pabulum & alimentum.
 Unde Augustinus Enchr. cap. 22. pulchre ait:
 Verba propterea sunt instituta, non per quæ
 se homines fallant, sed per quæ in alterius
 quisque; notitiã cogitationes suas proferant:
 & Bernhardus in Sententiis: magnum, inquit,
 Chaos inter nos firmatum est, nisi interveni-
 ente quasi instrumento Verborum fiat ad invi-
 cem transitus quidam cordium in communica-
 tione cogitationum. At evertit istum finem
 quisquis æquivocationibus istis Mentalibus
 utitur; ambigua enim tantum propositio profer-
 tur, atque id, ex quo mens dicentis cerni & pene-
 trari possit, reticetur.

Tertio pugnant istæ æquivocationes cum
 Oecumenico illo Juris Naturæ principio: quod
 tibi non vis fieri, alteri non feceris; nemo enim
 æquo animo ferret, ut sibi sciscitanti aliquid
 per Restrictiones aut Æquivocationes illude-
 retur. Usque adeo, inquit Augustinus lib. 1.
 de doct. Chr. cap. 36, Natura rationalis re-
 formidat falsitatem, & quantum potest devi-
 tat errorem, ut falli nolint, etiam quicumque
 amant fallere.

Quartò talium æquivocationum Patroni
 omnem sibi metipsis fidem detrahunt; quo-
 modo enim sinceri aliquid & certi sperari po-
 test ab eo, qui putat se licitè æquivocationibus

N n 3

bus

bus ludere & illudere posse proximo. Unde scitè Isidorus libr. 2. Sent. cap. 30. Mendaces illi & ambiguitatum Patroni faciunt, ut nec vera dicentibus credatur; reddit enim sæpe hominem multa falsitas etiam in Veritate suspectum. Quanquam igitur tales ambigui & fallaces momentaneum subinde lucrum ex sua Sophistica loquela reportent: demum tamen detecti omnem fidem amittunt, atque ita, quod lucrati erant, cum usuris iterum deperdunt. Ut enim idem Isidorus inferius libr. 3. cap. 24. perhibet: omne sincerum permanet, quæ autem simulata sunt, diuturna esse non possunt. Et hoc quidem ita exploratum habet Cyprianus Epist. 56, ut contrarium habeat pro dementia: hæc est, inquit, vera dementia, non cogitare nec scire, quod mendacia & hypocrisis non diu fallant, noctem tam diu esse, quam diu illucescat dies; clarificato autem die & sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem, latrocinia cessare.

Quintò adversantur istæ æquivocationes humanæ Societati; adeoque consequenter ipsi humanæ Naturæ, quæ NATURALI APPETITU in illam fertur. Quænam enim potest coalescere SOCIETAS inter eos, ubi omnia sunt ÆQUIVOCA? Unde *Aug. lib. 19. de Civ. Dei inquit: si duo sibi met invicem fiant obviam, neque præterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quo-*

TNR

rum neuter norit alterius LINGUAM, facilius sibi animalia muta, quam illi sociantur, ita ut libentius homo sit cum CANE suo, quam cum homine alieno. Alienus autem quantum ad hoc propositum est omnis homo, cujus idioma alteri Socio non aperit mentem; atque adeo alienus censeretur, qui verba profert ambigua, unde SENSUS INTEGRIS sermonis penderet, perinde ac is, qui vocabulum nobis ignotum admiscet, ex quo provenit, ut mens loquentis audientem lateat.

Claudimus cum *Gregorio 10. Moral. c. 16.* hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa, sunt vera ostendere, quæ vera sunt, fallacia demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à Juvenibus dicitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem DUPLICITATIS INIQUITAS nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas URBANITAS appellatur.

Sed audiamus Antithesin ibidem post pauca subjectam: at contra Sapientia justorum est, nihil per Ostemtionem FINGERE, SENSUM per verba aperire: pro VERITATE contumeliam LUCRUM ponere. Sed hæc *Justorum Simplicitas deridetur*, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur: omne enim quod INNOCENTER agitur, ab iis procul dubio STULTUM vocatur; & quicquid in opere VE-

RURAS approbat, carnali Sapientiæ FATUUM sonat. Hi itaque sunt fructus Probabilitatis: hos effectus parit Moralitas HODIERNA.

SUMMA
CAPITIS SECUNDI
LIBRI TERTII.

I.

DOcet Grotius *preparative*, quod, spectato Jure Naturæ, nemo ex facto alieno teneatur.

II. Introductum tamen esse Jure Gentium, ut pro debito Imperantis res & actus subditorum teneantur, quod exemplis probare sagit.

III. Afferitur, Jus hoc valere, si denegetur justitia; ut est in *Repressaliis*, aut si contra Jus fuerit judicatum.

IV. Interim vitam innocentium subditorum non posse obligari.

V. Denique distinguit *Author* inter ea, quæ sunt Juris Gentium, & quæ Juris Civilis.

Observ. I. ad Thef. 2.

An jure Gentium introductum sit, ut pro debito Imperantis obligari sint subditi?

Grotius hic affirmativam Sententiam tenet: Nos existimamus, quod *Naturalis equitas*

æquitas, non præcise *Jus Gentium*, hanc obligationem inducat; si videlicet debita ab Imperante ita sint contracta, ut in Bonum commune Reipublicæ respexerint. Sunt enim debita duplicis generis, ut mox prolixius videbimus; alia enim sunt ex luxuria profecta, alia pro salute Reipublicæ. In posteriori casu res per se nobis certa videtur, quod non ex mero consensu gentium, sed ex fortiori obligatione, id est, ex *naturali æquitate* id procedat. Nam primo Generalis est æquitatis regula, quod officium nostrum nemini debeat esse damnosum; at si pro salute communi Princeps debita contrahat, ut plerumque fit in Bello etiam *defensivo*, quin & aliis casibus: tum sane æquitas postulat, ut subditi solvant æs illud alienum contractum.

Secundò Princeps & Respublica sive subditi unum aliquod *MORALE* sunt; unde si princeps aliquid debet, tum etiam subditi intelligi possunt debere. Hinc cum Christophorus laudatissimus Würtembergiæ Princeps in aditione Principatus cerneret, quod fiscus ejus magno ære alieno gravatus sit: à Statibus provincialibus petiit, ut illud æs alienum in se susciperent, cujus ipse non fuisset Causa, cui etiam Status annuerunt.

Observ. II. ad eandem thes.

*An debita promiscua Imperantium
exsolvi à subditis debeant?*

Hic tenendum est, quod modo ante tetigimus: debita Imperantis vel sunt contracta ex luxuria, vel ex necessitate Patriæ, vel aliis causis gravioribus. Si ex luxuria, ut de Vitellio tradit *Suetonius*, qui immensos sumtus in epulas fecit, tum sanè nec ex æquitate naturali nec ex Jure Gèntium subditi obligati sunt ad talia debita; nec enim ulla ÆQUITAS suadere posset, ut alterius luxui serviamus, aut fomenta subministremus. Neque Gentes unquam in hanc servitutem consensere, ut bona Civium obnoxia sint libidini Imperantium, ut, quotiescunque illi sumtus faciunt luxuriosos, & exinde ærarium exhauriunt, Cives malitiæ & luxuriæ tali debeant subvenire.

Nec Scriptura S. Jus tale largita est Imperantibus, ut, si illi per luxum & libidinem debita contraxere, Cives deinde sumtus suppeditare debeant. Hinc cum superiore seculo Carolus II. Angliæ Rex magnum æs contraxisset; sumtus enim maximos fecerat in amores illicitos Portsmuthiæ & aliarum: Parlamentum Anglicum debita in se suscipere noluit, sed Rex, ut aurum compararet, Dunkerkam Gal-

Gallis vendidit cum summo Angliæ damno & totius Britanniaë gravi displicentia.

Interim Zieglerus moderationem aliquam hîc habet, in *rr.* de Jure Majestatis, dicens: non tenentur quidem subditi debita istiusmodi in se recipere vel exsolvere: pie tamen & laudabiliter facturi sunt, si etiam in hoc casu principi subveniant, & debita talia agnoscant; non minus ac liberi, qui patris prodigi creditoribus satisfaciunt, etiamsi ipsi obligati non sint, neque etiam teneantur ad hæreditatem paternam adeundam.

Quod si ex rationibus & causis licitis debita à Principe sint contracta: naturalis æquitas postulat, ut subditi sint obligati ad solvenda debita. Non enim tantum arctissimum est vinculum inter imperantes & parentes, quale est inter caput & membra; sed & *Forum divinum* pro imperantibus militat. Rectè Pufendorf libr. 8. cap. 1. *Quemadmodum ex conjunctione in Corpus Civile factum est, ut, quæ uni infertur injuria per extraneos, ea totam Civitatem videatur tangere: ita non iniquum visum, singulos velut in subsidium pro debito Civitatis aut imperantis obligatos esse.*

Observ.

Observ. III. ad th. 5.

An Repressaliæ in Jure sint fundatae?

AUthor noster Jus hoc ex Jure Gentium derivat: cum Grotio faciunt plerique ejus interpretes, ut Zieglerus, Obrechtus, Kulpisius & alii. Contra illud vehementer oppugnat *Ventura de Valentis* in Parthen. litig. c. 2. Iniquum enim & à Justitia alienum esse, ut ob alterius culpam & crimen innocenti pœna infligatur; quoniam oporteat, ut pœna suos auctores teneat. Sic etiam Jure divino vetitum, infontem occidere; ac divinum esse effatum, quod filius non portaturus sit iniquitatem Patris, & pater non iniquitatem filii. Item non occidentur Patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur Deut. cap. 24. v. 16.

Nos existimamus, quod, spectando rem secundum JUSTITIAM *externam*, non sit injustum uti jure *Repressaliarum*. Nam primo hæc est NATURA Civitatis & Rerumpublicarum, quod unam aliquam *Personam Moralem* constituent: unde si quid delinquitur à Republica qua tali, tum Cives ejus omnes sunt REI, si alteri in aliena Republica viventi, *injuria* sit facta. Quanquam enim hic aut ille Civis in *injuriam* illam non consenserit, atque ita in-

nocens videri queat: tamen quia alius est & universalis quasi *Consensus* coeuntium in unam Civitatem vel Rempublicam, nempe quod commoda & incommoda, bona & mala, iisdem quasi humeris gestare velint; unde, denegata alteri genti justitia, Jus exurgit, ut possit jure *Repressaliarum* uti, licet torte *executio* illa eum civem deprehendat, qui minimè omnium, secundum se spectatus, reus est.

Secundo rectissimè Dn. *Zieglerus* limitavit hoc Jus, maximè in tract. de Jur. Majest. l. 1. cap. 34. dicens: non sunt concedendæ *Repressaliæ* ob modicas privatorum injurias & damna; sed talis requiritur læsio, quæ vergit in publicum Reipublicæ detrimentum. Quemadmodum nec bellum suscipiendum ob modicam læsionem privato illatam, cum plurima uti inter privatos, ita etiam inter gentes & nationes quotidie committantur, quæ conniventia magis & contemptu, quam aspera aliqua vindicta tolluntur. Et satius quandoque erit, ut de suo Princeps subjectis suis, ab extraneo læsis, subveniat, quam ut *Repressalias* decernendo per eas hostem in se concitet. Hactenus *Zieglerus* benè.

Unde spectato *Jure divino* & *Justitia interna*, quæ Conscientiam tangit, censemus, Principem Christianum, alia omnia prius tentare debere, antequam ad *Violentia hæc extrema* abeat. Nam si alicui *innocenti* bona sua eripiantur,

plantur, aut si planè capiatur, quomodo Christianus Princeps excusabitur in foro *Conscientia*, quod illi, qui in privato nos non læsit, sed tantum propter *fitionem* quandam Juris lædendis compars est, bona sua aut libertatem eripiamus? ad minimum longè *tutius* est in tribunali illo sancto Conscientiæ, tali non uti remedio, quod regulam fidei & pietatis Christianæ transgreditur.

SUMMA CAPITIS TERTII LIBRI TERTII.

I.

EXponit Grotius, quid intelligatur sub titulo *belli justii*; nempe non id, quod ex causa *justum* est, sed ob peculiare juris effectus, & æquipollet Bello solenni.

II. Unde bellum, quod à Republicâ geritur adversus aliam gentem, *justum* dicitur, etiam si quoad causam *injustum* sit, & in eo distinguitur à piratis & latronibus.

III. Ad naturam ergò Belli justii & solennis requiritur, ut ab eo geratur, qui summam potestatem habet.

IV Ad bellum solenne requiritur denunciatio; si videlicet alia via non detur ad nostra consequenda.

V. Hæc

V. Hæc denunciatio vel conditionata est vel pura.

VI. Quod olim caduceus, aut hasta sanguinolenta in denunciatione adhibita, ceremoniale fuit, non essentiale.

VII. Bellum si alicui Imperanti indicitur, simul indictum censetur omnibus ejus subditis.

VIII. Causa, cur *denunciatio* belli est adhibenda, non præcisè in eo stat, ut tale bellum non privato ausu gestum intelligatur: sed potius, ut hostes ultimato de satisfactione moneantur.

IX. Bellum eo ipso momento, quo indictum est, geri posse ostenditur.

X. Denunciatio etiam rectè fit, si Jus Legationum violatum sit.

Observ. I. ad th. 6.

Cur indictio belli in defensione non sit necessaria?

Grotius hoc punctum tractat in th. 6. & rectè asserit, quod indictione in bello defensivo opus non sit; rationem non addit, forte quia per se satis patet. Quid enim opus est, ut hosti, nostra jam invadenti, bellum denunciemus. Idem dicendum, si contra rebelles vel defectores arma suscipiuntur; tale enim bellum ne quidem solenne & justum bel-

bellum appellari potest, cum potius sit Reductio immorigerum Civium vel subditorum in suum ordinem, quæ plerunque etiam pœnam post se trahit.

Rectè Kulpisius in Colleg. Gr. Jurè Naturæ publica denunciatio non requiritur in bello defensivo, ubi vis illata arcetur; aut ab eo, qui deliquit, vindicta sumitur. Sed, pergit, jure Gentium indistinctè requiritur, non utrinque, *sed ab altera partium.* In quo nescio, quomodo secum conveniat; nam, ut vidimus, in bello defensivo *denunciatio* plane nec *necessaria* nec utilis; sed superflua prorsus, quin inanis evadit. Si enim alter jam hostilitatem manifestè erga me exercuit, ad quid conducit, ut dicam per Clarigationem aliquam me ipsum etiam pro hoste habere, atque ipsi denunciare bellum.

Observ. II. ad Th. 7.

An denunciatio omnis sit conditionalis, vel tacitè vel expressè?

Grotius distinguit inter denunciationem *puram & conditionatam.* Conditionata Grotio dicitur, quæ cum rerum repetitione & satisfactione conjungitur: PURA, quæ *simpliciter* bellum indicit. Dissentit Zieglerus ex eo, quod etiam PURA semper contineat rerum *Repetitionem & satisfactionem*, cui adstipulatur

tur Guil. vander Myelen; inquires: *omnem denunciationem CONDITIONATAM esse, vel excoliquet, quod ea fit, ut tempus deliberandi relinquatur ei, cui denunciatio facta; an scilicet sponte præstare velit, quod præstare ex Justitia tenetur; neminem extrema statim primo loco tentare, & in vindicando criminosa esse celeritatem: adeoque expectandum prius, an lædens satisfactionem offerat. Conditionem ergo TACITAM putat Author ille celebr. omni inesse denuntiatiqni belli: consonat cum eo Joh. à Felde, & Dn. Zieglerus.*

Contra est Dn. *Kulpisius* in Colleg. msc., qui ait, *Tacitas conditiones actum conditionatum non efficere; quia nec omnes indictiones puras conditionem tacitam admittere, ab Exemplo Principis cujusdam exacerbati probat, qui nulla ratione se placari, nec oblatam satisfactionem accipere velit.*

Nobis itaque videtur, quod utraque sententia aliquid habeat ex Vero. Nempe si *denunciatio* sumitur, prout fuit ex Jure Gentium, atque etiam suo modo ex æquitate naturalis tum *denunciatio omnis vel expressam vel tacitam* habet conditionem, si scilicet non detur satisfactio, tum læsionem vindicandam esse armis, quæ jam in parato sint.

Vel si spectetur ratione Exercitii: tum certum est, quod sæpe vel IRA vel AMBITIO vel *Ratio status* Principis non attendat, an satisfactio

ctio præsterur, vel non, sed denunciatio in re est pura. Sic anno millesimo septuagesimo secundo, cum Rex Galliarum bellum denunciaret Hollandis, isti omnem satisfactionem promissere per Petrum Grotium, Hugonis filium, sed frustra. Constitutum enim erat Regi, Viros Hollandiarum ita debilitare, ut in posterum liber ipsi aditus esset ad Imperium Europæ invadendum, cui conamini Hollandi per fœdus cum Britannia & Suecia obstiterant.

Breviter: si sincera est Belli denunciatio, & Bellum cum justitia geri velit, semper adest **CONDITIO TACITA** vel **EXPRESSA**, si non detur *conveniens satisfactio*: at verò si ex ambitione geratur, plerunque est **PURA**.

Observ. III. ad th. 8.

Quid de Ceremoniis in denunciatione belli sit sentiendum?

Ceremoniarum & solennitates illarum, quæ adhiberi solent in indictione belli pro diversitate nationum olim maximè variarunt. Græci usi sunt ut plurimum caduceo: Romani misere hastam: Turcæ adhibuere Acipacem: Hodiernis moribus **MANIFESTA** plerunque eduntur. Liberum itaque est cuivis populo his aut illis solennitatibus uti; quanquam certum, quod **MANIFESTA** aliis omnibus præferenda sint,

sint, quia Causæ belli justificæ plerunque in
iis manifestantur. Utinam semper VERA!

Observ. IV. ad hec. 9.

*Quanam Causa fuerit introductæ
denunciationis?*

Grotius existimat, Causam fuisse hanc,
ut certo constaret, non *privato ausu*, sed
voluntate utriusque populi geri bellum; Et hæc
ratio etiam placet Dn. *Kulpisio* in Coll. mscr.
quibus prævit *Albericus Gentilis*.

Sed hæc ratio nobis non satisfacit; partim
quia rarò ex voluntate utriusque populi fit bel-
lum. Plerunque enim ex una parte magis est
defensivum, quam *offensivum*; qui autem est
in terminis defensivis, is non inchoat bellum.
Sic & in bellis, quæ vindictæ aut pœnæ causa
suscipiuntur, nunquam ex utraque parte vo-
luntariò suscipitur bellum, sed tantum ex par-
te inferentis. Unde satius est dicere, quod
per tales *denunciationes*, & maximè per MA-
NIFESTA, indicetur, bellum ex justis causis in-
ferri, cui etiam illa addi potest, ut moneren-
tur hostes ultimato de satisfactione; quan-
quam hæc ratio non semper locum habeat, ut
paulò ante dictum.

SUMMA
CAPITIS QUARTI
LIBRI TERTII.

De fure interficiendi hostes.

I.

EXprimitur, quo sensu *licitum*, sive *licere*, hic sumatur, cum dicitur in bello solenni *licere* hostes interficere.

II. Nempe *licitum* hic esse idem, ac *impune* fieri.

III. Licet itaque in bello hostem in Persona sua lædere & in rebus, juxta illud Marcelli apud Livium: quicquid *in hostibus feci*, jus belli defendit.

IV. Imò hæc *licentia* lædendi & interficiendi etiam ad infantes & fœminas porrigitur.

V. Quin & in captos, aut deditos sine conditione.

VI. Idem jus quandoque etiam in obsides usurpatur, nec in eos tantum, qui se ipsos obligaverant, sed etiam in eos, qui traduntur.

VII. Jure tamen Gentium vetitum, venenouenquam interficere;

VIII. Vel tela, aut aquas veneno inficere.

IX. An hostem per immissum percussorem occidere liceat, quærit Grotius, & sub certis restrictionibus concedit.

X. An

X. An supra sint contra jus Gentium quærit Grotius; Nos affirmamus.

Observatio Generalis ad Cap. 4.

REcte observavit Dn. Obrechtus in Collegio mscr. & post eum Dn. *Kulpisius*, quod *Grotius* à Capite quarto usque ad decimum tractaverit de eo, quod LICITUM est ex JURE GENTIUM EXTERNO in bello, sive ex causa justa sive injusta suscepto: at verò à Cap. 10. usque ad undecimum explicet, quænam sint illa TEMPERAMENTA, quæ æquitas & *naturalis humanitas*, maximè autem Christianismus, suadet & imperat.

Et certè in hoc imprimis laudandus Grotius præ *Alberico Gentili* & aliis, qui non satis distinxerunt inter id, quod JURE GENTIUM EXTERNO licet impune, atque inter id, quod ratione ÆQUITATIS *Naturalis* honestum, humanum, & *positive* justum est. Ratione *juris* illius *externi* & *impunitatis* in foro humano multa licere, quæ *licita* non sunt in *foro interno*, vel solum exemplum stuprorum in bellis probat; quodurique Deus graviter ulciscetur, & rationem LICITI habere in genere morum nullo modo potest.

Observ. II. ad th. II.

Quot modis aliquid licitum dicitur?

Grotius hoc punctum rectissimè hoc loco explicat, facit enim ad intelligentiam non hujus tantum Capitis quarti, sed & reliquorum.

Breviter ergo ut rem illustremus, sciendum tripliciter aliquid dici LICERE; primò, in quantum aliquid POSITIVE justum, pium & rectum est; secundò, in quantum aliquid *impunitatem* habet in foro exteriori, licet in foro interiori & divino ab injustitia non absolvatur; tertio, in quantum aliquis actus versatur circa Objectum merè indifferens, atque adeo qui in *foro exteriori & interiori* nec *vitium* morale habet nec *bonitatem*, & sic nec laude nec vituperio dignus est. Tertiam hanc *speciem* LICITI Grotius omisit, quæ tamen meritò etiam recensetur. Exempla se offerent in sequentibus.

Observ. III. ad eandem th.

An Cœlibatus anteponendus conjugio?

Grotius circa hoc punctum gravem censuram passus est à Theologis quibusdam,
dum

dum asserit, quod, etiamsi liceat matrimo-
nium contrahere, tamen laudabilior sit
Cœlebs Castitas. Hæc sententia, prout ja-
cet, à Dn. D. Osiandro tanquam sordens &
vitiosa rejicitur.

Nos ita existimamus; primò si quis habeat do-
num *Continentia*, quod talis non saltem licitè fa-
ciat, si matrimonium non contrahat, ac in casto
Cœlibatu maneat; sed etiam, quod multò lau-
dabilius, quam si contrahat matrimonium. Nam
tale donū, quod oppidò rarum, non frustra dedit
Deus; sed rectè impendatur, ac procul dubio
pertinet inter talenta illa, quæ Deus distribuit,
quod si quis negligat aut confodiat, gravem
Deo teneretur reddere rationem. Deinceps in-
dubium est, quod ille, qui in casto Cœliba-
tu vivit, longè melius possit Deo servire, quam
is, qui in matrimonio; nam hoc est pronun-
ciatum Apostolicum, 1. Cor. 7. v. 32. *Qui*
cœlebs est, curat ea, quæ sunt domini, quomodo
placiturus sit domino; ac qui ducit uxorem, cu-
rat ea, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit
uxori. Quæ verba evidentissima sunt, & lu-
culenter probant, quod Cœlibatus, qui sci-
licet pro fundamento habet *donum Continentia*
divinitus datum, laudabilior sit, quam *ma-*
trimonium; quia, in quo statu melius Deo ser-
vire possumus, ille laudabilior est, quam ille,
in quo tanta copia non est serviendi Deo; ac

in statu Cœlibatus melius servire possumus, teste Spiritu S. per Paulum loquente.

Sed secundo advertendum est, quod Cœlibatum, quem præferimus, intelligamus eum, qui tentationibus non est obnoxius; hic enim iterum Paulus quæstionem decidit, dum ait: *melius est nubere quam uri*; ubi per *ustiones* intelligit calorem seu ardorem illum libidinis, qui nisi *remedium* habeat, in *pollutionem* vel *scortationem* impellit, ut explicat Pareus. Qui ergo *donum Continentiæ* non habet, ex præcepto divino tenetur contrahere matrimonium, quod in *remedium* quoque æstus illius post lapsum datum est, ut expressè habetur v. 2. cap. 7. *Propter fornicationes unusquisque habeto Uxorem.* Ad quæ verba rectè iterum Pareus: *Non sunt hæc verba Consilii aut indulgentiæ, sed PRÆCEPTI, ut, quicumque incontinentia morbo se sentiunt obnoxios, & punitionibus carnis aliter resistere nequeunt, ad matrimonii REMEDIUM confugiant.*

Excipit quidem Bellarminus, quod etiam habentibus donum Continentiæ inesse possit ustionis & fornicationis periculum; quia etiam sic *donum* amittere, & vinci à tentatione possint: respondemus autem, rectè hæc à Cardinale dici, sed hoc ipso semet & Ecclesiæ suæ decreta impugnat. Si enim donum Continentiæ perpetuæ potest amitti: tum nemo *VOTUM*, & sic nec *Bellarminus* perpetuæ Continentiæ absque

ma.

magna temeritate præstare potest. Quamdiu verò donum continendi habent, tam diu liberi sunt à præcepto Conjugii; si verò habere cessaverint, ut unctionibus atque pollutionibus vexentur, præcepto subesse incipiunt. Si REMEDRUM divinitus propositum contemserint, tum Deum tentant, sive ad fornicationem usque urantur, sive non.

Tertio id etiam notandum est, quod, licet *Cœlibatum* in *Continentia* fundatum præferamus Conjugio: non tamen MERITUM ex illo faciamus, prout in Papatu fit. Sicut enim *Donum* CONTINENTIÆ est specialissima quædam dos & prærogativa à Deo concessa: ita non potest esse MERITUM nostrum; ad rationem enim MERITI pertinet, ut sit ex BONIS merentis, hoc autem *Bonum* est *Donum* DEI, ut diximus.

Duo ergò hæc extrema sunt vitanda, nempe ne omnes ad *matrimonium* cogamus, quasi id sit præcepti universalis; quin potius, qui donum Continentiæ habet, confirmandus est in eo, ut absteat à *Matrimonio*, & donum illud per castas ad Deum preces, aliaque DEO exhibenda officia, benè excolat.

Ex altera parte utique immanis est Tyrannis in Papatu, quod *sacerdotes omnes* voto se obstringere tenentur, ne matrimonium in-
eant, ubi inter mille vix unus est, qui Donum continentiaæ habet, reliqui inter perpetuas

ustiones & carnis stimulos æstuant ac vivunt. Planè autem detestabile est, quod nonnulli ex Pontificiis apertè statuere audent, quod majus in Sacerdote sit scelus in matrimonio vivere, quam inter vagas libidines ac scortationes. Hæc doctrina ex Orco est.

Observ. IV. ad th. 9.

Quid sentientium de loco Ps. 136. 9.

Noster Grotius probaturus, quod communis Gentium mos fuerit, occidere in bello fœminas & pueros, provocat ad Ps. 136, ubi Psalmista ait: *Beatus, qui Babyloniorum infantes petra allidet*: cui, inquit, par est Homericum illud: *illisque corpora terra infantum, Jovis dum concutit omnia Mavors*. Verum Mos Gentium exinde planè concludi non potest; non tantum, quia Respublica Israelitica planè dissona fuit cum moribus Gentilium, ut ex Seldeni Jure Hebræorum & ex Scriptura S. satis constat. Imò inter præcepta Legis divinæ fuit, ne sequerentur Israelitæ mores Gentium. Deinde Psalmista loquitur hîc ex speciali instinctu & impulsu Spiritus S., qui ad mores Gentilium se non conformat. Tertiò si in sensu Mystico hæc verba Viri Divini capiantur, prout pleraque in Psalmis à Dn. Poireto & aliis sumi debere contenditur: tum sensus erit, *Beatus ille, qui infantes, hoc est*

na-

nascentes Cupiditates & desideria Carnalia in se confringit, rejicit, abnegat, & in Deo saltem acquiescit. Illud verò malè omnino à Grotio additur, dum Homeri impuri Poetæ versum cum Vate divino comparat, & parallelismum instituit. Verba Psalms sunt Dixina, Homeri Carnalia.

Observ. V. ad th. 19.

An in bello permessa sint supra?

IMmane hoc scelus inter Christianos audiri non deberet, multò minus ab iis committi, sed prohdolor nihil frequentius. Detestabile autem imprimis & æterna maledictione dignum fuit illud factum, cum Dux militiæ Cæsareæ Tillius Anno superioris seculi 20. Urbem Haidelbergensem diripuit, concessa per integrum triduum militibus facultate, non prædas tantum agere, sed & in corpora foeminarum furere, ubi historia memorat, quod nulla puella in amplissima urbe duodecim annorum fuerit, quæ vim non passa. Sed observant quoque rerum & judiciorum Dei inspectores, quod militiam non habuerit amplius tam fortunatam, quam ante. Sane Gustavus Adolphus bis illum, antea pro invicto habitum, vicit, & tandem prostravit.

Contra itaque omne Jus Naturæ, Gentium & multò magis contra Christianismum militare

tare censemus, si miles in Corpora Virginum vel fœminarum *grassetur*.

Nam primo pudicitia ipsa PER SE est res, quæ sine summo scelere violari nequit; quam Deus ipse legibus suis vallavit, ac munivit. Deinde quid pudicitia in fœminis vel Virginitas peccavit, ut de ea vindicta sumi possit? Bellum alias geritur, ut res & jura nostra recuperemus; at vero nulli jus competit ad Virginitatem, neque inter Res nostras unquam numerari potest.

Unde etiam Moratiores Gentes ab illa barbarie abhorruerunt. De Scipione constat, quod cum Numantiam expugnasset, & pulcherrima Virgo captiva adduceretur, ipse non admiserit eam in conspectum; ubi pulchre addit historicus Florus, *ne aliquid etiam oculis de pudicitia delibasse videretur*. De Marcello, Romano Duce, pariter constat, quod captis Syraculis sollicitè curam egerit pudicitia captivarum. Totila, aliàs à ferocia famosus, Gothus, capta Roma, severè vetuit, ne vitarentur fœminæ. In Lege Hebræa olim etiam vetitum, ne quis captivam comprimeret, nisi sollemniter conjux facta esset, ut constat ex Deut. 21. v. 10.

Et sanè ipsum Lumen Naturæ docet, extremam *impudentia* & fœdæ libidinis lineam esse, vim castitati inferre.

SUMMA
CAPITIS QUINTI.
LIBRI TERTII.

De rebus vastandis & eripiendis.

I.

Docet Grotius, quod Jus Gentium permittat, ut res hostium, quos interficere concesserat, etiam rapi & corrumpi queant.

II. Neque res sacras & Deo dicatas hinc excipi: excipe simulacra illa, quibus aliquod Numen inesse creditur.

III. Quia & res religiosas, ut sepulchra mortuorum.

IV. Denique non esse tantum concessum vi eripere res hostium; sed & dolis uti, modo absit perfidia

Observ. I. ad th. 1. & 2.

*An res sacras Jure Gentium liceat
apud hostes violare?*

ADvertendum hic est, quod si LICENTIA sumatur pro nuda permissione, quod Jus propriè non dat, nec factum excusat, sed tolerat potius, admitti assertionem posse; satis enim copiosa exempla passim in Historia prostant, quod hostes etiam res sacras & Deo dicatas vastarint aut spoliarint. Sic de Ægyptiis constat, item de Assyriis, Persis, Babyloniis,

u. n

quin & ipsis Romanis, quod rebus sacris non pepercerint. Interim proprie loquendo talia facta, etiam si copiosissima exempla habeant, nondum tamen PROPRIE Jus Gentium faciunt, sed ostendunt tantum, quousque furor & ira hostilis communiter processerit.

Advertendum secundo, si Historia rectè inspiciatur, quod plerunque illi, qui sacra violarunt, gravissimè fuerint à Deo puniti. Sic Crassus expeditionē contra Parthos suscipiens, cum pertransiret Judæam cum exercitu, & Hierosolymitanum templum spoliasset, graves pœnas luit, cum toto exercitu à Parthis cæsus. Sic & Pompejus, cum Templum Hierosolymitanum ingrederetur, atque etiam sanctum sanctorum, licet obistente summo sacerdote, ingrederetur, postmodum amplius Cælum non ita favens habuit, cum antea fortunam in manibus tenere crederetur; à Cæsare enim victus, cervicem Eunuchis cuidam subjicere coactus est. Narrat Justinus, quod, cum Brennus cum ingenti exercitu Templum Apollinis oppugnaret, quod pauci aliqui sacrificuli defendebant, ex improvise tempestas atrox cum grandine & fulminibus magnam partem exercitus prostraverit, reliquam verò partem in fugam verterit.

Sanè Christianis horror deberet esse, sacra Deo vero dicata violare; utpote qui actiones suas non ex permissione vel LICENTIA Juris
Gen-

Gentium metiri deberent, sed ex Regulis Juris divini. Sed prohdolor ea rabies est hodiernæ militiæ, atque is furor in bellis nostris, ut credas meros ATHEOS sub titulo Christianorum militare, adeo ipsis plerumque nulla sacrorum Cura.

Itaque Dux ille belli, qui Christiani, aut etiam tantum *honesti Gentilis*, nomen habere vult, videat, ut *licentiam* illam, quæ ex Jure permissivo deduci solet, refrænet atque *aquitate* temperet; ex ratione quam Dn. Kulpisius rectè & solidè adducit, inquiens: *temperamentum aequitatis* valde hanc vastationis licentiam rerum sacrarum *restringit*. Sicut enim in universum, ut quis res alterius sine injuria perdere possit, horum trium unum antecedat necesse est, aut *necessitas* talis, quæ ipsum Domini jus quodammodo temperet; aut *debitum* aliquod procedens ex inæqualitate, nimirum ut res perdita imputetur in illud debitum, quasi percepta; aut *meritum* aliquod *malum*, cui *vindicta talis par* sit, aut cujus mensuram vindicta non excedat: ita inter hostes quoque hæc *causæ* & intra hos duntaxat *fines* faciunt, ut *absit injuria*. Neque tamen propterea hæc illico facienda esse sequitur, nisi enim *causa utilitatis* suadeat, stultum erit nullo tuo bono nocere alteri. Quare quidem *populatio* ferenda est, quæ *brevi ad pacem petendam hostem subigit*: quanquam, si exempla expendamus, plerum-

rumque admittantur talia odio magis aut libidine, quam prudenti ratione; fere enim evenit, ut aut *causæ illæ suadentes cessent*, aut ut *aliæ sint validiores, quæ dissuadeant*.

Observ. II. ad eandem th.

An & quo sensu dici queat, quod Deus in res sacras habeat jus quasi quaesitum?

DN. D. Osiander inter alias rationes, quod res sacræ violari non debeant, etiam hanc promit, quod ad illas jus quoddam quaesitum habeat Deus; adeoque quod homo citra sacrilegium illas violare non debeat.

Sed respondet Dn. Kulpisius, hanc rationem esse inconvenientem; ex ea enim sequi, quod Deus non **ÆQUALI JURE** omnium rerum dominus esset, aut quasi ipsi in aliquibus **OPERA HUMANA** majus **JUS**, quam in cæteris habet, constitui posset.

Verum enim verò hæc ratio Kulpisii non est convincens; nam stante ea sequeretur, quod vel planè non detur sacrilegium, vel quod furtum omne sit sacrilegium. Nam si æquale *jus* Deus habet in Res omnes, ergo æquale quoque est delictum, si quis res eas auferat; at verò dicere, omnia furta esse sacrilegia est per se absolum. Deinde licet Deus habeat jus in omnia **EX SE** æquale: ipse tamen *inaequalita-*

litatem constituit. Sic in veteri Testamento *primitias* fructuum omnium sibi peculiariter *Sacras* esse voluit, & fructus alios dispositioni reliquit humanæ; documento manifesto, quod discrimen velit habere inter Res sibi *devotas*, & alias usui vulgari relictas. In hominibus par fuit Dei dispositio; nam primogenitura Deo erat sacra, reliqua genita proles non ita, quanquam alias Deus æquale jus habeat in homines.

Secundo de decimis in Ver. Testam. constat, quod Deus particulares Leges dederit Lev. 27. v. 30. 31. Num. 18. v. 21. Deut. 12. v. 6. atque illas vocaverit *hereditatem domini*; quia scilicet peculiari ratione Deus ea bona & fructus sibi tanquam SACROS reservavit; unde etiam vocantur *possessiones domini* Can. revertimi caus. 16. q. 1. ac Patrimonium Christi cap. cum secundum de prebend. Quæ ipsa luculenter ostendunt, quod Deus non ÆQUALITER respiciat *Bona terrena*: sed quod ea, quæ ipsi *sacrata* sunt, sub speciali *dominio* habeat.

Tertio laudatus Dn. Kulpis Director fuit in Wirtembergia *Ærarii Ecclesiastici*, ubi sanè pessimè & contra Juramentum egisset, si statuisset, reditus illos Ecclesiasticos non majori JURE pertinere ad Deum ejusque cultum, quam reditus *Camera Politica*. Et cur quæso Bona Ecclesiastica non nisi in extremo necessitatis casu ad profana possunt impendi,

P p

quam

quam quod peculiari ratione ea bona DEI sunt?

Observ. III. ad th. 2.

An simulacrum violare liceat, cui inesse aliquod Numen creditur?

QUæstio hic est in casu, qui frequentissime contigit, si videlicet Catholicus miles templum ingrediatur, atque ibi videatur *venerabile*, ut vocant, in ara, cui inesse corpus Salvatoris credit, licet erroneè: an vastare aram, pretiosa abripere, ac *Venerabile* illud projicere possit; & responderetur cum Grotio, quod non. Nam quanquam talis miles videatur uti JURE Victoris, rapiendo *auream pyxidem*, cui plerumque VENERABILE inclusum est, atque illud projiciendo; licet etiam falsa sit illa Religio de *presentia Corporis Christi* per *transubstantiationem*: tamen quia etiam *errore* Conscientia obligat, talis actus in Judicio Dei est summum sacrilegium & scelus.

Aliud est, si aliquis miles Religionis Protestantium tale quid committat; iste enim sciens, quod doctrina de *presentia Corporis Christi* extra usum mera sit superstitio, & inventum in Ecclesia Rom. novum, *sacrilegium* propriè dictum non committit; quanquam nulli vellemus esse Authores, ut templa Catholicorum spoliet, & resistas Deo devotas male tractet.

Tem-

Templa & res sacræ non sunt pro hostibus habenda; & quia nobis per se non nocent, ideoque nec nos illis nocere debemus. Violatio omnis illius rei, quæ ad cultum Dei pertinet, aliquid habet ex iniquitate, etiam in adversa religione.

De simulacris Gentium aliter est pronuntiandum; Deus enim præcepit, ut illa destruerentur Deut. 7. v. 25. 26.

Observ. IV. ad th. 3.

Quid de religiosis locis, ex. gr. sepulchris de mortuorum, sit sentiendum?

Grotius inter religiosa numerat sepulchra, de quibus quæritur, an Jure Gentium licitum sit hostibus ea violare; & distinguit, inter lapides sepulchrorum, & inter corpora demortua; & ait: *lapides* tales sepulchrales tolli posse, & in quemlibet usum converti: at verò corpora mortuorum male non debere tractari, quia id contra Jus sit GENTIUM. Nos censemus, quod hoc etiam sit contra Jus NATURÆ; per se enim contra omnem *Humanitatem* militat, cadavera ex tumulis suis extrahere, & projicere; ac quilibet, si quæreretur, an lubens audiret, quod corpus ejus temesum aliquando sub dio & aere pro publico ludibrio exponendum sit, responsurus esset, omninò **NON.** Quod ergo quisque sibi fieri non vult,

id alteri non faciat, quod est Principium Juris Naturæ firmissimum.

Unde plusquam barbara & æterna detestatione digna fuit crudelitas Gallorum Ao. 1689. qui corpora Cæsarum, Regum, & Electorum Spiræ, Haidelbergæ, & Manhemii effoderunt, & postea variis injuriis, diabolico planè facinore, affecerunt. Sanè Rex Galliæ Ludovicus, qui aliàs parem à multis retro seculis Regem in artibus imperandi & magnitudine animi non habuit, tanta scelera impunita relinquere non debuisset. Macula in Historia tanti Monarchæ erit, quod contra omnem genium Christianismi tantam barbariem inultam reliquit.

SUMMA CAPITIS SEXTI LIBRI TERTII.

I.

Ostendit Grotius, quo *Jure* res in bello captæ retineantur, & docet, quod id sit ex Jure Naturæ & divino.

II, Etiam ex Jure Gentium.

III. Res mobiles capi, ac nostras fieri, cum intra fines ac præsidia perducta fuerint.

IV. Res immobilis, ut ager, tum capta intelligitur, cum mansuris munitionibus ita includi-

ditur, ut nisi iis expugnatis parti alteri palam aditus non sit.

V. Res repertæ in navibus hostium præsumptionem quidem habent, quod ad hostes pertineant: sed non habent demonstrationem.

VI. Distinctio actuum bellicorum in publicos & privatos necessaria est scitu; nam per actus publicos res acquiritur populo seu Universitati bellum gerenti: per actus verò privatos quæritur privatis.

VII. Quanquam arbitrium in talibus rebus & prædis Ducibus, si alicujus momenti res sint, plerunque concedatur.

VIII. Hi res aut referunt in ærarium, aut dividunt.

IX. Peculatum in præda committi non raro, Cato jam olim dixit: *fures privatarum rerum in compedibus atatem agere, fures publicos in auro & purpura.*

X. Res, quæ hostium non sunt, etsi apud hostes reperiantur, capientium non esse, tradit Grotius: contrarium in praxi ut plurimum obtinet.

Observatio Generalis ad Cap. 6.

IN antecedenti Capite Grotius exposuit, quis sit primus effectus Jure Gentium in bello solenni & justo, nempe LÆSIO & INTERFECTIO hostis: nunc progreditur ad alterum, hoc est, in acquisitionem, in RES ac personas hostium.

Nam quod ea, quæ in bello capiuntur, capientibus cedant, cum *naturali Jure* convenit in tantum, in quantum ea, quæ nobis debentur, aliter consequi non possumus, nisi per *Viam*; aut in quantum propter injuriam illatam vindictam sumimus, intra tamen æquum & justum *VINDICTÆ* modum.

Jure verò Gentium, inquit Grotius, non tantum is, qui ex *JUSTA CAUSA* bellum gerit; sed & quivis in *bello solenni* absolute, aut, ut Grotius loquitur, sine fine modoque dominus fit eorum, quæ hosti eripit. Provocat Author ad *Cyrum Regem* aliàs æquissimum apud *Xenophontem*, qui ait: *Lex est sempiterna inter homines, capta hostium urbe, eorundem res atque pecunias victori cedere: & ad Platonem*, qui ait: *bona, quæ victus habuit, omnia victoris fieri.* Et ad *Cajum Jurisconsultum L. naturalem §. ult. de acquir. rerum. dem.* *Quæ ex hostibus capiuntur, jure Gentium statim Capientium sunt.*

Nos sic existimamus, quod si *Jus Gentium* sumatur pro *Consuetudine* & communi more; sive deinceps talis *Consuetudo* habeat pro fundamento *Æquitatem* seu *Justitiam*, sive non concedi posse, quod dicit Grotius; praxis enim quotidiana non apud *Gentes* tantum, sed etiam prohdolor apud *Christianos* id testatur. At si de *JUSTITIA INTERNA* sit sermo, tum sanè in *bello injusto*, licet *SOLENNÈ* sit, res captæ non

cedunt Cipienti, hoc est, talis capiens in Foro CONSCIENTIÆ tutus non est, nec sine peccato talem rem captam retinere potest.

Secundo benè est advertendum, quod, capta aliqua urbe, res & pecuniæ cedant quidem victori, si res & pecunia hostium seu captæ urbis sit: at si sint illius, qui extra partes hostium est, & pecunias vel obligationes habeat in urbe hostili, tum sanè non cedunt victori. Casus hic est in Urbe Argentoratensi, quam cum occupasset Armis Galliæ Rex, debita Urbis, quæ ad exttaneos spectabant, Ludovicus Urbi remisit, ut favorem ejus occuparet, per proditionem enim, & non ex justa causa, fuit occupata.

Talis sanè *remissio* vel *donatio* debitorum Argentoratensium *invalida est* & NULLA; cum in ea debita nullum Jus ac potestatem habeat Rex Galliæ; est enim donatio de ALIENO, & in fraudem tertii. Ut non dicamus, quod ideo *obligationem* remisit Urbi Rex, ut eo facilius deinceps magnam auri vim à miseris Civibus extorquere posset; id quod etiam tanto rigore factum, ut opulenta sub Imperio Civitas ad extremam jam pauperiem & penuriam sit redacta.

Interim quam primum Urbs ad pristinum statum redierit, ut speramus proximè futurum: reviviscant omnia illa debita ab Urbe ante oppugnationem & in statu pacis contra-

cta; utpote quæ per violentiam quidem ha-
ctenus oppressa, non tamen extincta fuere.

Obsery. II. ad thes. I.

*Quid de Legato Jacobi Patriarchæ
sentiendum, quod reliquit Josepho*

Gen. 48. 22.

Grotius ut probaret, quod in Bello capta
Jure Naturæ fiant capientium, profert
exempla ex JURE DIVINO ante Legem latam,
quod JUS DIVINUM materialiter cum Jure Na-
tura convenire, hîc supponitur.

Primum exemplum est Abrahami, qui ex
spoliis, quæ à quinque Regibus debellatis ac-
ceperat, decimas in Sacrificium Deo obtulit;
quod sacrificium Deo gratum esse non potuis-
set, si spolia illa fuissent prohibita, aut mili-
tassent contra JUS NATURA.

Alterum exemplum est in Jacobo, præcipuum
legatum filio suo Josepho relinquente ex bo-
nis, quæ cœperat ab Amorrhæis. Ubi Gro-
tius dicit, quod verbum *cepi* Gen. 48. v. 22.
accipiendum sit in sensu prophético, pro certo
capiam, hoc est, per posteros meos, quando
per arma occupabunt terram Amorrhæorum.

Cœterum sicut exempla hæc rectè probant
intentum Grotii, nempe quod Jure Naturæ
capta in bello Capientium fiant: non tamen
existimamus, quod explicatio Grotii de ver-
bo

bo cepi, cum illud prophético sensu accipien-
dum censer, legitima sit. Non enim de fu-
turo, sed de *præterito* dicit, quod eam Jose-
pho & posteris tradat portionem terræ, quam
gladio & arcu suo cœperit, jam olim per fi-
lios, Simeonem & Levi, qui urbem Siche-
mitarum ferro & igne vastarunt, ob injuriam so-
rori Dinæ per stuprationem illatam. Quan-
quam enim Jacob non approbarit factum filio-
rum, sed potius detestatus fuerit, ut constat
ex Gen. 49: attamen, quia incolæ Urbis tru-
cidati, urbs direpta, fœminæ & pueri captivi
abducti fuerant, adeoq; factum infectum fieri
non poterat, ideo retinuit Jacob ejus Urbis &
Regionis possessionem. Neque tamen duo-
bus filiis Simeoni & Levi adjudicat; quia sce-
leratè occupaverant, & diripuerant, ne fa-
ctum approbare videretur; aut ne præmium
ex scelere haberent: sed eam iis aufert, ac
pio & morigero filio confert.

Unde nec Grotii sententia, nec etiam illo-
rum, qui prolepsin hîc statuunt, probabilita-
tem aliquam habet. Nam primo Jacob voluit
dare aliquid Josepho, quod possideret alio ti-
tulo, quam *communi* illo, quo postea Israelitæ
totam illam terram occuparunt: secundò stan-
te Grotii & illorum, qui anticipationem sta-
tuunt, sententia, Jacob dicere non potuisset,
se hoc fecisse in *arcu & gladio* suo; ita enim
Deo præripuisset gloriam suam, quam posteris

Jacobij DEO tribuunt Ps. 44. v. 4. *Non enim, inquit Psalmista, in gladio suo possederunt terram, sed per ARCUM & DEXTRAM Tuam, O DEUS!*

Myfticorum explicatio in hunc locum *pia* potius est, quam Scripturæ textui conformis, qui statuunt, per *arcum & gladium* Jacobi intelligendas esse ejus preces. Quanquam enim omnibus armis potentior sit *pia & devota precatio*: tamen in hoc loco non est mens Jacobi dicere, quam validæ sint preces apud Deum.

Observ. III. ad th. 8.

An capta in bello sint militum singularum, an populi seu Universitatis, vel Regis, sub cujus auspiciis bellum geritur?

VArias in hoc puncto esse doctorum sententias annotavit ipse Grotius; Dn Zieglerus ita loquitur: *Doctores hic valde variant. Aliqui enim* capientibus eas res acquiri simpliciter & indistinctè afferunt, ut Cujacius *l. 19. Obs. 17*: alii capientium quidem eas effici contendunt, debere tamen tradi Duci exercitus, ut is dividat inter milites juxta cujuslibet dignitatem & merita, ut Didacus Covarruv. *ad c. peccatum de R. J. in 6. part. 2. §. 11. n. 6.* Franc. Duaren. *tit. de A. R. D. c. 3*: alii verò eas illius faciunt, cujus auspiciis bellum geritur, quod prolixè defendit Antonius Merenda *l. 2.*

CON-

controv. c. 22: alii, quos sequitur Dominicus Arumæus *exercitat. Justin. n. 14.* distinguunt inter vulgaria, quæ fieri volunt militis occupantis, & preciosiora, quæ Principi populovè, cujus auspiciis belligeratur, attribuant. Hugo Donellus *l. 4. comm. c. 21.* non distinguit, ut cæteri, inter hostium res mobiles & immobiles, sed in genere de omnibus intelligit regulam in §. 17. *Inst. de R. D.* nempe capientium fieri omnia ea, quæ capiuntur ex hostibus. Discrimen tamen facit ex personâ capientium, ita ut, quæ privati capiunt ex hostibus, privata sint, & singulis acquirantur, quæ Imperator verò & Dux belli capit, publica fiant. Esse autem, ait, quædam, quæ nemo ex hostibus capere possit, nisi Princeps aut Resp. Talia esse duo: agrum hostilem & prædam, postquam scil. prædæ nomine id propriè venit, quod devictis hostibus desinit esse hostium.

Nos ita censemus, quod *decisio* hujus puncti, neque ex *Jure Gentium*, neque ex *Jure Civili*, haberi possit; pendet enim res ab arbitrio illius, qui suis sumtibus & periculo bellum gerit; non à voluntate militis, qui nihil aliud est, quam Instrumentum vivum. Proinde subscribimus verbis Dn. *Henniges*, qui ait: bellum justum, solenne & publicum est, quod publica auctoritate susceptum indictumque, cui gerendo milites tanquam idonea instrumenta

menta adhibentur. Hi quicquid in bello agunt, jussu publico agunt. Egrediuntur limites officii, si quid suo arbitrio agere volunt; nec beneficio sed pœna digni sunt. Quod hostem ubique offendere, ejusque res rapere licet, id ab Autoritate & consensu *Reipublicæ* bellum gerentis est.

Fundamenta, quæ in contrarium habet Textor cap. 8. n. 69. dissolvit Dn. Kulpisius.

Primaria ratio, quod *periculum* ad milites *quâ singulos* pertineat, idcirco & *commodum* ex rebus captis, vix rem evincet; sequeretur enim eadem operâ, & urbes expugnatas & quicquid denique in bello armatâ manu hosti eripitur, singulis debere acquiri, quod nec ipse *D. Textor* admiserit. Regula illa, quod quem incommoda, eundem & commoda sequi debeant, tum demum locum habet, quoties *commodi & incommodi par est ratio*, fatentibus omnibus *Jctis nostris*: ast hoc loco ea non obtinet, sive enim *conducti* sint milites, quorum operâ *Reipublica* utitur, sive proprii *subditi*, periculum hoc in bellis subire, obligatione verâ perfecta que tenentur, postquam ab his, qui belli gerendi jus habent, auctorati sunt, iisque sacramento militari se obstrinxerunt. Ne dicam, subditos ad defensionem *Reipublicæ*, cum vitæ quoque periculo, ipso subjectionis jure, obligari, etiam ubi nihil propterea expectandum habent: sentiunt tamen

men & hi & isti extra prædam commodum, quarentis mercedem ac stipendium pro operâ accipiunt, hique specialiter, obtentâ per victoriam communi salute, qua sua quoque continetur, quiete fruuntur. Quare rectius ad populum aut Regem, qui ad consecutionem juris sui bellum suscipere cogitur, eam regulam accomodamus, ut, cum ille ingentes sumtus ad instruendum servandumque bellicum apparatus facere propterea debeat, etiam prædæ commodum in compensationem aliquam hujus oneris sentiat. Quod *secundo* Justiniani Imperatoris aliorumque Romani juris Conditorum *autoritatem* attinet, illa quidem apud hos, qui legibus Romanis obnoxii sunt, efficaciter allegatur; non verò, ubi de controversiis juris Gentium agitur, quanquam nec hoc loco nobis sint adversi, quomodo enim textus isti accipiendi sint, satis à Grotio n. 12. est ostensum.

SUMMA
CAPITIS SEPTIMI
LIBRI TERTII.

De jure in captivos.

I.

Ostendit Grotius, quod ex NATURA nemo sit servus.

II. Bel-

II. Bello tamen captos fieri ex *Jure Gentium* servos; id qua ratione verum sit, explicatur in Observ.

III. Posteriores quoque servitute premuntur.

IV. Quo jure omnia in eos liceat monstratur.

V. Res quoque incorporales captorum dominum sequi.

VI. Fundamentum *Juris* exhibetur.

VII. An ita captis liceat fugere aut resistere dominis.

VIII. Jus hoc non semper apud omnes Gentes locum habuisse, multo minus inter Christianos,

Observ. I. ad thes. I.

An in bello capti jure Gentium fiant servi?

COMMUNIS est Grotii sententia, quod *Jure Gentium* in bello capti fiant servi: at proprie loquendo Jus hoc non est, sed CONSUETUDO, & quæ ne apud moratiores Gentes semper obtinuit, ut ipse Grotius fatetur; alias Christiani contra *Jus Gentium* agerent, quia hanc Consuetudinem ac Violentiam *humanitate* indignam abrogarunt. Et hoc imprimis in eorum sententia verum est, qui *Jus Natura* & *Jus Gentium* non distinguunt. Sanè enim *Jus Natura*, cujus basis est amor proximi,

du-

duram illam conditionem *servitutis* non suadet; multo minus præcipit; imo, cum NATURA omnes homines faciat æquales, potius adversatur Juri Naturæ *servituti*, quam quod eam probet.

Observ. II. ad th. 2.

An posteri servorum etiam fiant servi?

Grotius hîc iterum communem sententiam sequitur, quæ affirmat, quod posteri servorum etiam nascantur servi, idque ex *Jure Gentium*. Nos hîc iterum Jus nullum agnoscimus propriè dictum, sed meram *consuetudinem*, quam fatemur inter Gentes & maximè etiam apud Romanos obtinuisse. Sanè si Jus esset propriè dictum, tum, ut antè dictum, ille contra Jus Gentium ageret, qui natum ex servo relinqueret in *statu naturali*, quis autem hoc sine grandi absurdo diceret.

Observ. III. ad th. 5.

Cur Gentes servitutem captorum introduxerint?

Grotius ait, rationem ejus Juris esse hanc, ut captores commodo hoc deliniti, dum servum in suam potestatem redigunt, à rigore illo abstrahantur, ne captos interficiant, quæ sententia etiam placet Dn. Kulpisio. Verum
ex

ex hac ipsa ratione cernitur, quod hæc licentia redigendi captivos in servitutem non *pro* ac justitiam pro fundamento habeat, sed merum *utile*. Accedit, quod generosis animis *durior* sit servitus, quam mors.

Observ. IV. ad th. 6.

An in bello injusto capti fugere possint?

GROTIVS affirmativam sententiam tenet, si videlicet fugiant ad suos. Dn. *V. triarius* eousque progreditur, ut dicat, hoc non tantum licitum esse *Jure Gentium*, sed etiam *Jure Natura*: primo, quia talis sequatur Judicium suæ Reipublicæ, quæ ipsum injustè captum asserat: secundo talem nemini facere injuriam putetur aufugiendo; injuriam enim supponere *pro* in altero, quod injustum bellum gerens non habeat: tertio Jus ipsum Romanum hoc statuere leg. 19. de capt. & postl. rev.

Dn. D. Osiander dissentit, & fugam talem illicitam statuit, primò quia licet titulus acquisitionis habeat aliquod vitium, jus tamen domini salvum subsistat: deinde talem captivum, ait, in Conscientia obligari ad gratitudinem: tertio Petrum disertè hoc *pro* domini asserere Ep. 1. cap. 2. 18. 19.

No.

Nobis, salvo meliore iudicio, Dn. Vitriarii sententia placet, nec nos morantur contrariæ rationes; nam quomodo jus domini saluum subsistere potest, ubi fundamentum est injustum, & titulus acquisitionis mera est *violen-tia*. Deinde nullam debet gratitudinem injustè captus, eo quod à captore non est interfectus; neque enim jus habuit eum interficiendi, & si talem captum interfecisset, homicida & latro fuisset. Sicut ergò latroni gratitudinem non debeo, si me innocenter in via ambulantem non occidit: ita multo minus injustum bellum gerenti gratiam debeo, si me maluit in servitutem abducere, quam occidere.

Denique locus Petrinus non agit de eo, qui in bello injusto captus est, nec asserit, taliter captum fugere non posse; quin potius, si textus rectè inspiciatur, contrarium suadet. Dicit enim de mala ejus conditione, qui semel ex vinculis peccati liberatus, iterum in fœdam illam servitutem recidat: mallet itaque ut talis *libertatem* omni studio quæreret, non ut maneret in servitute.

Observ. V. ad eandem th. §. 4.

An furti crimine se polluat, si quis injusto bello captus subducatur res suas?

Sunt quidam, qui graviter reprehendunt Grotium, quod negativam sententiam

defendat: Nos existimamus, Grotium nullam censuram mereri.

Nam primò, qui injustum bellum gerit, injustus quoque raptor est; unde non potest dici, quod res ita ablatas *jure* possideat. Hinc si quis captas res suas repetat, tum non est ablatio rei alienæ, invito domino, lucri faciendi causa; res enim, quæ à violento & injusto hoste mihi rapitur, non est *aliena* sed *mea*: nec ille injustus *possessor* verus potest dici *dominus*, nec ille ad quem spectavit, licet sit captus, *lucrum*, sed *suam rem* quærit.

Secundo cur injustum bellum gerentibus hunc favorem exhibere, aut in illius gratiam sententiam ferre volumus, qui omni odio dignus est. Nihil enim detestabilius est bello injusto, in quo quot homines in prælio à talibus iniquis invasoribus interficiuntur, tot homicidia, seu latrocinia, committuntur; rectè enim Scytha ille & ex medulla justitiæ Alexandro M. dixit: omnium, quas adiisti, Gentium LATRO es; ubi *causam* videlicet *justam* non habuisti bellandi.

Et sanè satius esset, ut Theologi majore Zelo contra *injusta bella* agerent, & *Conscientiam* magis ambitiosorum Principum ferirent; qui sacrilegia in triumphis ferre solent, quam quod privatorum, res suas repetentium, causam magnorum criminum ream faciunt. Rectè magnus ille Italorum Politicus *Toletanus* Regis Hisp.

Hisp. Confessionarium increpat, quod in *Moralibus* ad aciculam usque examinaverit, quid requiratur ad furtum, ut sit peccatum mortale; & tamen omiserit Regi suo Philippo II. dicere, quod illæ cædes infinitæ & sacrilegia innumera, quæ in bellis injustè gestis commisit, peccata sint gravissima & æternam mortem merentia. Ubi tandem Boccalinitus concludit: *Toletus iste debuisset Regi suo dicere*

Chela lasa del diavolo fatta fit per i grandi, & per i picoli.

Quod domus Diaboli extructa sit non solum pro *PARVIS* sed & *MAGNIS*, hoc est, non solum pro *privatis*, sed & pro Regibus, nec pro furtis levibus tantum, sed & pro rapinis in bello & sacrilegiis.

Utinam hoc etiam Regi suo seriò inculcasset *Pair la Chaise*; aut si ille par non fuit, ad expugnandam Monarchæ illius aliàs magni conscientiam, cur Papa Rom., qui curam gerere vult universalem animatum, hoc non fecit. Quot myriades cæsorum hominum aliquando ante tribunal Dei stabunt, & Monarcham illum, qui tum ut persona privata stabit, de injustè illata mortè accusabunt.

SUMMA
CAPITIS OCTAVI
LIBRI TERTII.

De Imperio in Victos.

I.

Docet Grotius, quod, sicut in bello captæ singulares Personæ servituti subjici possunt, ita etiam Universitas. Regna itaque & Imperia bello acquiri possunt.

II. Si Regnum vel Respublica ita ab hoste sit oppugnata & expugnata, ut planè manus det victas; tum Respublica talis desinere dicitur.

III. Quod si victor Imperium in devictos exerceat non strictè herile, sed cum temperamento personalis libertatis; tum mixtum Imperium dicitur.

IV. Acquiruntur autem à Victore non tantum res corporales, sed & incorporales,

Observ. I. ad th. I.

An & quomodo Imperium acquiri possit in bello justo in populum, victo & capto Rege?

Grotius rectè docet, quod quemadmodum acquiri potest dominium in singulos in bello: ita quoque acquiri possit in uni-

ver.

versa, five in integram nationem, vel etiam partem ejus. Sed magna quæstio est, an, si populus aliquis sub sit Regi, & Rex in bello capiatur, simul capta ac subjugata censenda sit Universitas vel populus?

Hic distinguunt Doctores inter Regem, qui pleno jure Regnum possidet, five, ut alias loquuntur, si Regnum habet in *Patrimonio*, tum devicto & capto Rege, censeari etiam totum Regnum quasi captum esse. Deinde alii sunt Reges, qui alias dicuntur *Usufructuarii*, atque adeo, qui Regium quidem gerunt titulum, ad quos tamen regnum ipsum per modum *patrimonii & proprietatis* non pertinet. De his dicunt, quod, etiamsi capiantur, Respublica talis tamen non censeatur subjugata, sed illa maneat sui juris; atque adeo nisi etiam populus, seu STATUS REPRESENTANTES totum systema, ad obsequium redacti sint, nihil agatur, sed persona Regis capti habeatur *proprivata*.

Gallia in hoc negotio aliam planè viam institit, capto Francisco I. à Carolo V. Nam cum negari nequeat, quòd Galliarum Regnum sit in *Patrimonio* Regis; ut proinde Carolus V. etiam sub hac fiducia cum dicto Francisco I. transigeret; atque ipsum sub duris quibusdam conditionibus è captivitate dimitteret: Parliamentum Parisiense omnia pacta, etiamsi juramento regio firmata, irrita pronunciavit; sub

specioso prætextu, quod Reges Galliæ omnes sint sub TUTELA Regni, ac proin omnia illorum promissa nulla sint atque irrita, nisi per Regnum confirmentur. Sed hic prætextus & color ex Schola Machiavelli desumptus est, quem si omnes Reges & Principes in pactis suis & promissis adhiberent, quis sanæ mentis fidem amplius illis adhiberet. Toties enim ea pacta rumpi possent, quoties e re & *Utilitate* Regni videretur.

Quicquid verò sit de Gallia, quæ dudum ob *levitatem* & fidem lubricam malè audit: Nos censemus, quod, quoties persona Regis capta est, sive is regnum habeat in patrimonio, vel sit tantum usufructuarius; toties populus fiat *SUI JURIS*, adeoque sese justè defendat contra hostem, in manu sua Regem captivum habentem; captus enim amplius Rex non est. Unde cum Sapor Rex Valerianum Imperatorem in bello cœpisset, non propterea totum Imperium Romanum devictum fuit, nec Roma statim submisit fascēs.

Sic cum nuper victus & fugatus esset Sueciæ Rex à Moscovitis, & per integrum penè annum extra regnum Sueciæ in Turcico Imperio viveret; non proinde Suecia cessit Moscovitis, sed se ad hodiernum diem masculè defendit.

Observ. II. ad eandem thesin.

An rectè à Grotio dicatur, quod victori Imperium acquiri possit in populum, sicut illud in populo est?

DN. Zieglerus, ut & B. Dn. Osiander Grotio hic controversiam movent, & dicunt, hæc admitti non posse;

Primo quia thesis illa stabilire videatur distinctionem inter Majestatem *realem* & *personalem*.

Secundò inquirunt, Imperium non esse nisi in Rege, neque populum illud vel *formaliter* vel *radicaliter* habere:

Tertio Imperium & Majestatem coincidere; sicut ergo Majestas non sit nisi in Vicario Dei, ita nec Imperium; populo verò nihil relictum esse, nisi obsequii gloriam.

Verum enim verò, si Grotius rectè inspicatur, tum abluatur ab ejus scopo; quæstio enim ipsi tantum est, quid *Jure Gentium* acquiratur Victori, ubi ait, Victorem succedere in *JURA* victi, ac non ultra sibi acquirere. Unde si *Rex* sit devictus; tum victorem talis *Regis* succedere in *JURA* ejus, neque posse ultra aliquid *Jure Gentium* prætere: si verò Imperium sit penes populum, uti est in *democratiâ*; tum Victorem acquirere jus & Im-

perium in populum ea plenitudine, qua populus habuerit.

Et in his nihil videmus, quod virgulam censoriam mereatur. Res per exemplum illustrari potest: sic si Poloniæ Rex à Borussia vel Sueciæ Rege esset devictus; tum acquirerent sibi Regnum, stando in Jure Gentium, sub illis *juribus*, sub quibus Poloniæ Rex habuit: & si Galliæ Rex Helvetios devinceret, & in suam potestatem redigeret; tum iterum ex vi *Juris Gentium* illud Imperium acquireret in dictos Helvetios, quale Imperium populus ante habuit.

Equidem id per experientiam constat, quod plerumque Reges in populos devictos longe durius Imperium exercent, quam ante habere; sic Galliæ Rex, Argentoratum atque Urbes Alsaticas occupans, longè durius eas habet, quam ante fuere habitæ: sed non est quæstio quid fiat, sed quid fieri Jure debeat; neque amplius ea tempora sunt, de quibus Justinus ait, quod Reges ante Ninum bella gesserint, *non ut Imperium, sed ut gloriam quærerent, ac contenti victoria Imperio abstinerent.* Imo etiam si promissiones & pacta inter Victorem & devictum populum hodie inquantur, ut Argentorati & alibi factum est: tamen hodie nihil frequentius est, maxime Gallis, quam ut fidem pactis non habeant. Pudendum autem imprimis est hoc seculo Regum pronun-

cia-

ciatum, QUOD SERVI NON SINT SUORUM VERBORUM; hoc enim si *privatus* aliquis diceret, indignus haberetur omni *Societate*; melius enim est cum *Cane* conversari, quam cum homine nullius fidei, ut rectè dixit *Augustinus*.

Quod rationes Grotio oppositas spectat, de iis generaliter jam diximus, quod Grotium directè non oppugnent: obiter interim id notamus, quod distinctio inter potestatem seu Majestatem realem & personalem non sit planè rejicienda, sed tantum dextrè explicanda, ne in unâ Republica duplicem SIMUL existentem Majestatem statuamus. Sic si Rex aliquis, in primis in Regno electivo, motu proprio sanè non omne Imperium ac potestas est extincta, quanquam appellari non solet Majestas; sed potest deinceps populus pro lubitu agere, & in Rempublicam iterum introducere formam Regiam, vel Aristocraticam, vel Democraticam. Unde

Secundo universaliter dici non potest, quod Imperium non sit in populo. Equidem si Rex adsit, tum non est in populo: at verò in Aristocratia, & maximè in Democratia, Imperium *formaliter & radicaliter* est in populo.

Ad tertium dicitur, Magistratum in Aristocratia & Democratia æque esse *Vicarium Dei*, quam est Rex: neque Nos censemus, Regibus & Principibus nostris illud Taciti proponendum

dum esse, quod *subditis nil nisi obsequii gloria sit relicta*; sed potius, omni studio illis id instillandum, quod sanctissimus & Majestaticus Deus Regibus præcepit Deut. 17. v. 15, 16. 17. 18. 19. 20. nempe ut sint diligentes Legis divinæ Lectores & Observatores, ut subditos tractent non ut servos, sed ut fratres, ut luxuriæ & libidinis instrumenta devitent, multas scilicet uxores, & equos &c.

Ista utinam Regibus diligentius inculcarentur; quod gravissimam Deus rationem postulaturus sit de gesto Regimine, & quod norma Judicii in die extremo sit futura Lex illa divina Deut. 17.

Denique Christianis Principibus, si præter spem Deum loquentem audire nollent, illud sapientissimi Romanorum propinandum esset: *Rempublicam non esse Principis, sed Principem esse Reipublicæ.*

Observ. III. ad th. 4.

Quid juris competat Regi in populum, qui se dedit?

ANte audivimus, quale jus competat Regi in devictum Regem & populum subjectum ex *Jure Gentium*: nunc quæstio est, quid Regi competat, si populus vel Republica devicta simpliciter se *victori* dedat.

Re-

Respondetur, Grotium hîc rectè dicere quod omniâ Bona tum *corporalia* tum *incorporalia* in tali casu intelligantur dedita. Sic Campani olim populo Romano Victori se subjecere, unde *deditionis* formula: *Populum Campanum Urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia in vestram Patres Consec. ditionem dedimus.*

SUMMA
CAPITIS NONI
LIBRI TERTII.
De Jure postliminii.

I.

Postliminium est jus, quod nascitur ex reditu in limen pristinum, sive etiam ad limites amicorum.

II. Species duæ sunt postliminii, nempe ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus.

III. Jus postliminii potest competere in pace & bello.

IV. In pace postliminium est apud Romanos his, qui non virtute bellica superati, sed fato suo deprehensi sunt, ut qui cum bellum subito exarsit, apud hostes reperiuntur.

V. Liber homo ita demum postliminio redit, si hoc animo ad suos redierit, ut eorum res sequeretur.

VI. Li-

VI. Liber homo ad suos rediens non se tantum sibi acquirit, sed & res omnes, quas habuerat apud populum pacatum.

VII. Qui se dedunt, jus postliminii non habent; quia pactiones cum hostibus factæ valent jure Gentium.

VIII. Populus Jus postliminii habet, si forte eos vis sociorum exemit hostili Imperio; non vero, si multitudo, quæ civitatem constituerat, dissoluta fuerat.

IX. Res etiam in postliminio sunt, ut agri, loca religiosa, quin & usufructus.

X. Cum rebus mobilibus non est par ratio; quia in præda sunt.

XI. Res, quæ intra præsidia hostis nondum sunt perductæ, postliminio non indigent; quia dominum nondum mutarunt ex Jure Gentium.

XII. Olim Jus postliminii locum habuit non tantum inter hostes, sed & inter Romanos & populos externos.

Observ. I. ad th. 2.

An recte definiat Grotius postliminium?

Magnas lites hic habuere ingenia magna, Grotius & Salmasius. Cum enim Grotius Postliminium definivisset, quod sit Jus, quod nascitur ex reditu in limitem, id est, fines publicos: *Salmasius* in suis ad Jus *Atticum* & Rom. Obs. cap. 26.

cap. 26. illam definitionem Grotianam castigavit ut insufficientem: *Est ergo, inquit, postliminium secundum vim ac proprietatem nominis Jus, ex quo nascitur reditus ad limen, id est, domum.* Si verò, inquit Salmasius, *lumen de finibus publicis interpretamur, ut voluit Vir doctissimus Grotius, nullum erit postliminium servorum.* Cum servus, inquit Paulus, *Civitatis nostræ ab hostibus captus inde aufugit, & vel in Urbe Roma ita est, ut neque in domini sui potestate sit, neque ulli serviat: nondum postliminio rediisse existimandus est.* Hæc ille. Sed facilis est pro Grotio responsio, nempe quod ille loquatur de Jure Postliminii hominis liberi, non servi, qui exiguo gaudet jure vel beneficio, si ab una servitute in aliam seu priorem redeat.

Obsery. II. ad th. 7.

An jura ad postliminio redeuntem redeant?

Doctissimus Zieglerus existimat, quod accuratè loquendo hoc dici non possit; quia captivus possessionem rerum suarum non planè amiserit. Dupliciter enim *Possessionem* considerari posse, vel ut est *facti*, hoc est, quoad *exercitium & usum*, & in quantum quis incubare potest rei suæ; & hac ratione captivum esse exclusum, & hoc velle Jurisconsultum

rum, cum dicit captivos *possessionem* corporaliter amittere ff. l. 23:

Vel posse considerari, in quantum possessio jus involvit; & hac ratione captivum possessionem in animo suo retinere posse.

Verum hæc subtilitas frustranea videtur; nam, ut responderet Antonius Faber *rational. l. 4. tit. 6.* possidere est sibi habere, & animo Domini; fieri autem nequit, ut quicquam sibi & animo Domini possideat is, qui Sui non est, & ab alio possidetur. Is enim demum possessionem animo retinere potest, qui eam corpore quoque acquirere potest, quod in captivi personam, dum in eo statu est, cadere non potest.

Observ. II. ad th. 9.

An Jus postliminii etiam competat populo aut Reipublica?

Grotius noster affirmativam tenet, quam si vis vocis attendatur, & definitio Grotiana aut Salmasiana postliminii assumatur, vix hoc dici possit. Nam cum ut supra audivimus, *postliminium sit jus, quod nascitur ex reditu in LIMEN*, ut dicit Grotius, vel in **DOMUM**, ut mavult Salmasius: neutro modo hoc dici potest, nisi *populus* vel Respublica extra limen, seu extra fines publicos deportetur, & post aliquod tempus redeat; cujus rei vix exemplum

emplum habemus, nisi fortè Judæorum, qui per Nabuchodonosorem in captivitatem abducti, postmodum iterum per Cyrum & Darium post septuaginta annorum effluxum manu missi & libertate donati fuere. At per se patet hanc Clementiam Cyri non posse dici *postliminium* respectu Judæorum.

Propinquius exemplum ponit *vander Myelen* in provincia Ultrajectensi, quæ Anno 1672. à Gallis occupata, ab iis post derelicta, pristina libertatem omniaque jura pristina, non duntaxat jure *Postliminii*, ut loquitur laudatus Author, sed, quod magis est, vi fœderis socialis, cui tanquam basi sua & fundamento innititur Reipublicæ Batavæ fabrica, sibi vindicare propria Authoritate potuit. Statim enim, atque ab hoste derelicta, sui juris facta erat; subacta equidem provincia erat, sed non dissoluta, ac corpus idem populusque manebat. Meritò igitur, postquam jugum Gallicum excusserat, quasi *postliminii* jure omnia commoda & jura, quæ habuerat ante devictionem, integra & intacta ipsi relinquenda dictabatur ratio & æquitas, juxta fœderis Trajectini tenorem. Ita ratiocinatur *Mylius*.

Verum ut supra dictum, *POSTLIMINIUM* proprie sic dictum ibi locum non habuit; neque enim populus Trajectinus extra fines provincie fuit deductus, nec potest dici, quod redierit in limen, sive in patriam; sed *JURA*,
per

per Tyrannidem Gallicam oppressa, reviviscabant. Requiritur itaque ad *postliminium* propriè sic dictum *absentia à Civitate*, & deinde *reditus*: ac nihil horum de Provinciis illis Batavis dici potest.

Vid. *Pufendorf* libr. 8. c. 6.

Aerodius tit. de captiv. & postl.

SUMMA CAPITIS DECIMI LIBRI TERTII.

I.

Grotius in hoc & sequentibus capitibus multa temperat, quæ ante *licita* esse Jure Gentium dixit,

II. Unde asserit, quod, si belli causa injusta sit, etiam omnes actus, qui inde nascuntur, *interna injustitia* injusti sint.

III. Hinc bellum injustum gerentes ad restitutionem teneri, contendit.

IV. Quin etiam ii tenentur ad restitutionem, qui operam navarunt: etiam si primi Authores belli non sint.

V. Tandem etiam, qui damnum non dedit, sive prædas non egit, si tamen rem injuste ablatam penes se habeat, tenetur ad restitutionem juxta Grotium,

Observ.

Observatio Generalis

HActenus egit Grotius de eo, quod in foro externo licet, & impunitatem habet; unde multa Jure Gentium permiffa & licita effe dixit, quæ IN SE & in foro interno & ratione *Justitia Intrinsicæ* non licent. Unde qui in Conscientia tutus effe vult, non fpectare debet, quid *impune* & licitè in foro externo facere poffit, fed quid falva Conscientia, & falvo Jure divino. Neque enim vel Gentium mores, vel Leges civiles permitttere, vel præcipere poffunt, quod à Jure Naturæ præceptivo, vel à fenfu Conscientiæ rectè informatæ abit. • Conscientia enim, quæ eft Tribunal DEI, quod in anima noftra erexit, debet effe dictatrix & formatrix omnium noftrarum actionum: juxta ejus dictamen totius vitæ curfus institui debet, & hanc Regulam agendi qui obfervat, is nihil licitum ftatuet, nifi quod iuftum & pium ex omni parte eft. Hoc ipfum fi noftri Reges ac Principes bene confiderarent; aut fi Confessionarii ipforum rectè inculcarent; non tam facilè in bella prorumperent, ne tam amplam læviendi in homines licentiam fibi fumerent, quali JURE GENTIUM concessa fit.

Observ. II. ad th. I.

An servi nomen ab injuria natum sit?

Grotius id asserit, & producit testimonia tum JurisConsultorum, tum aliorum scriptorum Politicorum. Dn. D. Osiander dissentit ex variis rationibus; primo enim ait, si percurramus servorum genera, tum Juris titulos inveniemus; nempe vel *nativitatem*, ut *partus sequatur ventrem*, e. gr. in servis Abrahami; vel *emtionem*, ut Josephus fuit venditus à fratribus Gen. 37; vel *debita*, ut servus ille in Evangelio; vel *ius belli*, unde mancipia quasi manu capti; vel *pœna*, prout Cananitz facti sunt servi; vel denique conductio ad mercedem, prout illa hodiè obtinet.

Sed advertendum Grotium loqui de servitute, quæ est ex bello; deinde cautè addit, se loqui, si quis in bello *injusto* captus, & in servitutem redactus sit. De hac itaque servitute si loquamur, indubium est, quod sit injuria.

Deinde exempla & Juris tituli, quos producit Celeberr. Vir, non videntur Nobis probare intentum; nam quod *partus ventrem sequatur*, ex mero jure civili est; &, si res ab *intrinseco* spectetur, negari non potest, quod illa Lex fundamentum in Jure Naturæ non habeat,

beat; Jus enim Naturæ dicit, *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*. Si itaque ille *Legislator* natus fuisset ex serva, & si quæsitus fuisset, an æquum censeat, ut ille pari servitute prematur, qua mater: procul dubio respondisset, quod *NON*. Unde etiam *Christiani* servitutem abrogarunt, tanquam cognationi communi generis humani & Charitati, quam Jus Naturæ præcipit, adversam.

Exemplum autem Abrahami habentis servos nihil validè probat; *servitus* enim illa non fuit dura, sed ministerium tantum quoddam, summa cum lenitate & æquitate temperatum, de quo non est in præsentia quæstio: venditionem autem Josephi summam fuisse *injuriam*, negare nemo potest. Sic qui debita petulanter contraxit, in pœnam & satisfactionis loco redigitur in servitutem, de qua specie servitutis itidem non est quæstio: sic & capti in bello injusto *INJURIAM* patiuntur, prout Grotius rectè probat ex Aristotele Gentili in pol. l. 1. c. 6. Sanè Christianismum *verum* abhorreere à *servitute* illa, quæ olim apud Romanos & alias gentes obtinuit, in propatulo est.

Egregium hic est monitum Apostoli Pauli Eph. 6. v. 9: ubi præcipit *Dominis*, ut in *servos* suos sint benigni; addita ratione, quia Deus judicaturus sit *Dominum*, ut *servum*; & quod apud Deum nulla sit inter utrumque differentia,

Observ. III. ad th. 4.

An milites teneantur ad restitutionem eorum, quæ in bello injusto abstulerunt?

RECTissime Grotius hic affirmativam tenet, quamvis praxis hodierna etiam apud Christianos contrarium doceat; nempe illic jam ventum est in Christianismo, ut Ethnici etiam longè sint *justitiae* tenaciores, quam Christiani, qui tam sanctam à Christo regulam vivendi acceperunt. Causa tam dissolutæ jam vitæ apud Reges & Principes maximè residet penes improbos Consiliarios, qui consilia sua non ex *Justitia interna*, neque ex præscripto Legis Divinæ desumunt, sed ex Ingenio Dominorum suorum merjuntur, obliti *Conscientiæ*, quam non ipsi tantum pro se curare deberent, sed etiam Dominorum suorum observare. Altera causa est tepor Clericorum, qui, ne amittant officia, vel in discrimen adducant familiam, vel jacturam patiantur in bonis, Dominis suis non cordatè *injustitias* commissas ostendunt. Memorat Historia, quod Rex Galliarum Anno 1688. primores Cleri sui advocavit, & quæsierit, an juste bellum Cæsari, contra Turcas felicissime belligeranti, inferre possit ad progressus contra infideles sistendos; & responsum acceperit *Affirmativum*. Nempe

pe

pe sciverant inclinationem Regis, cui contradicere aut resistere nolebant, Quam turpe & impium hoc in eo Clero fuerit, facile est colligere. Propius jam ad thesin Grotii accedendo, dicimus ad restitutionem non saltem ablatorum, sed etiam damni dati, obligatos esse primò Principes, utpote quorum autoritate & jussu bellum geritur. Nam sicut in genere in *Moralibus*, qui *jubet*, potissimas in actu malo partes habet, & primo ipsi actus talis imputatur: ita in *bello* prima *Imputatio* fit Principi. Deinde sunt *Consiliarii*, qui Principem consiliis suis instigarunt: tertio sunt *Duces militiæ*: quarto milites. Omnes, hi si damnum dedere, ad restitutionem seu reparationem tenentur.

Neque hic audiendi sunt, qui putant nimis hoc durum esse, ut etiam illi ad reparationem damni dati obligentur, qui ministerium suum saltem adhibuere, atque adeo quasi *Instrumenta* tantum fuere; cum nemo debeat *minister* esse *nequitia* vel *injustitia*; & *instrumenta* talia *rationalia* FORUM suum INTERNUM habeant, in quo non considerantur, ut *Instrumenta*, sed ut *agentia* per se, & ut rationem reddere tenentur Regi Regum & Domino Dominantium.

Quare, etiamsi non negemus, in foro humano eum, qui jussu Superioris in Civitate damnum dat, culpa vacuum esse eatenus, qua-

tenus Auctoritas Superioris eum ab omni pœna & necessitate refarciendi damni absolvit: tamen Judicis terreni mandatum non præstat *verum* in foro Conscientiæ subditum, aut quemcunque ministrum; Leges enim Divinæ semper sunt præferendæ humanis.

Observ. IV. ad th. 6.

An is, qui rem bello captam ab alio penes se habet, teneatur eam reddere?

HÆc quæstio supervacanea videtur, quia in praxi quotidiana decisio est, quod **NON**. Quis enim unquam rem talem restituit: aut quis Judex humanus obligavit possidentem ad restitutionem? Quanta enim hodiè, dum omnia bello fervent, esset **MATERIA LITIS**; si in injusto bello acquisita vel possessa quis reddere deberet.

Sed rectè Grotius, respiciens non id, quod fit, sed quod fieri deberet, respondet affirmativè ex varia ratione; primò quia, ut alter, cui per bellum injustum res est erepta, re sua carere debeat, nulla justa causa subsit; nec consensus adsit ejus, cui res rapta est; nec malum ejus meritum, nec compensatio.

Justitia ergò & Æquitas imperat, ut etiam ille, qui raptor ipse non est, sed tantum rem injusto bello ablatam penes se habet, sive titu-

lo oneroso sive lucrativo, eam reddat; rei enim furtivæ semper adhæret vitium furti, quod non purgatur, nisi res in Domini potestatem revertatur; & proinde nemo ejusdem justus dominus fieri potest in foro scilicet *interno* & Conscientiæ.

SUMMA

CAPITIS UNDECIMI
LIBRI TERTII.

Temperamentum circa Jus interficiendi in bello justo.

I.

Docet Grotius, quod etiam in justo bello non valeat illud; *omnia dat, qui justa negat.*

II. Ait interfici neminem posse, nisi aut in pœnam justam, aut quia ab eo aliter vitam & res nostras tueri non possumus.

III. Nec ob infortunium rectè aliquem interfici posse, utpote qui coacti partes sequuntur.

IV. Etiam mortem meritis hostibus sæpe pœnam rectè condonari.

V. Inprimis autem cavendum, ne innocentes præter propositum occidantur.

VI. Parcendum pueris & fœminis, nisi quid gravius admiserint, item senibus,

Rr 4

VII. Pars

VII. Parcendum etiam iis, qui sacra aut literas tantum curant, item agricolis, mercatoribus & similibus, ac captis.

VIII. Recipiendos quoque, qui se dedere volunt sub æquis conditionibus.

IX. Etiam eos, qui sine conditione se dedere, nisi grave delictum antecesserit.

X. Multitudo magna si sit delinquentium, clementiæ etiam locum esse debere.

XI. Neque obsides occidendos, nisi deliquerint.

XII. Neque excursions facile à Duce permittendas, illas imprimis, quæ tantum ad ostentationem, & non ad finiendum bellum fiant.

Observ. I. ad th. 2.

Quos liceat interficere in bello justo?

IN capite quarto hujus libri Grotius statuebat, quod lædere hostem liceat in Persona & in rebus; ita ut non tantum eos interficere *Jure Gentium* sit permissum, qui arma portant, sed & inermes, & omnes qui sunt intra fines hostiles:

At verò in hoc Capite undecimo temperamentum ponit, & docet, quid ex *Jure interno* permissum sit; nempe neminem ex proposito *juste* interfici posse, nisi aut demerito & in

in pœnam, aut si aliter vitam ipsam tueri nequeamus.

Et rectè; nam longè aliud est dicere, quid Gentes ex more pro *licito habuerint*; aliud est, quid *Jure interno* concessum sit. Nam *licentia* illa & *permissio*, quæ est ex Gentium moribus desumpta, sæpe plus indulget, quam justum est, ac *impunitatem* & excusationem tantum habet in *judicio* vel *theatro* mundi, non in foro Divino.

Interfectio itaque omnis & profusio sanguinis humani si sit ex proposito & sine gravissima ratione, crimine non vacat. Nam Deus ipse minatur *Exod. 21. qui percusserit hominem & occiderit, morte moriatur*. Hæc ergo lex, quæ à summo rerum Creatore & arbitro est profecta, sanctior longè & majoris obligationis est, quam ut Gentes eam per mores suos vel tollere, vel oppositam LICENTIAM introducere queant.

Quin & cognatio naturalis, quam *natura* inter homines constituit, ex uno enim omnes sanguine sumus, hominem homini arctissimo vinculo ita constringit, ut etiam Cicero agnovit, NEFAS esse hominem homini insidiari: hinc etiam omnium animis præceptum illud Juris Naturæ inscriptum est, *Neminem esse ladendum*.

Obsery. II. ad th. 4.

*Qua Ignorantia excuset factum,
quæ non?*

Grotius in toto §. 4. multa rectè docet, & imprimis explicat, quomodo actiones considerandæ sint, quæ non ex plena voluntate, aut etiam ex plena scientia processere: deinde dividit Ignorantiam in excusabilem & inexcusabilem, & dicit, dari etiam *ignorantiam Juris* excusabilem. Id quod in Jure humano concedimus; sed in Jure Naturæ, vel etiam divino, negamus. Sic enim doctissimus Patrum Augustinus libr. 1. Retract. cap. 13: *Qui nesciens peccavit, non incongruenter volens peccasse dici potest; quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit: & libr. 1. oper. imperf. ad Julianum cap. 105. Necessè est, ut peccet, qui, nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta Juventutis meæ & ignorantia meæ ne memineris. Quod Genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimittere rogaret HOMO FIDELIS. Unde dicit & Dei famulus Job: signasti peccata mea in sacculo, & annotasti, si quid in vitis commisi.*

Justitia hujus rei est, quia omnis Ignorantia Juris divini & Naturæ est Ignorantia *prava*
di-

dispositionis, ex ipso peccato oriundæ, de quo suo loco plenè.

Observ. III. ad th. 9.

An in bello fœminis & pueris sit parcendum?

Quanquam certum sit, quod regulariter fœminis in bello sit parcendum: dari tamen possunt justæ causæ, ut & illæ occidi queant.

Primæ est, si ipsæ fœminæ bello materiam subministraverint, vel suadendo, vel damnum directè aut indirectè inferendo. Sic Jesabel seductrix illa fœmina rectè occisa fuit à Jehu. Et cum Num. 25. Israelicæ Moabitarum fœminis parcerent, Moses Ducibus exercitus Israelitici id exprobravit, dicens: *cur fœminas reservastis: Nonne ista sunt, quæ deceperunt filios Israel, & prevaricari vos fecerunt in dominum super peccato Beor, unde etiam percussus est populus.* Pergit verò in justa & sancta hac ira Moses, & præcipit: *cunctos interficite quicquid est generis masculini, & mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate.*

Secunda causa est, si contra Sexus conditionem hostilia manu & armis moliantur fœminæ. Sic apud Vobiscum Aurelianus Imperator mulierum, quæ virili habitu pugnarunt, cecidit multas, in triumpho quoque duxit haud paucas.

Ter-

Ter tia est, si Reipublicæ hostiliumque partium tanta essent crimina, tamque graves injuriæ ut meritò tota Respublica severissimam castigationem mereretur. Sunt enim etiam fœminæ portio Reipublicæ, & delinquentibus viris consensum præbent, vel expressum vel tacitum.

Quarta est, si Deus ipse imperet talem interfectionem. Sic Deut. 3. v. 6. populus Israeliticus, viæto Rege in Basam, ex præcepto divino pueros & fœminas occidit; quod quidem mandatum non processit ex absoluto quodam dominio in vitam hominis, sed ex justa pœna, populo Idololatræ & multis sceleribus inquinato inflicta.

Observ. IV. in th. 18.

Quid liceat in obsides?

Grotius hîc rectè statuit, quod obsides non possint occidi, etiamsi fidem fefellerit is, qui obsides dedit. Nam primò *obsidibus* non potest imputari, quòd fides fracta est, sed Reipublicæ imputari debet; secundò nulla conventionè aut pacto ullo sanciri potest, ut pro *alieno* crimine alicui vita adimatur. In Jure Divino habemus quidem exemplum sponsoris Christi, sed is *potestatem* habuit *ponendi animam suam*, atque iterum *sibi dandi*, qualem potestatem nulla Creatura habet. Ad hoc

hoc igitur exemplum, quod *immensa charitas* adinvenit, & *immensa justitia* RATUM habuit, & *immensa potentia* confecit, PROVOCATIO nulla dari potest.

Unde etiam, si obsides se ita obligare voluissent, quod vitam suam pro pignore dare velint, OBLIGATIO tamen nulla est; quia nemo Jus habet in vitam suam, quod rectè ex JCis observavit Cæpolla *Consil. 690.*

In Gothico bello Lucensibus à pacto desciscentibus, Narses tamen, ut magni erat animi, obsides demum remisit, neque premium ullum libertatis deposcens, neque per ullas condiciones civitati extorquens *Agath. libr. 1. Goth. Sic & Ludov. de Molina* rectè dicit, *quod, si obsides dati sunt innocentes*, quia vel non sunt doli capaces, vel in causa non fuerunt, ut Princeps, aut Respublica, quæ illos dedit, fidem frangeret, neque ullo dolo usi sunt, interfici non possint propter peccatum sui principis aut Reipublicæ, tametsi resineri ac servituti subijci possent.

Eo minus autem licet tales obsides interficere aut duriter tractare, si bellum sit injustum. Unde inexcusabilis est Gallorum sævities, cum in bello injustissimo, quod contra Imperium Germanicum habuere, *obsides ex Wirtembergia* acceptos Ao, 1693. durissimè tractarunt; quin imò *Viros optimos* & in Republica magnum locum tenentes per lictores & carnifices ex Ar-
ger-

gentorato *Metas* duxerunt: minantes haud raro vel *triremes* vel patibulum. Christianissimum Regem talia non decent. Neque etiam ipsi tam infamem tyrannidem tribuimus, sed sævissimis ejus Consiliariis aut avarissimis *Ministris*, qui ut magnam belli summam extorquerent, tam diris remediis usi sunt.

Sed talia facta sequitur tandem à tergo ULTOR DEUS; qui etiam Regibus & Principibus ostendere solet, quod sit IMPERATOR supremus.

SUMMA
CAPITIS DUODECIMI
LIBRI TERTII.

De temperamento circa Vastationem & similia.

I.

Recte docet Grotius; quod in *vastatione terra hostilis* magno temperamento opus sit; ne odio magis, quam ratione peracta videatur.

II. Unde abstinendum à vastatione eorum, quæ nobis frugifera; nam rectè Josephus ait, si vocem edere possent arbores, clamaturas esse, se iniquè pati.

III. Stolidum etiam esse ait: insanire in recta, parietes ac columnas.

IV. Nee

IV. Nec sanum esse, scire in ea, quæ proximè nostra sunt futura;

V. Aut si hostis aliunde habeat, quo se sustentet; aut si res ipsa ad fovendum bellum nullius sit usus.

VI. Maximè autem parcendum rebus sacris & religiosis.

VII. Denique egregiè monet Grotius, quod hoc ad Christianos Duces ex officio pertineat, ne violentas urbium direptiones concedant, ut quæ abire non possint sine gravissimo multorum innocentium malo ac damno.

Observ. I. ad th. I.

Quenam vastatio iusta sit Justitia interna?

HOdiernis moribus quæstio hæc supervacanea est; adeo enim *licentia militaris* omnia vastandi in praxin abiit, ut temperamentum hîc ponere frustraneum sit. interim sciat miles, quod, ut in antecedentibus diximus, ipsi non minus reddenda sit ratio coram tribunali Divino, quam cuivis prædatori. Equidem si bellum *iustum* sit; & si *devastationes* tales ideo tantum fiant, ut vires hostis debilitentur, tum excusationem quandam habent: at verò plerunque pro *ratione* furor est. Verè Seneca: *Arma non servant modum, nec temperari facile, nec reprimi potest strictiensis ira.*

Observ.

Observ. II. ad th. 3.

An Lex de non excindendis arboribus frugiferis adhuc obliget?

L Ex hæc à Deo data est Deut. 20, quæstio jam est, an hæc ipsa Lex adhuc obliget Christianos. Hactenus quidem nostri milites non credidere, quod id peccatum sit DEI offensivum, aliàs forte non ita grassati fuissent contra frugiferas arbores; nec Duces forsitan de hac lege aliquid scivere; & quia hæc Lex inter Leges Mosaicas legitur, pro *Ceremoniali*, quæ vim in novo Testamento non habeat, referri posse crediderunt.

Sed verior est sententia, quod hæc ipsa Legis divinæ dispositio in æquitate naturali, adeoque in Jure perpetuo fundetur. Nam Philosophi veteres ex lumine Naturæ id videre, ut testis est Jamblichus *Philosophus* Pythagoræus, qui ait: *mansuetam frugiferamque arborem nec ledere, nec excindere fas est.*

Secundo quod tibi non nocet, sed potius prodest, id vastare barbaries est; at hoc faciunt arbores frugiferae. Unde Lex exstat Platonis de Republica, quæ præcipit, ne terra vel ager vastetur: & *Philo* ait, quid rebus inanimis, quæ & mites sunt, & mites fructus ferunt, irascaris? Huc pertinere etiam potest illud Pauli Rom. 8. v. 20. 21. *ubi dicit, quod Creatura Vanitati hominum subjecta sit, &*

ingemiscat: qui gemitus Creaturarum, etiam inanimatarum, licet nec intelligi à nobis, nec audiri queant, veri tamen sunt.

Observ. III. ad th. 6.

An licitum hosti templa vastare?

Hoc punctum jam supra est tactum, ubi dictum, si *ius Gentium*, in quantum *impunitatem externam*, & consuetudinem inolitam apud Gentes notat, spectetur; tum *licere* hostibus in templa & sepulchra grassari; sed hanc *licentiam* summam esse impietatem etiam diximus.

Sed quæstio nunc est specialis, quid intendat Grotius per ea verba, cum dicit, inter eos maximè valere debere hanc æquitatem de non vastandis templis, qui eundem Deum ex eadem Lege colunt, etiam si forte sententiis quibusdam aut ritibus dissideant.

Ubi Dn. D. Oslander censet, id ambiguè dictum esse; posse enim id intelligi de Judæis, Muhamedanis & Christianis; Grotii enim mentem esse, omnes hos unum Deum colere.

Sed pace tanti Viri, cujus utique cineres mihi tanquam Genero religiose venerandi sunt, dico, illum potius intelligere varias sectas in Christianismo, ut est Pontificia, Calviniana & Arminiana, cui Grotius addictus fuit; has putat tantum sententiis & ritibus dissentire,

de cætero verò unum eundemq̄ Deum ex eadem Lege, videlicet Scripturæ sacræ, colere. Movemur autem ad hanc explicationem; quia apud Judæos, Muhamedanos & Christianos non est dissensus tantum in sententiis & ritibus, sed dissonantia est summa; nec unus apud tres has Religiones Deus colitur. Christiani enim credunt in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. tanquam in tres Personas Deitatis, à qua Doctrina summè abhorreat tum Judæi, tum Muhamedani. Nec una Lex est; nam apud Turcas Lex est Alcorani, quem detestantur Christiani: Judæi verò à Lege fidei, quæ est fundamentalis lapis Christianismi, abhorrent. Sed de hoc puncto mox plura.

Observ. IV. ad thesin eandem.

An Religio Lutherana, Calviniana, Arminiana & Pontificia in cultu Unius Dei convenient, & tantum sententiis ac ritibus differant?

ITa censet Grotius, ut audivimus in antecedentibus: at verò, si res rectè inspiciatur, prohdolor dicendum est, quod hæc sententia nullo modo admitti queat. Diximus *prohdolor!* nihil enim magis optandum foret, quam ut hæc sententia Grotii vera esset; cessarent enim crudissima illa odia, quæ inter has Religiones, & maxime inter Pontificiam & Evan-

gelicam sunt, ac facilis concordia iniri posset; quis enim tam emotæ mentis est inter Protestantes, ut, si sciret, quod tantum in ritibus seu sententiis, nihil ad fundamentum fidei facientibus, discrimen sit, non lubens se cum illa Religione uniret, in quâ citra persecutiones quiete & tranquillè vivere potest. Sanè miseri Huguenotæ in Gallia stolidissimè egissent, quod exilia, triremes & mille carnificinas, cum dispendio omnium bonorum, pro non necessariis sententiis & indifferentibus ritibus sustinuisent.

Dicimus ergo breviter, summam & fundamentalem esse differentiam inter religionem Protestantium & Pontificiorum, quod ostendit totum Concilium Tridentinum, repræsentans Ecclesiam Pontificiam. In eo enim potissimi Articuli fidei nostræ tanquam Hæretici sunt damnati; quin singulis annis in septimana sancta solenniter ceu hæretici excommunicamur & damnamur; ubi consequenter nunquam agnoscent Pontificii, quod tantum propter sententias & ritus diversos nos damnent; quemadmodum & nos Evangelici nunquam asseruimus, quod nulla fundamentalis & realis distantia sit inter Nos. Quicquid sit de D. Calixto. De quo puncto videatur noster tractatus de Ecclesia.

Quod ad Dnn. Calvinianos attinet, hic meritò distinguimus inter Calvinianos propriè

sic dictos, hoc est, qui Calvini *horridam doctrinam* de Decreto absoluto *cum annexis* defendunt, & inter eos, qui Anglicanæ Ecclesiæ sensum habent; hi posteriores longè magis cognati sunt cum nostra fide, quam priores. Atque utinam in synodo Dordracena magis auditus fuisset doctissimus *Davenantius Angliæ Episcopus* cum lociis.

Arminiani, si substitissent intra quinque articulos, prout ipsorum Doctor Jacobus Arminius *primo* eos posuit, tum consanguinitatem cum nostra fide habuissent. Verum Simon Episcopus, Pœlenburg, Curcellæus, Limborch & alii nimis deinceps ad castra Socinianorum impia abivere: Grotius, quanquam & ipse Arminianus, sincerior in fide fuit, quam modo dicti.

SUMMA

CAP. DECIMI TERTII
LIBRI TERTII.*De temperamento circa res captas.*

I.

Docet Grotius, quod res subditorum etiam in justo bello captæ restituendæ sint; si captura major sit, quam causa est debendi.

II. Nec etiam pro alieno crimine tale Jus
exurgit.

II.

III. Debitum duplex est, aliud primarium, aliud subnascens, seu secundarium, quo pertinent impensæ belli.

IV. Concluditur, humanitatis & virtutis esse, summo & rigoroso jure non uti.

Observ. I. ad th. I. §. 2.

Quid sentiendum de distinctione inter Justitiam internam & externam?

HÆc distinctio sæpissimè usurpatur à Grotio, tantique apud eum est momenti, ut nisi illa probè intelligatur, tum totus liber tertius intelligi non possit: sed vellicat eam celeberr. Dn. vander Myelen, & ait, se hanc distinctionem probare non posse.

Primò quia quicquid justum dicatur, id ab omni parte debeat esse *justum*, tum in foro *Poli*, tum in foro *Soli*; atque huic normæ actus nostri respondere debeant, si justici dicendi sint. Cum itaque *Justitia*, quæ vocetur *externa*, talis non sit, nec in foro *Poli* admittatur; ideoque nec *Justitiam* dici posse.

Secundo ait, *Justitiam*, quæ dicatur *externa*, ortum habere ab abusu *Juris Gentium*; dum omne id *justum* externè, & *Jure Gentium* dicatur, quòd apud Gentes in *consuetudinem* & *licentiam* abierit: sed talem *LICENTIAM* non mereri, ut *Jus Gentium* dicatur; cum potius sit *LICENTIA* iniqua, & damnosa.

Tertio ne quidem Gentes pacisci potuisse, ut ultra debitum quis rem ALIENAM capiat, vel ultra meritum pœnam infligat; talis enim generis excessus ex ipso *Jure Naturæ* esse illicitos.

Nos existimamus Dn. vander Myelen rectè notasse primò, quòd hæc *distinctio* inter *Justitiam internam & externam* non sit *divisio Justitiæ* propriè sic dictæ; *Justitia enim externa* non est veri nominis *Justitia*, sed *consuetudo* potius, à Gentibus per ætēros actus introducta, inducens *impunitatem* in foro externo.

Secundo etiam illud verum est, quod abusus in hoc sit vocis *Juris Gentium*; Jus enim Gentium univocè sic dictum respicit conservationem *Societatis humanæ* primario, isque finis ejus est *principalis*: sicut Jus Naturæ in genere ostendit, quid sit bonum vel malum; atque ad illius amplexum, hujus verò fugam obligat; vel juxta Paulum est Regula quædam Divinitus menti nostræ inscripta, Rom. c. 2. Sicut ergo deprædationes & vastationes, quæ in bello fiunt, adversæ sunt societati humanæ; sicut etiam repugnant principio Juris Naturæ, *quod tibi non vis fieri, id alteri non feceris*: ita non potest dici, quod illæ *Justitiam* aliquam habeant.

Interim sicut illa divisio introducta est in Republicam literariam inter *Jus Naturæ præceptivum & permissivum*, cum tamen propriè
nul-

nulla deur Lex vel Jus permissivum; legis enim *forma est vis obligativa* ad agendum vel omittendum: ita etiam introducta est illa altera inter *Jus Gentium praeceptivum & permissivum*; quanquam istae *permissiones* saepissime vitiosae sint.

Interim, quia usu jam receptae sunt istae distinctiones, vel ideo tantum admitti possunt, ut Scriptores intelligantur, qui istis crebro utuntur. Huc pertinent quoque ea, quae apud Theologos occurrunt, ut cum dicitur, Polygamiam fuisse *licitam*, aut *Jus* fuisse Judaeis dare libellum repudii; Jus enim proprie loquendo non fuit in libello repudii, nec *licentia* proprie sic dicta, nisi in foro externo, non vero interno. Sic & in Jure Praetor dicitur *Jus* dicere, etiamsi *injustam* IN SE sententiam ferat; & Juris esse dicitur, *secundum acta & probata* judicare, quanquam Judicium sit datum contra propriam *scientiam*.

Obſerv. IV. ad th. 3.

Quid intelligat Grotius per debitum primum, & per subnasens?

TErmini hi apud Scriptores in his syllabis ac formalibus non inveniuntur: quanquam quoad REM habeantur. Igitur advertendum est, per DEBITUM PRIMARIUM intelligi *Dammum* illud vel injuriam, propter quam primario susceptum est Bellum: per *Subna-*

scens vero debitum intelliguntur sumtus illi & *impensas* bellicæ, quæ sæpe *primarium* debitum non tantum augent, sed etiam superant.

Hic ergò, qui *justum* bellum gerit, non tantum petere potest *satisfactionem* vel *reparationem* pro *damno* dato, sed etiam pro *impensis* belli, cum *Temperamento* tamen, ne *impensas* ultra debitum extendat.

Unde *Franciscus à Victoria* de *Jure belli* n. 56. ait: *si Galli, irruentes in terram Hispanorum, jussu Regis sui pagum incenderunt; non ideo fas erat Hispanis, integrum Regnum Gallia occupare, sed solum, quatenus justitia & equitas permittit, illam Gallorum injuriam vindicare, subductis etiam belli expensis.*

Observ. II. ad th. 4.

An latius pateant Charitatis quam Juris Regula?

Grotius id asserit, sed ipsum oppugnant Dn. Zieglerus, & Dn. vander Myelen. Verba celebr. Viri ita se habent: *Lex Naturæ sive moralis omnibus suis partibus absoluta est & perfecta, & proinde nos obligat ad omnia illa officia præstanda socio, quæ charitas exigit, quamobrem, quæ charitatis, illa etiam sunt Juris Regule. Qui Legem moralem tanquam normam vivendi amplectitur, eique consentaneam vitam degere facultatem haberet, is verè justus esset,*
adeo.

adeoque vitam æternam tanquam premium adimpleta Legis petere jure posset: verè autem JUSTUS dici nequit, qui non omnes omnino partes justitiæ adimplet, id est, universaliter justus est. Quippe cum Lex moralis sit regula obligans ad id, quod rectum sive justum est, sic latissime patet, ita ut omnes omnino virtutes complectatur.

Verum enim verò Grotii mens non est, quam laudati Doctores ipsi affingunt, quasi statuatur Regulam Charitatis simpliciter latiore esse quam Legis moralis; non credo, quod Vir accuratissimus in hoc loco ad Legem totam moralem respexerit: sed hoc vult, quod Charitatis regulæ latiores sint, quam Justitiæ commutativa; quæstio enim est de debito, quod utique pertinet ad Justitiæ commutativam. Hic sanè nemo negare potest, quod debitum reddere sit in obligatione juris; unde ex Jure Romano illud familiare est: *aquissima vox Prætoris est, solve, quod debes.*

Quin & ipse D. vander Myelen in hanc Grotii sententiam delabitur, inquiens: *qui jure suo utitur, neminem lædit; & qui à debitore, licet inope, satisfactionem exigit, utitur JURE suo.*

Jure ergò sive ex Regulis Justitiæ commutativæ juxta Dn. vander Myelen creditor ab inope debitore satisfactionem & debitum extorquere potest: at verò longè aliud dicit Authenticus Charitatis & Regularum ejus interpres Christus Luc. 6. v. 41: *Mutuum date*

pauperibus, etiam inimicis, *nihil inde sperantes*. Hanc sanè Regulam Charitatis à Christo explicatæ lædit, quisquis *pauperem debitorem* rigidè impellit ad debitum solvendum: & tamen juxta *vander Mylium* non agit contra *Injustitiam*; imo tandem in hæc verba erumpit: *qui debitum suum exigit Jure PERFECTO*, ei opponi nequit inopia debitoris, ut remittat debitum vel in totum, vel pro parte, *quasi humanitatis vel charitatis Lege hac sibi imposita esset necessitas*; quippe *fortius Jus est PERFECTUM*, cui cedit IMPERFECTUM.

In sententia ergò D. Mylii *debitum exigere à paupere est Jus perfectum*: contra verò debitum ex *Charitate* & ex *Lege Salvatoris nostri* est Jus IMPERFECTUM. Hæc profecto in *foro Interno* dici non possunt: Forum autem externum supra rejicit Dn. vander Mylius. Breviter: In *Judicio* & *foro Divino* longè *perfectius est Jus* exercendi Charitatem, quam id, quod in materia *debiti* Creditor respectu pauperis debitoris habet. Nam si *totum debitum* pauperi remittit ac condonat, non tantum non injustè agit, sed & sanctissimè atque optimè, & juxta præceptum Salvatoris: *Estate misericordes, sicut & Pater vester in Cælis misericors est*: contra si debitum extorquet, non aliter à *justo & sancto* judice tractabitur, quam ille *Matth. 18.* qui propter immisericordiam ad *æternos. carceres damnatus est.*

Observ.

Obsetv. III. ad ejusd. th. 2. & 3.

An distinctio in bello locum habeat inter Cives reos & innocentes?

Grotius noster existimat, quod Jus in bello in bona subditorum innocentium saltem sit introductum in subsidium; unde prius satisfactionem petendam ab Originariis debitoribus sive reis, quam ab innocentibus. Quæ ipsa doctrina displicet non tantum Dn. Zieglero, sed & Dn. vander Mylio, qui ait, hanc distinctionem inter Cives *reos* & *innocentes* locum in bello habere non posse: propterea quod omnes Cives præsumantur idem velle ac nolle, quod Principi placeat; ac proin eandem causam defendere velle censeantur. Unde *concludit*, quod æquo jure omnes teneantur belli jura pati, & omni sublata distinctione, omnes tanquam Originarios debitores habendos.

Nobis magis placet sententia Grotii; nam primo *presumptio* illa, quod omnes Cives idem velint ac nolint, mera *factio* est, quia millies fallit, adeoque fundamentum præbere pro bello justo ad cædes patrandas non potest.

Secundo si pueris & fœminis ideo parcendum est in bello, quia innocentes sunt, quanto magis *innocentibus Civibus*; cum priorum *Innocentia* oriatur merè ex imbecillitate judicii vel immaturitate ætatis. At verò si in Repub-

blica

blica Cives abhorrent à bello, dissuadent bellum, cum gemitu & suspiriis vident Principem suum dilabi ex ambitione in bellum : quis non crederet, illos revera innocentes esse ; sicut Jeremias tempore *Zedekia* cum aliis, bellum dissuadentibus, pro *innocente* fuit habitus.

SUMMA
CAP. DECIMI QUARTI
LIBRI TERTII.

De Temperamento circa captos.

I.

DOcet Grotius, quod hostis, justum bellum gerens, non ultra jus habeat in captos, quam debiti primarii aut subnascentis quantitas patitur.

II. Hinc internâ justitiâ domino non licere interficere *innocentem* ait; *homo enim, quamvis serviat*, homo tamen est.

III. Neque etiam licet duriter nimis tractare servum, juxta ipsum Legis Divinæ tenorem Deut. 15. v. 17.

IV, Valetudinis quoque servorum habenda est ratio.

V. Debentur etiam necessaria alimenta servo.

VI. Si intolerabilis sit sævitia domini: servo fugere licet.

VII,

VII. Nondum nati per se in servitutem non nascuntur, sed servi fiunt vel ex consensu parentum, vel ex præstita alimentacione.

VIII. Ubi servitus non est in usu, ut apud Christianos, optimum est permutari captivos.

Observ. I. ad th. I.

Quousque capere homines in bello justo liceat illæsa Justitia?

Grotius in hoc puncto cum hoc temperamento procedit, ut dicat, eousque *licitam* esse in foro quoque interno talium hominum acquisitionem sive capturam, quousque *debiti* aut *primarii* aut *subnascentis quantitas* patiatur.

Sed dubium hic movet Dn. Zieglerus & quærit: *quis æstimationem faciet hominum captorum, ut justa observetur proportio; utique enim victor se minus accepisse, alter verò se plus perdidisse facile causabitur.*

Sed dubii hujus solutio facilis est, nam Grotius hîc loquitur de JUSTITIA INTERNA, cujus Tribunal est FORUM CONSCIENTIÆ. Nam Conscientia nostra tam æquus & sincerus judex est in talibus, ut, si modo audiatur, incorruptè deciditur sententiam, atque in excessu rarè vel nunquam, neq; in defectu facilè peccaturus; quia quo magis recedet ab exacta & rigoro-

satisfactione, eo magis abibit ad confinia Charitatis, in qua summa Christiani Principis consistit perfectio.

Neque is, qui in bello iusto victus est, & satisfactionem debet, quicquam causari legitime poterit; cum probe sciat, si ex more consueto, & ex *Justitia*, ut vocant, *externa*, cum ipso ageretur, omnia ejus Victoris arbitrio esse subiecta.

Observ. II. ad th. 2.

An differentia sit inter servum, qui in bello captus est, & inter eum, qui ex delicto proprio talis?

Grotius distinctionem ponit, & sanè magna est. Nam causa servitutis est distinctissima; ille enim alter innocentissimè in captivitatem potest venire, exempli gratia: Philopemenes Dux militiæ fuit, si quisquam, celebris, non ob actus tantum fortitudinis, sed & alias insignes virtutes; & tamen in hostium potestatem per infortunium incidit: quis diceret, tam virtuosum Heroem æque mereri duram servi conditionem, quam qui pœnam ac servitutem ex turpi delicto meretur. Sic & *Regulus* Romani exercitus Dux, qui pulcherrimas contra Afros obtinuit victorias, postea verò per insidias captus est: quis statueret Virum talem vincula, aut mortem acerbam æquè

æque demeritum, quam qui ob malefacta carnifici deberet subijci.

Quare rectè Spartanus ille Domino suo dicebat, se *captivum* non *servum*; adeoque qui longè honestius tractandus sit, quam *servus*, qui ob scelus dignas servitutis pœnas luit. Unde si res ex *Justitia interna* consideretur, captus, qui à parte justè bellum gerentis stetit, planè in servitutem redigi non deberet: qui vero injustas partes secutus & militis mercenarii munus gerit, sibi imputet, si captus servire tenetur: sin Principem summ ut subditus vel civis in bellum secutus est, defendendo magis, quam offendendo, temperamento servitutis dignus est.

Denique in genere damnamus omnem atrocitatem ac sævitiam in servos, qui ex captivitate in bello tales sunt; nulla enim æquitas est, ut quis infortunii pœnam luat.

Observ. III. ad th. 3.

An Dominus ex Justitia interna jus vita ac necis habeat in servum?

DN. vander Myelen ad hanc thesin dicit, quod Dominus jus vita ac necis in servum habeat, non repugnare rationi vel Æquitati; rationem addit: quia in statu naturali, antequam in Civitatem coaliti mortales erant, quisque paterfamilias habuerit tale Imperium in membra familia sua.

Ac

At verò hoc Jus dicitur vel absolutè competere, vel demum ex conditione, si servus aliquod scelus dignum supplicio committat. Si prius, falsa est assertio; omni enim rationi & æquitati repugnat, ut quis hominem *innocentem* morte plectat. Neque etiam tale Jus ulli Regi aut Principi Deus unquam concessit; atq; adeo non tantum EXERCITIUM non competit ulli, sed nec Jus. Quod si verò de *servo nocente* sit sermo: tum dominus non habet Jus vitæ ac necis in eum, ut est *servus*, sed ut est **REUS**.

Quin ipsa *Cognatio* naturalis, dum ex uno semine omnes nati sumus, prohibet, ut *Jus absolutum vitæ ac necis* in ullum nobis *servum* competat. Seneca pulchre id expressit Ep. 47. *Vis tu cogitare, illum, quem Tuum servum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui Cælo, æque spirare, æque mori?* Addimus ex Christianismo: qui æque redemptus est ex tristi ac æterna captivitate ac tu, quisquis es; qui æquè Jus habet ad hæreditatem vitæ æternæ, ac Tu; qui æquè in Lege Regia Charitatis Tibi præscriptus est, ut ipsum ex toto animo ames, ac quivis alius; qua ratione Jus in vitam & mortem ejus Tibi competet?

Vid. *Guil. vander Myelen* Comment. in *Groenium*.

Observ.

Observ. IV. ad th. 5.

An Sabbathum demum institutum

sit Exod. 23. v. 12?

ITa viderur sentire Grotius in th. 5, dum probare satagit, quod valetudinis habenda quoque sit ratio in iervis; ait enim, huc spectasse Legem Hebræam in Sabbathi institutione. Ubi Deus dicit: *Sex diebus operibus tuis incumbes; septimo verò die cessabis; cum ut bos, asinusque Tuus requiescant, tum ut verna Tuus & peregrinus respirent,*

Cum Grotio conspirant multi ex Dn. Reformatis. Apud Patres primitivæ Ecclesiæ in utramque partem hæc quæstio fuit tractata. In Affirmativam inclinat Justinus in Dialogo cum Triphon, Tertull. lib. contr. Jud, Damasc: pro Negativa stant *Augustinus, Chrysostomus & Theodoretus*, & cum iis B. *Lutherus*, quæ etiam nobis longè probabilior viderur; utpote Scripturæ Sacræ magis consona.

Nam primo Deus dicitur statim post absolutum Opus creationis benedixisse, & sanctificasse diem septimum præ aliis diebus Gen, 2. v. 3. ubi verba sunt: *Es benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit ipsum; cum in eo quiescisset ab omni opere suo, quod creaverat DEUS,* Sane hæc verba aperte ostendunt, *benedictionem & sanctificationem* hujus diei spectasse

specialem quandam ejus *distinctionem* ab aliis & *consecrationem* ad *cultum* divinum, ut ille quasi natalis mundi & tanti beneficii memoria recoleretur, ut loquitur Philo *de Opificio hominis*: ut proin frustra sit Franciscus Gomarus & alii, qui prolepsin hic fingunt, & contendunt, respici ad locum Exod. 16. v. 4. ubi dicatur: Benedixit Deus diei septimo, & *sanctificavit* eum, nempe tum, quando Manna, ante de cælo pluens, depluere cessavit. Frustra, *inquam*, hæc dicuntur. Quanquam enim nolumus negare, quod Scriptura quandoque prolepsi utatur: nunquam tamen ad eam est confugiendum, nisi rei natura, aut circumstantia, aut necessitas id suadeat. At verò nihil horum hîc occurrit: sed potius variæ rationes obstant, quò minus admitti talis prolepsis debeat. Primo, quia, ut Deus quievisse dicitur ab operibus suis hoc die septimo *proprie & historice*, non *proleptice*: ita & benedixisse & sanctificasse illum; uno enim tenore ista proponuntur, & de eodem die septimo Creationis debent intelligi, non de alio simili, quod etiam articulus demonstrativus satis clarè notat. Secundo, quia positâ prolepsi sensus verborum Mosis erit, Deus post sex dierum opus peractum quievit die septimo; ideoq; post annos bis mille quadringentos & quinquaginta trës benedixit simili diei, & eum ad *usus sacros* sanctificavit, quòd quàm durum sit

fit & coactum, nemo non vider. Tertio nulla solida ratio afferri potest, cur Moses voluerit in simplici historiae seu rerum gestarum bis mille annis, antequam ipse exiterit, narratione aliquid inserere, quod suo tempore demum factum erat; cum hoc aperte tenderet ad historiam, quam texebat, obscurandam potius, quam explicandam, nullo addito istius prolepsos vel minimo indicio. Unde *Cornel. à Lapide* rectè ait; Planissimè Deus à mundi exordio diem illum *sanctificavit*, id est, actu festum instituit, colique voluit ab Adamo ejusque posteris pio otio & cultu Dei, maximè recolendo beneficium Creationis suæ.

Fundamentalis ratio porrò est: quia *Exod. 26. v. 23.* mentio fit Sabbathi, tanquam jam noti & solennis inter Israelitas ante ipsam legis promulgationem, in datione Mannæ: cum jubentur colligere die sexto & quiescere septimo, quod Sabbathum erat Domini. *Illud est, inquit, quod edixit Jehova quies, Sabbathum sanctum est Jehova cras, quod cocturi estis, coquite.* & *v. 26. Sex diebus colligetis, die verò septimo Sabbatho non erit.* & *v. 30.* Considerate, quia DEUS dedit vobis ipsum Sabbathum, manete quisque in loco, ne exeat è loco suo, scilicet ad colligendum Manna, sic quiescebat populus septimo die, quod dici non posset, nisi jam tum Sabbathum institutum fuisset, & præceptum à DEO. Nec excipi debet: hîc

demum institutum fuisse, quum Dominus ait, *cras futurum Sabbathum*. Quia, quomodo-
cunque legatur, sive *cras est*, ut plerique in-
terpretes vertunt, sive in futuro, *cras erit*, ut
alii nonnulli, quorum neutrum est in Hebræo;
hoc non notat primam Sabbathi institutionem,
sed tantum ejus confirmationem & hortatio-
nem ad illud ritè observandum: ne tam solen-
nis diei institutio tam obscure fieri debuit,
sed solennem etiam & claram præcepti divini
declarationem habere debuit.

SUMMA

CAP. DECIMI QUINTI
LIBRI TERTII.*De temperamento circa acquisi-
tionem domini.*

I.

DOcet Grotius, sicut æquitas & humani-
tas erga singulos observari debeat, ita
etiam vel maximè erga populum.

II. Laudabile esse, si imperium non qua-
ratur in victos.

III. Salubre etiam quandoque, miscere
victos cum victoribus Romanorum exemplo.

IV. Aut etiam relinqui posse Imperium
iis, qui habuere.

V. Aut imponi posse præsidia, vel etiam
tributa & contra.

VI.

VI. Magnam sæpe utilitatem haberi ex tali moderatione, quod per exempla monstrat Grotius.

VII. Aut si imperium assumendum sit, tum rectè partem aliquam victis relinqui.

VIII. Aut certe libertatem aliquam, præcipuè in Religione.

Observ. I. ad th. 1.

An valeat argumentum Grotii à singulis ad universos?

Grotius, ut probet, æquitatem & Justitiam internam etiam apud populos integros & Respublicas devictas esse observandas, argumentum sumit à *singulis*, & dicit: *quæ in singulos aut exigitur æquitas, aut laudatur humanitas, tantomagis in populos; quanto in multos insignior est & injuria & beneficentia; quæ ratio utique valet. Sicut ergo gravior longe est injuria, quæ pluribus infertur, quam quæ uni homini; & homicidium decem hominum gravius est scelus, quam unius: ita æquitas & humanitas, vel clementia longe est majoris virtutis, quæ pluribus, quam quæ uni præstatur.*

Sed hoc moribus hodiernis rarè observatur. De Rege Galliz constat, quod JUSTITIAM in suo Regno respectu singulorum suorum Civium rectè & strictè observet, melius quam in multis aliis Regnis fit: at verò, si de populis

fit sermo, sive quando de acquirendo populorum dominio agitur; tum parum curat, an per vim, an per artes Machiavelli, vel per falsa juramenta scopum suum attingat. Sequitur ergo in his dictum illud Cæsaris: *si jus violandum est, regnandi gratia violandum est, in cæteris pietatem colas.* At Christianus Princeps invertere potius stylum deberet, & dicere: *si fides & juramenta, ac pacta servanda ulli sunt, tum Principi sunt servanda;* quid enim amplius tutum erit, si fides Regum vacillat. Certè ruptæ crebræ pacificationes cum Cæsare, Hispanis, Anglis, Hollandis, & imprimis etiam pactum Nannetense cum Huguenotis, juramento firmatum, Regimen Gallicum, quod aliàs laudatissimum & par Orbis Imperio foret, valdè à summo suo gradu dejiciunt.

Observ. II. ad th. 7.

An utile sit Imperii modum tenere?

Grosius id asserit: sed non credit Alexander M. cui Imperium unius orbis nimis angustum fuit. Nec præterito seculo Philippus II. Hispaniarum Monarcha terminum suo Imperio ponere novit. Nec hodiè Ludovicus XIV. cujus ambitio si modum tenere scivisset, parem à multis seculis non habuisset Europa. Sed hoc & in Christianismo sum-

summum est, & Gentiles Philosophi ex Lumine sanæ rationis hoc adverterunt.

Augustus Cæsarum prudentissimus, qui artes regendi sine nota perfidiæ ad summum perduxit in supremis suis tabulis hoc dedit Senatui Rom. Consilium, ut Imperium intra certos terminos redigeretur, ut contenti Romani non cuperent fines Imperii *extendere*. Dion. libr. 56. Quin dicti Romani **TERMINUM** pro Deo coluere; adeo ut etiam ad hunc usque diem *simulacrum* in ascensu ad *Capitolium* ad dextram, nisi fallor, videatur. Huc etiam spectat sapientissimum Isocratis monitum ad Nicoclem: *Emulare non eos, qui latissime Imperium propagarunt: sed eos, qui id rectissime administrant*. Propositio, quæ **AUREIS CHARACTERIBUS** omnibus Regibus & Principibus non in **CONCLAVIBUS** tantum, sed & in *Cordium penetralibus* scribi deberet. Vera Magnitudo Principis Christiani stat in Magnitudine animi pro **SALUTE** populorum, non in *extensione* & magnitudine provinciarum: qui multas & magnas habet provincias, *magnas habet curas & magna Onera*; hæc qui non credit animæ suæ incumbere, ne prima quidem Christianismi nec sanæ rationis principia perspecta habet.

Observ. III. ad th. ii.

*An victor teneatur victo populo
Religionis a vita libertatem concedere?*

Nihil minus vim ac coactionem admittit, quam Religio; sicut enim Conscientiæ vis inferri non potest nec debet, ita nec Religioni. Unde etiam Character falsæ Religionis in Papatu est, quod homines jubeat ad fidem cogere. *Fides suadenda est, inquit rectè Lipsius, non imperanda.*

Aliter res est comparata cum Atheis, quorum Religio est nullam profiteri religionem; qui, quia nullum agnoscunt Deum, Deo & hominibus jure sunt invisæ, nec tolerandi sunt in ulla Republica, quia omnem ejus vim everunt, ad minimum INDIRECTÆ.

SUMMA

CAP. DECIMISEXTI

LIBRI TERTII.

*De temperamento circa ea, quæ
jure postlimini carent?*

I.

Docet Grotius, internam Justitiam exigere, ut reddantur, quæ hostis noster alii injusto bello eripuit; quod illustrat per exempla.

II. In-

II. Interim, si per commercium res talis ad aliquem pervenerit, poterit is ei, cui res erepta fuit, pretium à se numeratum imputare.

III. Etiam populus subditus, aut populorum partes reddendæ his, quorum fuerant, si ab hoste injustè occupati sunt.

IV. Obligatio interna reddendi non extinguitur, ut censet Grotius.

V. In dubia Belli causa remedium optimum est causæ materiam dividere.

Observ. I. ad th. 1.

Cur dominium internum non habeat, qui in bello injusto aliquid acquisivit?

DE hoc puncto equidem jam supra aliquid est actum, interim meretur pleniorē discussionem, quia Paradoxum hoc moribus hodiernis est. Itaque sciendum, non hîc queri de *dominio externo*; id enim satis constat, quod in bello solenni etiamsi injusto res tamen capientium militum sint, qui etiam earum *dominium* in alios transferre possunt: sed quæstio est de *Dominio interno*, hoc est, in quo spectatur Res juxta Principia & dictamen Conscientiæ; & sic dicitur, quod non tantum capiens rem in bello injusto non sit *justus*, sed dominus, atque adeo quod ex justitia restituere teneatur rem ablatam, sed etiam quod se-

cun-

cundus & tertius possessor, quamvis juxta jus civile sit bonæ fidei possessor, eam restituere teneatur.

Ratio fundamentalis Grotii est; quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat: at *dominium internum* primus captor in bello injusto non habuit; quare nec illud habebit, qui causam ab ipso obtinet.

Secundo cum *bellum injustum* ex intrinseca sua *Moralitate* vitiosum sit: non possunt non omnes *effectus*, qui exinde resultant, *vitiosus* esse. Vitium itaque inhæret rei tali captæ, & transit ad omnes possessores: sicut res à latrone vel fure rapta *vitium suum* retinet, etiamsi in decimam manum pervenerit. Undè rectè *Zieglerus* dixit: *Leges Romana denegant actionem Publicianam illi Possessori, qui titulum habet a fure: etiamsi, ut ampliat Jason; furem esse ignoravit; quoniam vitium inhæret rei, cum furtivarum rerum nulla sit usucapio, eoque nec Publiciana actio.*

Nec obstat, quod Jus Gentium res in bello solenni, etiam injusto, captas adjudicet capientibus, atque ipsis ut dominis jus concedat cum tali reagendi & in alios transferendi pro lubitu; nam Jus Gentium, sicut nec Jus Civile, sufficiens non est Moderatrix actionum humanarum, ut illæ in FORO CONSENTIÆ sint JUSTÆ & TUTÆ. Unde dictum Jus Gentium multas possessiones tuetur tanquam

legitimas, quæ tamen in Foro Interno Conscientiæ legitimæ non sunt.

Observ. II. ad th. 2.

An etiam ex Lumine Naturæ ostendi possit, quod res in bello injusto ablata sint restituenda?

DE Jure Gentium & Civili vidimus, quod præter necessitatem sint nimis LAXAE, dum non tantum LICENTIAM concedunt taliter ablata servandi, sine ulla obligatione RESTITUTIONIS: sed etiam hanc LICENTIAM, quasi sine PECCATO esset, defendunt & censent, quod talis LICENTIA conformis sit SOCIALITATI, tanquam principio Juris Naturæ.

Sed Grotius rectè ex Historia probat, quod Gentes in multis casibus FACTO ipso ostenderint, quod agnoscant, LICENTIAM talem non esse conformem DICTAMINI INTERNO.

Primum exemplum producit ex Livio, qui refert, quod devictis Volscis à L. Lucretio exposita fuerit præda in *Campo Martio*, ut quis ex Volscis Suum per *triduum cognitum abduceret*. Idem memorat, quod post Samnitium de Campanis victoriam acciti fuerint Campani à Victoribus, ut prædam inspicerent & res suas reciperent. Paria habet de Scipione Duce, de L. Emilio Gallorum Victore & aliis. Talia exempla omnibus, qui Christianismum pro-

fiteren-

firentur, pudorem incutere deberent, quod Gentiles, qui in mero Lumine *Natura* steterunt, nec de Christi *mansuetudine* & *Regulis Charitatis* quicquam noverunt, centies meliores sint, quam qui tam sancto nomine gloriantur. Quam tremenda erit in die Judicii contra tales hypocritas Christi Vox: Væ tibi Bethsaida, væ Tibi Chorazim! Væ Tibi Gallia, Hispania, Germania!

Observ. III. ad th. 5.

*Quo temporis spatio extinguatur
reddenda rei interna obligatio?*

Quanquam magna vis sit temporis apud Dn. JCTos, ut patet in materia usucapionis: in foro tamen *Justitia interno* res non ita comparata est; quin potius, quo diutius res injuste acquisita possidetur, eo gravius fit peccatum. Unde rectè Mylius: *obligatio interna, qua quis tenetur reddere & restituere rem, qua ab injusto possessore AD SE pervenit, nullo temporis spatio, ne quidem longissimo, evanescere aut extinguere potest; quippe vitium illud, quod rei inhæret, & Conscientiam gravat, purgari nequit, nisi per Restitutionem.*

SUM-

SUMMA

CAP. DECIMI SEPTIMI
LIBRI TERTII.*De his, qui in bello medii sunt.*

I.

Docet Grotius ab iis, qui medii sunt, sive qui bello impliciti non sunt, nihil sumendum, nisi in extrema necessitate.

II. Probat id Grotius per exempla ex Verbo DEI, & Moratorum Gentilium.

Observ. I. ad th. 1.

Quid liceat in medios seu neutrales?

Grotius recte asserit, quod à pacatis & extra bellum positis nihil liceat sumere, nisi quod imperat SUMMA NECESSITAS, ubi tamen Restitutio precii JURIS Naturæ est. Sed id hodiè plerumque non observatur. Legantur apud Dn. Pufendorfium in Hist. Brandenburgica ea, quæ ab Anno 1672 usque ad 1673. commissa fuere à Gallis, bellum gerentibus contra Hollandos, & mirabitur lector, quanta damna dicti Galli intulerint pacatæ Germaniæ, ut, si restitutionem damnorum datorum facere necessum habuissent, vix integra Gallia suffecisset. Quanquam autem uberrimæ querelæ tum ab Imperio, tum à Principibus & Statibus

lz-

læsis ad Regem Galliæ aut Duces exercitus
essent perlata: nullus tamen remedio fuit lo-
cus, ridente Gallia, quod Germania tam alto
sopore esset oppressa, ut vincula sèrvitutis non
adverteret.

Videantur interim *de Neutralitate* scribentes,
eamque commentariis illustrantes

Bœclerus in Vell. Paterculum.

Pufendorf libr. 3. cap. 3. de J. N. & G.

Joh. Bodinus de rep. c. 5.

Conringius & alii.

Observ. II. ad th. 2.

Quid de verbis Johannis Luc. 3. v. 14. sit habendum?

Grotius hunc locum citat, ut probet, jure
divino prohibitum esse militibus prædas
agere, maximè in locis pacatis, seu bello non
involutis: Dn. D. Osiander quædam contra
mover, inprimis etiam quod versionem atti-
net. Sed nobis rectissimè a Grotio citatus vi-
detur, & si hodiè militia apud nos ita institu-
eretur, non jam major pars Germaniæ pene-
solitudo esset.

Tria autem inprimis Johannes vitia castigat
in militibus, nempe extorsiones, avaritiam,
& alias injurias, quas generali vocabulo Ca-
lumnias appellat: ab his eos abstinere jubet;

NON

non quod hoc satis militibus sit ad salutem, sed quod imprimis in his generibus peccent.

SUMMA

CAP. DECIMI OCTAVI
LIBRI TERTII.*Quid privatim in bello liceat?*

I.

Grotius primo ordinem exponit, deinde tradit, quod Jure Gentium privato non liceat agere in hostem: at verò jure Naturæ, quanquam res captas ex hoc jure non possit facere suas.

II. Deinde asserit, his, qui suo sumtu militant, aut naves instruunt, fieri res hostium etiam Jure interno.

III. At verò respectu Civitatis, pro qua talis militat, non plus ad eum suo sumtu militantem pertinere, quam æqualitas postulat.

IV. Charitatis Christianæ Regulam exposcere, ut imprimis contra innocentes prædæ non agantur.

V. Unde, si quis miles aut alius, etiam in bello justo, agros vastaverit, ædes incendit, aut alia dederit damna: talis juxta Grotium in foro interno tenetur ad restitutionem.

Observ. I. ad th. 1.

Quid Jure Naturæ & quid Jure Gentium liceat Privato in hostes?

Grotius hic distinctionem ponit, quæ apud alios in hoc sensu non legitur; dicit enim, quod Jure Naturæ in bello iusto cui-libet privato etiam concessum sit, facere ea, quæ parti innocenti intra justum bellandi modum profutura confidat: at hoc non fuisse permissum Legibus Romanis, licet aliquid de Jure Gentium participarint, ut explicat Dn. Obrecht,

Nobis ita videtur, primo distinguendum esse inter eos, qui ita privati sunt, ut ne quidem auctorati sint ad militiam, & tales *Jure Naturæ* plane nil agere possunt, nec debent in bello; quin potius summa temeritas, & in FORO INTERNO gravissimum peccatum est, ita se bello sine ulla *vocatione* miscere, ac se in discrimen vitæ conjicere. Sanè etiam huc pertinet illud; *qui amat periculum, in illo peribit*, non quoad vitam tantum *temporalem*, sed etiam æternam.

Vel quæstio est de eo, qui quidem auctoratus, sed communibus belli Legibus non est subiectus, quales hodie sunt FREICOMPAGNIEN, aut *Voluntarii*: his potest convenire, quod Grotius dicit, quamquam etiam horum *status* in Foro Interiori sit periculosa,

So

Secundo distinguendum est inter Jus Gentium & Leges Romanas; Leges Romanæ sæpe aliquid præcipiunt, maxime Leges militantes, quod Jus Gentium non attendit. Interim certum nobis est, quod illa ipsa disciplina militaris Romana, qua cautum fuit, ne quis ut privatus aut propria auctoritate ruat in hostem, fundamentum suum habeat in Jure Gentium, in quantum illud prospicit societati humanæ, & pro ejus vinculo vigilat; nam negari nequit, quod, si privatus in bello facere posset, quod lubet, tum magna oriretur confusio, & læderetur compages in exercitu.

Observ. II. ad eandem thesin.

An Jus Naturæ quoad Justitiam internam restitutum sit per Evangelii Legem?

Affirmat Grotius, sed in gravem censuram ideo incurrit apud Dn. Zieglerum, qui ait, hoc assertum olere Photinianam Lucternam & doctrinam hæreticam.

Nobis ita videtur, quod, si Lex Evangelii in sensu Photiniano & Sociniano sumatur, tum rectè arguatur Grotius, & hæreseos accusetur, sumta voce hæreseos in largiore significato, Photiniani enim & Sociniani propriè non sunt hæretici, sed deteriores. Hæreticus enim est in Ecclesia, licet non sit DE ECCLESIA, cen-

Uu

mem.

membrum ejus ; at verò Sociniani ne quidem *Sacramentum Initiationis*, hoc est, *Baptismum* verum habent.

Ac si Lex Evangelica sumatur in sensu Pauli pro LEGE Fidei, & quæ ex *fide* fluunt, de quo Rom. i. v. 5. & Rom. 3. v. 27. tum non censemus, quod verba Grotii mala sint. Nam FIDES hac ratione est principium formale omnium actionum spiritualium, supernaturalium & DEO placentium ; adeoque perfectius est quam Jus NATURÆ, præcipuis si illud consideretur, prout est in NATURA CORRUPTA. Quin etiam si SECUNDUM SE consideretur, & ut præscindit à SUBJECTO corrupto, in quo est : tamen etiam actus, qui ex ejus obligatione descendunt, non habent in puncto JUSTITIÆ INTERNÆ & Charitatis eam perfectionem, quam habent actus, qui ex spiritu Evangelico, cujus effectus est FIDES, procedunt.

De quo puncto suo loco plenius.

Observ. III. ad th. 3.

Quid ex præda ad illos pertineat, qui privatis sumtibus bellum gerunt ?

UT quæsitum per exemplum illustretur, sciendum, hoc genus militiæ maxime hodiè locum habere in mari per *navigia*, quæ vocantur *KAPERS*. Hæ enim naves sub publicis quidem auspiciis, & concessione Magistratus summi, privatis tamen sumtibus struuntur, &

& contra hostes publicos militant : cum his plerunque contrahitur, quod vel tota præda, vel major ejus pars privatis competat.

Grotius hoc jus ut temperet, ait, si præda vel spes illius pluris valeat, reddendum erit civitati, quod supererit: verum Dn. *Obrechtus* existimat, hoc esse contra praxin militarem. At verò oppositum est contra praxin veri Christianismi; nempe *prædas* pro lubitu agere, nec attendere regulas INTERNÆ justitiæ.

Id certum est, quod tam exacta æstimatio sumtuum ac periculi non possit institui in comparatione cum præda; nam vita ipsa, quæ in periculum venit, res est inæstimabilis: interrim sufficit, si modus palpabiliter non sit excessivus. Dn. *Zieglerus* hoc judicium fert, quod non invidendum illi, qui suo sumtu militat, aliquod *lucrum*; præsertim cum tam benignus fuerit in Rempublicam suam civis iste, dum facultatibus suis ei subvenire non dubitavit, ut merito ei propterea Gratia debeantur.

SUMMA

CAP. DECIMI NONI

LIBRI TERTII.

De fide inter hostes.

I.

Asserit Grotius, fidem esse servandam etiam hostibus.

Uu 2

II. Ec

II. Etiam prædonibus & tyrannis promissa servanda, atque ita judicasse Cæsarem & Pompejum in Pyratis.

III. Non auferri potest hoc Jus dicendo, quod sint *malefici*, adeoque quod *pœnam* potius mereantur, quam FIDEM; nam qui contrahit cum *malefico*, simul censetur, quod pœnam remiserit quoad hunc actum.

IV. Neque etiam obstat, si promissio metu sit extorta; si scilicet ei, qui promisit, metus illatus non est, sed tertio.

V. Aut si Juramentum accesserit, quamquam id adversus prædonem impunè, quod homines attingit, violatur.

VI. Quin & subditis rebellibus, si cum eis ut talibus actum, fides est servanda.

VII. Nec obstat Jus supereminens domini; nam id tantum Principibus competit in casu extremæ necessitatis.

VII. Potest & pactis talibus adjici juramentum totius Civitatis, illudque repeti quotannis; quale quid non tantum apud Romanos factum in causa Tribunorum; sed etiam Tubingæ fit à Præfecto oppidi pro servandis Juribus Universitatis.

IX. Perfidis quoque est servanda fides, etiamsi sint hostes.

X. Sed non omnes sunt perfidi, qui promissa non præstant propter varias rationes intercurrentes.

Obser

Observ. I. ad th. I.

An fides hostibus sit servanda?

Grotius rectè universaliter hoc asserit sed Dn. Pufendorf in Elem. Jur. Univ. Libr. I. Def. I 2. §. 22. p. m. 119. restringit hoc ad ea pacta, quæ *Bellum finiunt*, quæ efficaciter obligare dicit, etiam JURE NATURÆ: alia verò pacta, quæ manente statu hostili & bello ineantur, non obligare JURE NATURÆ, sed tantum moribus Gentium morationum vim aliquam habere asserit. Verba ejus, licet pluscula sint, haud pigebit hic legere.

Id, inquit, quoque explicandum, an cum hoste qua tali obligationem possim contrahere, seu an pacta, quæcum hostibus ineuntur, sint valida? Ea sunt duorum generum; versantur enim vel circa bellum finiendum mediate aut immediate, vel circa quasdam res prestandas durante statu belli. Ille quin de jure Natura obligent, ambium esse non potest. Cum enim bellum tantummodo velut extraordinarium modum inter se agendi hominibus natura indulgeat, & illud, quantum salus nostra fert, vitare, aut componere jubeat, id quod citra pacta fieri nequit: intelligitur utique, eandem quoque adstringere ad servanda pacta, qua istius finiendi causa ineuntur. Idque mos Gentium ob favorem & necessitatem pacis eo usq; extendit, ut in sancienda pace quoad justitiam

belli suscepti plerumque utraque pars exaquetur, nec exceptione minus injuste illati ad ejusmodi pacta extendi permittatur, quod alias nullus finis aut modus bellorum ejusmodi, frequentium sane, esset futurus. Sub his comprehenditur fides data de securo accessu & recessu eorum, qui negotium pacis tractaturi sunt: item pacta induciarum, quibus hostilitatis exercitium plene suspenditur, siquidem ad plenam pacem reducendam spectent; quod fieri intelligitur, si expresse fuerit conventum, ut iis durantibus media pacis componenda adhibeantur. Enimvero secus videtur de illis pactis, qua statum bellicum seu hostilitatem non tollunt, neque ad eam tollendam spectant. Cum enim status belli, qua talis, proprium agendi modum vim agnoscat, quomodolum pacis inter homines instrumentum fides: nulla omnino inter hostes obligatio (quippe qua fide stat.) de jure Natura contrahi potest, nisi utriusque contestentur, sese composuo bello pacem amplexuros. Nec prodest significasse, se licentia hostilitatis heic non usurum; implicat enim postulare, ut alter fidem meam sequatur, quod in pactis fit, & nihilominus profiteri, se velle manere hostem, id est, qui quacunque via ipsi nocere velit.

Introduxit tamen mos gentium cultiorum, uti complura in favorem fortitudinis bellica; ita hoc quoque, ut talia pacta debeant valere, qua ad statum belli tollendum non pertinent. Qualia sunt induciae paucorum dierum pro sepeliendis mortuis,

ensis, pacta cum prasidiariis urbium, sese dedentium, ad suos dimittendis cum facultate statim contra nos arma iterum gerendi, promissio de transitu certis personis hostilibus per prasidia nostra concedendo, & similia.

Verum enim verò hæc subtilitas illustr. Dn. Pufendorffii Nobis non satisfacit: & primò quidem FIDES in omnibus pactis & contractibus, siue deinceps respiciant *finem* Belli, siue alios tantum actus, est servanda. Quamquam enim fortior possit esse *obligatio* in hoc Objecto, quam in alio; ac licet plures utilitates ex *prestatione fidei* in uno, quam in altero casu vel Objecto sint: exinde tamen non est sequela trahenda, quod vel in hoc vel in alio casu *fides frangi* queat.

Quod porrò constare potest, quia in omni casu *fidem fallere* est PERFIDIA, quo scelere nihil potest esse turpius, nihil magis repugnans JURI NATURÆ, & communi non tantum vinculo societatis, quod est in Natura rationali & sociali, sed & particularibus societatibus. Ut rectè *Themistius* dixerit: *Nullam malitiam magis alienam à societate hominum, (quæ Putendorffio fons dicitur Juris Naturæ) quam perfidiam, adversus quam nulla custodia dari possit.*

Adhæc ipsa exempla à Pufendorffio allata docent, *fidem ex obligatione Juris Naturæ* etiam inter hostes in statu hostili esse servandam; po-

nit enim *inducias paucorum dierum pro sepeliendis mortuis*. Sanè tale *pactum* qui frangit, ipsa **VISCERA JURIS NATURÆ** violat: sic etiam illud, *ut certa nocendi instrumenta non adhibeantur durante bello*; quid enim æquius est, ac in ipso Lumine Rationis rectæ magis fundatum, quam restringere media nocendi.

Id quod ex ipso *Pufendorfio* confirmari potest; nam dicit, moribus quidem *Gentium moratorum* *introducendum* esse, ut talia pacta valeant. Quid autem sunt *mores Gentium moratorum*, quam testimonia publica, quod oppositum facere sit contra honestatem, bonos mores, & contra dictamen sanæ rationis.

Nec momenti alicujus est ratio *Pufendoriana* in contrarium nitens; nempe *implicare*, *ut quis postulet, ut alter fidem meam sequatur, quod in pactis sit, & tamen profiteri, se velle manere hostem*. Nam aliud est profiteri, se velle manere hostem, & aliud est se profiteri ita hostem, ut in **NULLA PLANE RE** velit *servare fidem*. Qui postremum profiteretur, talis tanquam hostis *humani generis* & tanquam **MONSTRUM** horrendum communibus diris esset devotendus.

Ludovicus XII. Gallorum Rex optimus cum audiret, quod Gonsalvus Hispanorum Dux Cæsarem Borgiam Valentinum contra *fidem* detinisset, & ad Ferdinandum Regem misisset, respondit: Quis ergò amplius Hispanorum promissis fidem habebit?

Observ.

Obſerv. II. ad eandem th.

*Quæ ratio ſit, quod hoſtibus etiam
fides ſit ſervanda?*

Grotius in §. 2. theſeos primæ hanc ratio-
nem assignat, quod, qui hoſtes ſunt, ho-
mines eſſe non deſinant: hoc caſtigat Joh. à
Felde, ac poſt eum Dn. *Kulpifius* in Colleg.
Grot. p. 172. *neſcio, inquit, an Grotio poſ-
ſimus aſſurgere, quod, hoſtes qui ſunt, homines eſſe
non deſinant. Nam, ſi NATURALIA omnia JURA
hoſti ſalva relinquerentur, ſequeretur, nec oc-
cidere, nec alio quocunq; modo lædere eum
faſeſſe. & ſic nulla omnino bella gerenda eſſent,
quod rectè vidit Feldenus, &c.*

Verum Nos, ſalvo meliore iudicio, cen-
ſemus, quod mens Grotii non ſit, quæ ei ab
iſtis Doctõribus aſſingitur, aut ad minimum
completè non adducitur; hic enim eſt ſenſus
Grotianus, quod etiam hoſtis homo eſſe non
deſinat, nec exuat CAPACITATEM illam JURIS
ex promiſſo. Hæc enim *Capacitas* ſi tolleretur
per bellum: tum ſanè nunquam amplius PAX fie-
ri poſſet; Pax enim per pacta & reciproca pro-
miſſa ſtabilitur. Unde rectè *Zieglerus* ait:
Quamvis neceſſitas obligationis in promiſſis
hoſti ſervandis oſtendi non poſſet: communis
tamen, quæ inde reſultat, Utilitas ei inſiſtere
juberet. Quod ſi enim fidem hoſtibus da-

U u s

tapa

ram violare pro lubitu liceret, nihil aliud sperandum esset, quam perpetua diffidentia, caedes & bellum perenne.

Observ. III. ad th. 2.

An latroni & pradoni fides servanda?

NEgavit hoc olim Cicero, cui ad stipulatus est Albericus Gentilis ex ea potissimum ratione; quia latrones hostes publici sint totius quasi generis humani: sed verior est sententia Grotii; nam obligatio ad servanda promissa oritur ex *Jure Natura*, quod violare non licet. Ac licet communi odio digna sit persona Latronis: tamen non servare fidem manet perfidia, quae legitimari nunquam potest.

Rectè Dn. Pufendorf: communis hostis latro vocatur, quod non instar aliorum hostium certo alicui bellum indicat, sed omnibus promiscuè, qui in ejus manus incidunt, hostilia intentet; quo nomine etiam ad eundem coercendum non indicto bello, aut singulari militum auctoritate opus sit, sed cuilibet contra hunc licentiam militiæ ipsa natura indulgeat. Nihilominus dici potest, quemadmodum status hostilitatis non obstat, quo minus *fides hosti data* servanda sit: sic nec communem illam *latronis hostilitatem* prohibere, quo minus *pacta* cum illo inita servanda sint; præsertim
cuta

cum *actus hostilitatis*, dum PACTA init, non exercent latro.

Hanc assertionem Dn. Pufendorffii in tract. de Jur. Nat. & Gentium si quis conferat cum iis, quæ supra ex *Elementis ipsius Juris Univ.* produximus, facile cernet, quod *posteriores cogitationes* sint meliores, atque adeo quod sententiam suam correxerit.

Observ. IV. ad th. 6.

An subditis non liceat, etiam in causajusta, se opponere Regibus aut aliis, penes quos summa potestas?

DN. Mylius in hoc puncto peculiarem sententiam habet, quanquam pro se citet *Sidneyum* Anglum Virum alias doctissimum, qui librum scripsit *de Republica regimine*, nuper quoque in linguam gallicam traductum sub titulo *Discours sur le Gouvernement*.

Sententia autem *Mylij* huc tendit: equidem potestatem Regum & Principum esse summam, ac proinde non licere subditis aliquid per vim contra eam agere; etiamsi in regimine quandoque Excessus quispiam sit: sed tamen potestatem illam non esse *infinitam*, sed suis limitibus circumscriptam, nam in ipsa prima delatione Impetii TACITAM fuisse CONDITIO- NEM, quæ obsequii debiti obligationem non infinitam effecerit. Unde si Princeps abutatur sua
sua

sua potestate in detrimentum & perniciem Civium, tum REVIVISCERE quasi POSTLIMINII Jure potestatem sese defendendi, utpote quæ *Juris Naturalis* sit.

Unde ait, *nullus dubito, quin Cives justam quandoque causam habere possint, ut cum armis adversus Reges aliasque summas potestates salutem suam tueri debeant; ideoque perperam statuit Grotius, jus deesse Civibus vel subiectis per vim agendi.*

Nostra sententia est, quod, præscindendo à Scriptura S. & subsistendo saltem in rationis nostræ Principiis, quin etiam spectando *inclinationem* illam *Naturalem* ad LIBERTATEM, in qua quivis homo, nisi truncus sit, amat vivere, Opinio Mylii magnam *Probabilitatem* & favorem pro se habeat; optandum etiam foret, ut Regni licentia in subditos reprimi posset: at considerando *Legem divinam* Christiano per vim nihil agere licet.

Obſerv. V. ad th. 15.

Qua ratione compensatio locum possit habere?

Modestinus definivit *compensationem*, quod sit debiti & crediti inter se contributio: sive quando ideo aliquid deberi definit, quia eidem ipse creditor rem ejusdem generis & quæ tantundem valet, liquido debet

bet. In *statu naturali*, in quo quisque sui juris, Lex Naturæ cuique facultatem tribuit, propter jus in re, vel ad rem, ut, quod meum est, persequi atque exigere possim; tum etiam necessitatem imposuit eam detinenti, ut ejus in me transferat dominium, vel patiatur, ut ex ejus bonis mihi satisfaciam, in compensationem ejus, quod mihi debet, tantundem accipiendo. Unde sequitur, ut multo magis possimus id, quod penes nos est, *sive corporale, sive incorporale*, retinere, donec alter præstiterit, quod nostrum est, vel nobis debetur. Hæc in *statu naturali*: in statu civili compensationes tales turbas faciunt,

SUMMA
CAPITIS VIGESIMI
LIBRI TERTII.

I.

Dividit Grotius *fidem* inter hostes, ut alia sit *tacita*, alia expressa.

II. Deinde docet finem bello imponere per pacta, nisi Jus illius, qui summum Imperium habet, sit limitatum, aut impeditum.

III. Ut, si minorennis sit, aut captus mentis, aut captivus, modo is habeat Imperium delatum à populo; qualis non quidem jus Imperii, sed exercitium amittit, per populum,
aut

aut consensu ejus alium administrandum: De privatistamen rebus valebit pactum: exulis quoque Regis jus videtur impeditum, nisi constet, planè liberè vivere.

IV. In statu *optimatum* finiendi belli jus habet pars major Senatus: in statu *populari* pars major multitudinis sive concionis; eaque obligabit & reliquam partem.

V. Reges hodierni plerique, quia sunt usufructuarii, Regnum aut partem ejus alienare non possunt pacto; imo, ut ne possint, lege publicà caveri potest, antequam fiant Reges, talesque eorum actiones irritæ reddi; & sic factum præsumitur. Ut ergò alienari possit, opus est consensu populi, saltem per ordines, si alienandum est totum: sin verò pars, consensu & corporis totius, & peculiariter partis, quæ alienari debet, quæ in necessitate summâ etiam sine totius corporis consensu sese potest alienare. Reges regnorum patrimonialium regnum alienare possunt, etiam si partem nequeant; quia fortè datum regnum sub hac conditione, ne dividant. Bona quoque regni, si sint in Regis patrimonio, possunt alienari; vel cum ipso regno, si individue cum eo habeant; vel sine eo, si contra. Si non sint in ejus patrimonio, non possunt alienari, nisi expressè leges permittant.

VI. Obligat autem pactum Regis etiam subditos & successores, quatenus potestas obligan-

ligandi pars est imperii, & pacto illi ratio probabilis inest, nisi Rex simul habeat Imperium herile, vel in subditos, vel in res eorum.

VII. Res subditorum alienare pacis & utilitatis publicæ causâ, vel cum iis quidvis facere potest Rex, ex jure supereminentis domini: sed ita, ut interim civitas teneatur resarcire damnum iis, quorum res sic pereunt, quancuncque resarcire poterit; detractâ tamen parte, quam illi ipsi, qui damnum passi sunt, ad ejus restitutionem conferre debuissent.

VIII. Nec damna, quæ in bello civibus ex causâ publicâ sunt illata resarcire tenetur civitas; quia jus belli, quod talia damna permittit, non concernit cives inter se, nisi Lex civilis actionem ex tali causa prohibeat.

IX. Ac licet sint, qui inter bona jure Gentium & Civili quæsitâ distinguant, hæcque ablata compensari non oportere existimant: tamen hoc falsum; quia dominium ex quacuncque causâ similes semper habet effectus.

X. Nec autem Rex, nisi publicæ utilitatis causâ, in his quid faciat: id civitati respiciendum. Nam exteri utilitatem eam habent pro probato in contractibus cum Rege.

XI. In pactorum pacis interpretatione notandum, quò quid plus habet favoris, eò laxius interpretandum esse, & contrâ: porro maximè favorabile esse jure Naturæ, ut quisque

que consequatur suum ; & proinde justum bellum gerenti, id, quod bello quærebat, cum damno & impensis esse reddendum. Sed quia gerere justum videri volunt omnes, proximum, ut partes æquentur, aut reducendo turbata ad formam veterem, aut faciendo, ut maneat, quo sunt, loco.

XII. Quod *posterius*, quia facilius, in dubio puratur conventum. Itaque nec captivis erit postliminium, nec transfugæ reddentur, nisi de illis convenerit. Res quoque manebunt penes eum, qui eas ita, sicut alias est dictum, tenet.

XIII. Quod verò *primum* attinet, in ea forma verus intelligitur, quæ bellum proximè præcessit.

XIV. Quod si bello durante populus juris sui sese sponte alii subjecit, restitui haud debet; quia restitutio eorum est, quæ vi aut dolo illicito ad hostem pervenerunt.

XV. Nec damna, etiam privatim data, restituenda, nisi expressè fuerit conventum, nec pars ulla belligerantium injustitiæ damnanda.

XVI. Restitutio tamen excipitur illius, quod ante bellum cœptum debebatur privatim, itemque jurium antè debitorum.

XVII. Solum jus ad pœnam censetur remissum inter Reges populosque.

XVIII. Non inter privatos, nisi conjectura aliqua, quantumvis levis, doceat.

XIX.

XIX. Sed & jura cœtera, si sint inter populos Regesve, censentur remissa ex conjecturâ aliquâ non improbabili.

XX. Capta post confectam pactionem sunt reddenda.

XXI. Pacta de captis in bello favorabiliora, & sic latius exponenda, quæ respiciunt partem utramque earumque commoda, quam quæ unam: quæ homines, quam quæ res: quæ immobilia, quam quæ mobilia: quæ publicum, quam quæ privatos: quæ possidentur titulo lucrativo, quam quæ oneroso.

XXII. Cui per Leges pacis quid conceditur, ei & fructus conceduntur illius, non tamen perceptum ante concessionem.

XXIII. Nomina Regionum accipienda, prout periti illo tempore accipiunt.

XXIV. Pacta vetera existimanda renovata, si eorum in novis sit mentio. Habendus pro faciente, qui facere voluit, & impeditus non potuit.

XXV. Moræ non admittitur purgatio, etiam post breve tempus, nisi necessitas impropria fuerit impedimento.

XXVI. In dubio sensu verborum interpretatio debet fieri contra eum, qui verba pronunciavit.

XXVII. Etiam hoc observandum, aliud esse pacem rumpere, & aliud novam bello causam dare. Rumpitur pax vel faciendo contra id,

Xx

quod

quod omni paci inest, vel contra id, quod in pace conventum est expressè, vel contra id, quod ex pacis naturâ tacitè intelligitur.

XXVIII. *Primo modo*, si vis bellica inferatur sine nova causa; quæ si adferri quoque modo potest, iniustitiæ potius quam perfidiæ assignandum factum.

XIX. Si ea vis illata fuerit à fociis, pax rupta non censèbitur, nisi hoc expressè in Legibus fuerit positum: sed adversus ipsos solos bellum erit.

XXX. Nec, si inferant privati bellum sine jussu publico: consensisse autem publicè videntur, qui sciverunt, punire potuerunt & neglexerunt. Scivisse creduntur, si illata ea vis aperte, vel denunciata: punire potuisse præsumuntur omnes publici Magistratus ob manus suum: neglexisse putantur, qui non puniverunt intra tempus solitum in criminibus puniendis.

XXXI. Aliter se res habet, si subditi militant proiis, qui contra amicos nostros bellum gerunt; hoc enim non concedendum, & concessum præsumitur, nisi publica quædam consuetudo cunctis militandi diversum comprobet.

XXXII. Pax quoque rupta creditur, si subditi vis armata inferatur sine nova causa: nec causa nova sufficit, nisi prius res in judicio fuerit tentata. Si jurisdictioni alicujus subje-

ſi tam ſunt dediti maleficiis, ut præſumi poſſit, Rectoribus eorum hoc non probari; contra hos, tanquam deditos, agere licebit.

XXXIII. Item, ſi vis inferatur ſociis noſtris, in illâ pace comprehenſis, pax cenſetur rupta, etiamſi ipſi pacem non pepigerint, ſed alii pro ipſis.

XXXIV. *Secundo modo* rumpitur pax, ſi omittatur, quod præſenti pace placuit.

Obſerv. I. ad th. 3.

An & quis Rege captivo Imperium exercere debeat?

DE Rege captivo Grotius ſtatuit, quod imperium nequeat exercere, nec immerito. Nam cum neque Republica neque regnum ſubſiſtere poſſit abſque imperio, quod civium actiones dirigat ad unum eundemque finem, qui eſt conſervatio totius, & publicæ utilitatis promotio: neceſſum eſt, ut exercitium ſummi Imperii, quod à Rege capto exerceri nequit, ipſo jure ad populum, in quo radicaliter ineſt, ſive ad STATUS Provinciales revertatur; ſi modo ex conſenſu populi regnum ortum habeat. Quamobrem, Franciſco I. Galliarum Rege capto, circa negotium pacis inter ipſum & Carolum V. expreſſè conventum eſt, ut Rex à custodia dimiſſus, atque libertatem priſtinam nactus capita pacis confirmaret; argumento,

X x 2

Regis

Regis captivi promissionem invalidam esse, adeoque populum non tenere; nec in Principe captivo hoc esse necessarium, ut ei obtemperent subditi. Unde SCOTI se Regi suo non parituros pronunciant apud BUCHANANUM, utpote qui in aliena esset potestate; hinc & Delfinas aliique Principes Galliæ abnuunt pacem cum his conditionibus facere, quas illorum Rex accipiebat in Anglia captivus, teste Polydoro Lib. 19. Cui etiam accedit altera ratio, quod hic deficit consensus populi, quam obrem quoque imperii exercitium evanescit; quippe populus præsumitur ea lege Imperium detulisse, ut à Rege libero exerceretur; penes quem verò non est Imperii exercitium, penes eum nec pacis faciendæ potestas, belli enim & pacis arbitrium Imperii summi effectus est, quã obrem eo destituitur Rex captivus. Præterquam quod Rex captivus quasi pro mortuo habendus quoad Regni administrationem; & proinde, quam diu captivus manet, pro eo statu nihil potest disponere vel statuere de rebus, quæ Regni administrationem spectant. Quod si verò Regnum sit *patrimoniale*: cum Regis captivi persona simul ipsum Regnum transit in potestatem Victoris; & proinde pacis faciendæ potestas Regi servo profus eripitur. Quod si verò hostis juri suo tacitè renunciet, & cum Rege tanquam libero pacem facere velit: nullus dubito, quia hoc casu absque

que consensu populi eam facere possit; qui enim Regnum in Patrimonio habet, is dominus est absolutus. Atqui cum apud nos jus servitutis in usu non sit, Rex Captivus, Imperium in patrimonio habens, retinet. Quamobrem, quemadmodum de cæteris rebus, quæ privatim sua sunt, pacisci, ita etiam de Regno patrimoniali disponere potest valide.

Observ. II. ad th. eandem

Quid de Rege exule dicendum?

Grotius quærit, utrum servire teneatur ei, cujus intra fines degit, nec ne; & eo casu pacis faciendæ potestatem ei ereptam censeat, quia similis captivo. Sed rectè alii distinguendum censent, utrum Rex profugus exilio jus Regni amiserit forte ex delicto; an retinuerit, & injustis de causis in exilium compulsus sit per seditionem, tyrannidem vel vim hostilem. Priori casu denegant Regi exuli jus pacis, & merito; quippe Regno exutus pariter amittit summi Imperii jura ac commoda: quod si verò non justa ex causa in exilium abire coactus sit, non videtur Regnum, nec proinde summa Majestatis jura, quorum in numero jus pacis faciendæ, amisisse. Quàmvis in statu exilii actualis Regni administratio cesset, & proinde eatenus fere captivo similis: attamen diversitas superesse videtur quoad jus ad ut-

nistrandi, quod captivus amittit captivitate, exul non æque exilio injusto, seditione vel tyrannide. Casus notabilis fuit in Carolo II. Angliæ Rege, cui, occiso Parente, dum in exilio vixit, utique hostes omnem adimebant, quantum in ipsis erat, vim tractandi cum aliis: at certum est, quod ipsius acta valorem suum *intrinsicum* habuerint; quia, ut jam supponimus, injustè Regno privatus, & in exilium actus fuit. Quam in rem rectè *Textor* synops. Jur. Gent. cap. 20. Quod ne sic quidem effectu suo careat conventio vel fœdus; primum quia revera rebelles Ordines vel subditi ex promissis obstringuntur, ac, si non pareant, faciunt contra obligationem non solum externam, sed & internam, quæ in Conscientiæ foro vim suam ac effectum habet, semper autem oportet in quæstionibus juris Gentium jus à mere facto distinguere. Deinde subest spes restitutionis, quo casu non tantum Rex, ab exilio in Regnum restitutus, teneretur jam à tempore conventionis ex pace anteriori, ad minimum ab eo tempore, quo ista pax publice innotuisset; ergo capta interim deberent restitui, perinde ac alias facta pace à Rege actu administrante.

Quid verò de præsentis Rege Sueciæ apud Turcas in exilio vivente sentiendum? Respondemus: proprie non est in Exilio, sed in *fugâ*, unde vim Regiam adhuc exercet.

Observ

Observ. III. ad th. 4.

An Jus paciscendi sit penes majorem partem in Civitate?

Grotius affirmativam defendit, nec im-
merito; nam in ipsa recta ratione fun-
data est ea regula, ut pars minor cedat majo-
ri. Admodum enim probabile est, quod ocu-
li plures plus videant, quam unus saltem, & al-
ter: quin & publica sæpe necessitas hanc a-
gendi methodum & regulam exigit; nam vix
possibile esset, ut negotia ad finem sine turbis
deduci possent, si pauci aliqui obstare possent
sententiæ multitudinis; vix enim aliquod
negotium est, ubi omnium unanimis est in ejus
definitione consensus. Unde rectè Plinius
libr. 6. cap. 13. ait: *singulos re integra dissen-
sire fas est; peracta, quod pluribus placuit, con-
sentis tenendum est.*

Unde etiam Philosophus politicorum libr. 4.
cap. 8. discurrens circa id, quod in plerisque
societatibus communiter fieri solet, *hoc, in-
quit, quod pluribus probatum fuit, in omnibus
reperitur; nam & in Oligarchia, & in Demo-
cratia, & in populis, quod majori eorum, qui
Reipublice sunt participes, parti visum fuerit, hoc
est ratum.*

Duplex autem est exceptio ab hac regula:
primo si Leges aut pacta adsint, quæ nolunt

ratum esse negotium, nisi omnes consenserint; tum enim omnium consensus requiritur; *expressa enim voluntas tacita preferenda est*, ut rectè observat *Obrechtus*.

Secunda exceptio est in causa & negotiis religionis. Si enim hîc pars minor deberet sequi majorem: nec Salvator noster jus habuisset taxandi & refurandi doctrinas Phariseorum; nec Apostoli contra Gentilismum agere, cumq; oppugnare potuissent; & hodie actum esset de Ecclesia Protestantium, cum major longe sit numerus pro SACRIS ROMANIS pugnantium, quam pro *Evangelio*.

Religio itaque & Fides cum pertineant ad *forum Divinum & Conscientiæ*: inde nulli arbitrio humano sunt subjectæ, sed ad Regnum Christi Monarchicum pertinent. Accedit, quod *fides vera sit supernaturalis* aliqua Lux in anima credentis; hinc nullius Jurisdictioni externæ subjecta est. Contra sanam itaque rationem, & contra omnia Salvatoris principia & praxin agunt Pontificii, dum homines ad fidem cogunt. Sicut etiam Gallia magnam judicii Eclipsin passa est, dum Huguenotas per vim ad Religionem Rom. perducere voluit, & in multis millibus quoque id perfecit. Sed, si verum fateri convenit, hypocritæ multi sunt effecti: pauci, qui ex animo Religionem Romanam susceperunt, aut si qui persuasionibus Cleri-

ricorum eo fuere perducti, illi æternas Apostasiæ pœnas luent.

Observ. IV. ad th. 7.

*Quomodo res subditorum sint sub
Eminentî Dominio Civitatis?*

Grotius dicit, Civitatem, aut eum, qui Civitatis vice fungitur, res subditorum vel Civium duplici titulo sub potestate sua habere, ut eas perdere vel alienare possit; nempe vel in CASU NECESSITATIS, vel UTILITATIS publicæ. Utrumque casum, refert ad Jus DOMINIË EMINENTIS: Dom. Zieglerus negat hoc *Dominium Eminens*, & substituit vocem *Imperii*.

Nos existimamus, Dn. Zieglerum magis de voce litigare, quam de Re, & longe satius esse, voce uti DominiË Eminentis, quam Imperii simpliciter. Nam in Dominio Eminente ejusque exercitio specialia sunt, quæ alias in Imperio locum non habent, uti est, quod PUBLICA NECESSITAS adsit, quæ facit, ut Civium res *privata* evadant quasi communes, & publicæ: at verò in Imperio secundum se spectato, maximè in Aristocratico, vel Democratico, res Civium manent Civium privatæ, ut quilibet dicere queat: *hæc res est mea, cum hac re mea libere dispono*; quod in Dominio Eminente ejusque exercitio locum non habet.

Observ. V. ad th. 8.

*An Civitas teneatur damnum
civium ex publico refarcire?*

Grotius id affirmat ex ea ratione; quia, cum Cives socii sunt, inde æquum sit, ut communia habeant damna, quæ Societatis causa contingunt. Ferd. Vasquius *l. 1. Contr. Ill. cap. 4.* contra ait, Civitatem non debere agnoscere id damnum, quod bello datum est, eo quod Jus belli talia permittat. Dn. Mylius punctum hoc ita decidit, ut dicat: *cum presumatur, quod bellum consensu & voluntate omnium civium indictum ac susceptum sit: ideoque etiam præsumi, quod quisque suo periculo belli mala & calamitates, quas secum trahit, sustinere in animum induxerit.*

Nos existimamus Grotii sententiam fundatam esse in *ÆQUITATE*: Vasquii observari in *praxi*: Dn. Mylii niti *presumptione* incerta.

Observ. VI. ad th. II.

*Quomodo interpretanda sint pacis
conventiones?*

Grotius nobilem hæc quæstionem definit ex regula generali, quæ etiam in *æquitate* suum fundamentum habet, nempe ut favorabilia extendantur, odiosa restringantur; censentur enim paciscentes *æqui-*
ta-

tatem pro fundamento suarum conventionum voluisse. Hinc *feciali jure* apud Romanos *equitatem* prescriptam esse docet Cicero lib. 1. Off.

Unde iniquissima est interpretatio illorum Romanensium, qui statuunt, quod in pace *religiosa Passaviensi*, ubi sancitum est inter Imperatorem Rom. & Principes Evangelicos, ut **JURISDICTIO Ecclesiastica quiescat, ac in suspenso sit usque ad amicabilem compositionem in Religione**, Jus hoc saltem *precarium* sit, adeoque *revocabile*, quodcumque placeat. Alii verò dicunt, quod planè nullam vim habeat; quia *amicabilis compositio* sperari non possit, ac discordia jam pene per duo secula duret. Sed tales interpretationes ex odio veniunt erga Religionem Evangelicam.

Vid. Dn. *Brunnemannus* de Jure Eccles.

Dn. *Sekendorf* & alii.

Observ. VII. ad th. 15.

An damna in bello illata resarciri debeant?

Grotius responderet negative, quod tamen intelligendum est, si nulla ejus in pacis instrumento facta sit mentio. Ratio Authoris est, quia indubio contrahere ita voluisse censendi sunt belligerantes, ut neuter injuritiæ

stitiæ accusaretur; actio enim damni refarciendi supponit injuste damnatum datum esse.

Nos existimamus, si quæstio sit de Jure Gentium vel etiam. Jure externo, sententiam Grotii esse veram: si de *Jure interno* sit sermo, tum *Conscientia* cuique bellum inchoanti satis indicat, an justam causam habeat, vel non. Sic Rex Galliæ ejusque Consilarii tum Politici tum Ecclesiastici & Directores Conscientiæ satis norunt, quod bellum Ao. 1688. contra Imperatorem susceptum injustum fuerit; atque adeo in Conscientia etiam obligatus esset ad damna & inprimis incendia pulcherrimarum Urbium refarcienda: sed vix, ut credo, par esset Gallia tota, si restitutionem facere vellet. Interim ad minimum busta illa & cineres templorum ac locorum sacrorum vindictam clamant.

Observ. VIII. ad th. 29.

An pace ab aliquo violata etiam socii ejus censeantur pacem violasse?

REstè Grotius censet, quod non; ac pro in injustitiæ accusat Thebanos, qui, pace à Lacedæmonis violata, etiam socios omnes in culpam trahebant, qui in fœdere ac amicitia cum iis steterant; nam, inquit, *Albericus Gentilis* de Jur. Belli libr. 3. cap. 24, socii sunt corpus unum.

Sed

Sed contra est, quod nemini alienum delictum vel injuria nocere debeat; unde si socii seu etiam confœderati nihil contulere ad illam violationem pacis, tum ne socii vel confœderati respectu illius violationis dici possunt.

Accedit, quod *odiosum* sit trahere aliquem in communionem delicti, in quod alter non consensit; unde *extensio* talis ad innocentem, seu de culpa non participantem, locum habere non debet.

Denique quisque præsumitur velle, ut suæ tranquillitatis & securitatis conservatio non dependeat ab alterius arbitrio: ex alieno verò penderet arbitrio ejusmodi perturbatio, si alienum delictum vel injuria noceret alteri.

Observ. IX. ad th. 21.

An pro ruptura pacis haberi possit, si alicujus subditi in Castris hostilibus militent?

Hic existimamus, numerum illum in alienis Castris militantium magnum esse, aut exiguum. Si exiguus sit: pax violata intelligi non potest; nam censentur tales, quicquid agunt, privato nomine agere. Regula autem est, quod privatorum facta Universitati non queant impetrari.

Si magnus: inspiciendum est, an consensu vel approbatione Civitatis tales aliquo numero mili-

militent in Castris adversarii; hoc si sit, pax utriusque læsa videtur, nisi monita Civitas illos revocet. Sic nuper Imperator noster, cum audiret, quod Sueci milites in Castris Ragozianis in aliquo numero militent, justam habuit causam monendi Sueciæ Legatum, ut illos exinde avocaret.

Cæterum vix est natio, quæ in hoc puncto plura præbeat exempla, quam Germania; vix enim ullum est bellum, ut non ex utraque parte inveniantur Germani, ut rectè Dn. Henninges scripserit: *Hæc infamia præcipue Germani nostri laborant; fere enim inter Christianos nullum est bellum, in quo non ab utraque parte Germanos videas, imo quod adhuc pejus est, etiam contra propriam Patriam externis hostibus militare solent, idque ad Libertatem Germanicam atque sua privilegia referunt.*

Observ. X. ad th. 47.

Quodnam sit Arbitri officium in finiendo bello?

IN hoc puncto bene est advertendum, quod distinguendum sit inter *Arbitrum* strictè sic dictum & inter *Mediatorem*. Mediatoris officium & verba non sunt *decisoria*; & magis vim habent *Consilii*, quam *Judicii*, unde respici potest id, quod ab ipso proponitur, ut sæpe accidit: at verò *Arbitrator* strictè sic dictus vim
&

& auctoritatem habet Judicis, cujus sententia est standum, sive æqua, sive iniqua sit.

Quoniam rectè id moneat Putendorfius, quod, si manifestum & notorium sit, arbitrum talem vel corruptum vel præter Jus & fas in alteram partem inclinare: tum etiam arbitrium tale rejici possit. *Nam, inquit, uti ideo quidem à compromisso restitire non licet, quod contra nos est pronunciatum, utut largius de nostra causa sperabamus: ita tunc sanè arbitri sententianos non stringet, si appareat, manifestè ipsam cum altera parte colludere, aut ab eadem donis corruptum, aut pactum in fraudem nostram iniuisse; nam, qui aperte ad alterutram partem sese applicat, arbitri amplius personam gerere nequit.* l. 76. ff. pro socio.

Nova quædam species perfidiæ & doli fuit in Pontificis Legato in pace Ryswicensi, qui se pro arbitro inter Imperatorem & Gallia Regem stitit; dum articulum 4. in illos pacis articulos intusit, Principibus Protestantibus periculosum ac summè damnosum, lubenter consentiente Gallo, & procurante Imperatoris Legato. Sed rectè Protestantes hactenus articulum illum, ex DOLO & PERFDIA insertum, ac PACI RELIGIOSÆ tum Passaviensi tum Westphalicæ adversantem, respuerunt: speramus etiam, quod Anglia & Hollandia cautior sit futura in præsentis pacificatione, ac quod causam Religionis communem fortius sit tractatura. *Sanè*
stante

stante citato ante articulo 4. ingens & insana-
bile vulnus Evangelicæ Ecclesiæ est inflatum,
cujus dolores posteritas, sed serò sentiet.

Observ. XI. ad eandem thesin.

*Quanam sit differentia inter judi-
cem & Arbitrum?*

Respondemus, judicis officium esse ad nor-
mam legum pronunciare: arbiter verò
sententiam fert ex æquitate; unde rectè *Socra-
tes* in Apol. apud Platonem: *Judex non sedet ad
hoc, ut per gratiam concedat, sed ut judicet se-
cundum Leges.* Sic & *Plato* ipse de Regno:
*Pratoris munus est, ut ad normam Legum, quam
Rex ipse condidit, respiciens, de singulis ju-
dicet, propria virtute semper adhibita; per
quam neque muneribus, neque minis, neque mi-
sericordia, neque odio, neque amore legibus trans-
gressis accusationes dissolvat.*

Contra verò arbiter Juris rigorem mitigat
æquitate, humanitate, & dubium Juris ita re-
solvit, ut contra Justitiam quidem nihil, ac
nec contra æquitatis lineam aliquid egisse, dici
queat. Quo applicari potest illud *Seneca libr. 2.
cap. ult. de Clementia*: *Clementia liberum arbi-
trium habet, non sub formula, sed ex æquo &
bono judicat, & absolvere illi licet, & taxare
licet.*

SUM.

SUMMA
CAP. VIGESIMI PRIMI
LIBRI TERTII.

*De induciis, commeatu & capti-
vorum redemptione?*

I.

Solent quandoque inter bellum quædam ho-
sibus concedi, ut induciæ, commearus
& captivorum redemptio.

II. Induciæ sunt conventio, per quam,
bello manente, ad tempus bellicis actibus ab-
stinendum.

III. Nova indictione belli post inducias fi-
nitas non est opus.

IV. Obligatio in induciis incipit apud con-
trahentes statim postquam contractus absolu-
tus est.

V. Quantum per inducias liceat, ex ipsa de-
finitione colligi potest, nempe illiciti sunt
omnes actus belli sive in personas, sive in
res, id est, quicquid vi aut dolo fit adversus
hostem.

VI. Unde sequitur, licitum esse ire & re-
dire ultro citroque eo paratu, qui nullum peri-
culum ostendat.

VII. Quod si induciæ rumpantur ex una
parte, læso liberum est, etiam sine nova indi-
ctione, ad arma abire.

Yy

VIII

VIII. Si autem pœna conventa sit, eaque poscatur ac solvatur ab eo, qui contra fecit, jam bellandi jus non erit.

IX. Privata facta non rumpunt inducias, nisi publicus actus accesserit.

X. Jus commeandi, quod alias salvi conductus nomine appellatur, extra inducias privilegium quoddam est, quod interpretandum est ex Regulis privilegiorum.

XI. Captivorum redemptio multum habet favoris.

XII. Potest Jus in captivum in alterum transcribi.

Observatio I. ad thes. R.

Quid sint induciæ?

Grotii definitio induciarum non placet Zieglero; aliud enim, inquit, sunt induciæ, aliud conventio, per quam induciæ fiunt. Verum ad hanc objectionem rectè respondit Menninges, quod, etiamsi hæc plurimis in rebus differant, quemadmodum matrimonium per consensum fit, nec tamen consensus est. Induciæ tamen hanc differentiam sibi vindicare non possint; quoniam enim inter bellum & pacem nihil est medium, uti ait Auctor, sequitur, quod induciæ præter conventionem aliquam, belli tempore factam, nihil aliud denotent. A Grotii definitione non multum abic

abit illa, quam tradit Jurisconsultus Paulus l. 19. §. 1. ff. de capt. & postlim. Inducias esse, inquit, cum in breve & præsens tempus convenitur, ne invicem se partes inimicæ laceſſant; excepto eo, quod Jurisconsultus adjicit brevitate[m] temporis, quasi hæc esset de essentia induciarum. Eodem sensu Varro, induciæ, inquit, sunt pax castrensis paucorum dierum: & alio in loco, induciæ, ait, sunt bellorum feriæ. Verum hæc definitiones plenæ non sunt, neque solidæ. Nam neque pax sunt induciæ (bellum enim manet, pugna cessat) neque in solis castris, neque paucorum dierum duntaxat induciæ sunt; solet enim quandoque in horas dari, & longi & longissimi temporis esse possunt. Legimus enim Vejentibus à Romulo in centum, & à Servio Tullio in XL. & in totidem annos L. Furio & C. Manlio Coss. inducias datas fuisse Liv. lib. 1. 2. & cum populo Cæritano in centum annos inducias factas fuisse restatur idem Auctor lib. 7. aliaque plurima longissimi temporis factarum induciarum exempla prodit. Verum pro excusando Varro- ne & Paulo Jurisconsulto dici potest, inquit Pufendorfius, eos ob oculos habuisse illas duntaxat inducias, quæ, manentibus utrinque in expeditione exercitibus, possunt iniri, quæ regulariter non nisi paucorum dierum sunt; non autem illas, quibus totus belli apparatus dissolvitur, & quæ intra præfinitum tempus ple-

næ pacis instar sunt, præsertim ubi isthæc clausula induciis expressè inserta est, ut interea de plena pace constituenda tractetur.

Observ. II. ad th. 4.

Quomodo termini & dies induciarum sint computandi?

Grotius distinguit inter Terminum A Quo & AD QUEM, & dicit, Terminum A Quo non esse partem Rei, adeoque non posse diem A Quo dici inclusum; at verò diem AD QUEM inclusum intelligi, maximè in *favorabilibus*, uti sint induciæ, Quod prius attinet, non videmus, cur non Terminus A Quo ut *pars rei* intelligi possit. PRINCIPIMUM enim aliqujus REI maximè ad Rem pertinet, prout in *Physicis* res certa est; cur in *Moralibus* aut in *Jure* hoc non obtineat, non videmus. Nec valida est ratio Grotii, quia PRÆPOSITIO A non solet *conjungere*, sed *dividere*; neque enim hoc semper verum est, Sic à DEO omnes res suam Originem & Principium habent; sed cum DEO res omnes sunt conjunctissimæ, sic ut, teste Paulo, in ipso simus ac vivamus; imo omnes ita essentialiter sunt connexæ, ut, si per impossibile Deus per horam non esset, laberentur in nihilum: sic à Sole sunt radii, qui tamen conjunctissimi: sic à Jure Naturæ tanquam à Fonte descendit

societas

Socialitas juxta ipsum Grotium; & *Jus* ipsum *Natura* est vinculum Societatis: & sic in aliis. Quare si ita conventum sit, ut *Inducie darentur in decem dies à Calendis Juliis*: nemo id aliter interpretabitur, quam illum Calendarum diem etiam inclusum esse induciis.

De termino & die AD QUEM non est dubium, quin ille includatur, non tantum propter *favorem negotii*, sed ex ipsa *Natura* significationis. Unde Jurisconsultus l. 123. ff. de n. s. ait: *si quis dixerit, ut intra diem mortis ejus aliquid fiat, ipse quoque dies, quo quis mortuus, est significatur.*

Observ. III. ad th. 10.

An tempore induciarum aliquid immutare liceat?

Grotius noster dicit, quod, si induciæ specialem habeant conventionem, ut si saltem ad sepeliendos demortuos concessæ sint, nihil immutandum: aut si initæ sint, ne oppugnemur, auxilia & comæatus admittere non liceat.

Contra Pufendorfius censet, in quavis induciarum specie actus mere defensivos esse licitos; sic in locum tutiorem se recipere licitum esse, etiamsi nihil aliud stipulatum sit, quam sepultura mortuorum; & concedentem tales inducias sibi & inadvertentiæ suæ imputare

debere, quod hostibus suis occasionem dederit, firmandi se aut recolligendi tempore induciarum: *offensionem* tamen non licere.

Nos existimamus, Grotii sententiam magis sapere justitiam, quam Pufendorffii; parum enim abest à dolo & perfidia, si quis prætextum quærat pro *Inducis sepulturam mortuorum*, & intra hoc tempus vel auxilia admittat, vel sese firmet. Equidem non ignoramus, quod tales fraudes in hodierna militia sint frequentissimæ: verum etiam id certum est, quod Romani temporibus Consulum aut meliorum Imperatorum tales fraudes detestati sint.

SUMMA

CAP. VIGESIMI SECUNDI
LIBRI TERTII.*De fide minorum potestatum in bello.*

I.

TRadit Grotius, quod pacta etiam iniure queant Minores Duces.

II. Pacta hæc obligare summam potestatem, si per ea faciunt *minores*, quod probabiliter in eorum officio continetur.

III. Aut si occasionem obligationi det *Magistratus*.

IV. Mandati fines si excedit Minor potestas, & si, quod promisit, præstare non potest, tenetur ad æstimationem.

V. Pa-

V. Pacem facere inferior potestas non potest, bene tamen inducias.

Observ. I. ad th. 2.

An pacta Ducum, qui hodierno titulo Generales vocantur, obligent se ipsos & Summam potestatem?

Duces Exercitus sunt in triplici differentia: Quidam enim strictas habent Leges à Summa potestate, uti plerunque Rex Gallie suis Marechallis leges præscribit, intra quas debent stare, & bellum gerere. Alii amplio-rem habent potestatem, sic Romæ cum bellum decretum fuisset, Senatus sibi tantum firmandæ pacis jus reservavit, cætera in Ducis erant arbitrio, ex. gr. dimicare, aut abstinere à pugna, obsidere Urbes, cum obsessis de vita & libertatis incolumitate pacisci &c.

Alii plenam habent potestatem agendi omnia ex potestate quadam quasi absoluta: qualis olim potestas Fridlandiæ Duci ab Imperatore Ferdinando II. fuit concessa, de qua *Da. Pufendorf in libr. de Rebus Suecicis*, quod ipsi delatus fuerit titulus *Generalissimi* cum forma *absolutissima*, adeo ut nec Cæsar ipse, neque ipsius Filius possit tali titulo uti, nec titulus tantum datus, sed & absoluta potestas omnia agendi pro arbitrio.

Primi generis Duces si egrediantur limites, Seipfos quidem obligant, sed non Summam Potestatem; utpote quæ jus non dedit Duci exercitus ad talia pacta: unde etiam promissio aut pactum tale PUBLICUM dici non potest, sed est *privatum*; atque adeo obligatio etiam tantum est privata, neque egreditur Personam contrahentis.

Alii Duces, qui ampliorem habent licentiam à Potestate Summa, per sua pacta eam obligant, si vel expressum vel ad minimum probabile sit, quod tale pactum non excedat agendi concessam facultatem.

Unde communi suffragio pactum illud *Consalvi Ducis Hispani* pro perjurio & summa perfidia fuit habitum, quando cum *Valentino Duce* juramento interposito pepigit, quod, si ad colloquium secum venire velit, liberum ipsi reditum ad suos sit concessurus; qui tamen statim finito colloquio ipsum custodiæ inclusit, ac postea ex Regno Neapolitano in Hispaniam ad *Ferdinandum Regem* misit, pro excusatione prætendens, quod Regis Imperium plus valeat, quam Ducis pactum, etiam si juramento firmatum. Perjurium autem hoc fuisse constat exinde, quod *Ferdinandus Rex* plenam agendi facultatem *Consalvo* dederat: unde nec ipse Rex à perjurio excusandus est, dum factum turpe ratum habuit. Et sane *consulenti Historiam* patebit, quod dictus *Ferdinan-*

dinandus, qui Catholici nomen in Reges Hispaniæ derivavit, multa maligna non servata fidei exempla dederit, ut, cum nuper scriptor quispiam sub titulo *Armachani* Galliam tanquam perfidam in *Marte* suo orbi sistere vellet, alius ex Gallia scriptor longè majores dolos & fraudes in Hispanis, & maximè in Ferdinando Catholico invenerit: sed ista *ως ἐν παροδῶ.*

Quod denique Duces tertii generis attinet, qui scilicet plena Authoritate ac facultate agendi gaudent, quicquid ii promittunt, aut paciscuntur, ad id obligatur etiam Suprema potestas.

SUMMA
CAP. VIGESIMI TERTII
LIBRI TERTII.

De fide privata in bello.

I.

Grotius refellit eorum sententiam, qui putant, quod pacta privatorum cum hoste non obligent.

II. Quin etiam, fidem latronibus & piratis datam stringere, asserit Auctor.

III. Neque etiam excipiendos esse *minores*, si pactum intelligant.

IV. Errorem tum demum liberare à contractu, si id, quod per errorem cre-

Yy s

di

ditum fuit, in mente agentis vim habuit conditionis.

V, An privata Civium pacta obligent, difficilis est decisio, ob supereminens dominium Reipubl; benè tamen à Grotio deciditur per hoc, quod valeant, si magis utilia, quam damnosa publico sint. Idem dicendum de militibus.

VI. Promissio captivi de redeundo in carcerem non est tantum *tolerantia*, sed & *Juris*.

VII. Item, in certum locum non redeundi, nec militandi, nec fugiendi.

VIII. Nec captivus se alii dare potest.

IX. Ex fide quoque est, ut privati cogantur à suis Potestatibus, ut impleant, quod promissere.

X, Rectè etiam discurrit Grotius de Interpretatione pactorum, ut scil. à proprietate verborum non recedatur.

XI. Explicatur, quomodo sumendæ sint voces *vita*, *vestium*, adventus auxilii.

XII. Item, quid intelligatur per reditum ad hostem, nempe non clandestinum, sed ut in potestate hostium sit.

XIII. Denique justa auxilia in pactis ditionis non faciendæ, si ea advenerint, intelligi debere talia ait, quæ præsens periculum cessare faciant.

Observ

Observ. I, ad th. 2,

An promissio vel contractus ex metu injusto orta obliget?

Noster Grotius asserit, quod, si metus injustus, ab altero incussus, impulerit ad promittendum, is, qui promisit, id quidem præstare debeat, sed tamen petere postea possit restitutionem.

Alii distingunt inter metum levent & inter gravem, cadentem in Virum constantem; promissa ex metu levi incussa obligare, at verò non ex metu gravi.

Contra Lessius in tract. de Just. & Jure, item Sayrus in *Clavi regia*, & Joh. de Lugo dicunt, quod etiam talis promissio obliget, quæ orta est ex metu gravi. Ratio principalis horum Doctorum est, quia talis promissio, etiamsi ex metu gravi orta, quicquid sit de ejus annexa injustitia, *Voluntaria* tamen sit; omnem autem promissionem *voluntariam* inducere obligationem ex *Jure Natura*; nec obstare, quod habeat aliquid ex *invito*, quia præponderet *Voluntarium*.

Dn. Pufendorff contrariam sententiam, cum qua & Nos facimus, egregie defendit & explicat, quod, qui ex injusto metu impulsus aliquid promisit, nihil præstare debeat, in quo à *Grotio* abit; atque adeo *restitutionem pe-*

tere vanum remedium sit. Ait enim: Uti omnis
 „obligatio, ex pacto orta, in altero ponit jus
 „ipsi correspondens: ita non sufficit, ut in me
 „sint requisita ad obligationem producendam
 „necessaria, sed ab altero quoque vitia abesse
 „debent, quæ juris in ipso acquisitionem in-
 „tercipiant; adeoque non statim, si in me fa-
 „cultas aliqua est transferendi, in altero est
 „facultas acceptandi. Igitur cum obligatio, cui
 „ex adverso Jus non respondet, inanis sit:
 „non est credendum, ex solo meo consensu
 „obligationem nasci, ubi alter per Jus Naturæ
 „prohibetur acceptare id, quod hoc casu o-
 „mnino fit; quæ enim Lex metum alteri, incu-
 „tere vetat, eadem quoque ex isto metu jus ac-
 „quirere, vel lucrum facere prohibet. Atqui si
 „obligatione liberari possum meo arbitrio, ci-
 „tra præstationem alicujus rei, jam actu liber
 „sum. Quid ergò opus hisce ambagibus:
 „*Tu debes me liberare ab obligatione, si velim;*
 „quin dicimus, quia ad promittendum vi me
 „adegisti, nihil Tibi debeo, & frustra à me
 „illud exigis, quod ubi præstitero, id statim
 „restituereteneris. Hactenus Pufendorf.

Et sanè uti impossibile est, ut ex injustitia
 oriatur justitia, vel ex vitio virtus: ita Im-
 possibile est, ut ex promissione, per INJUSTUM
 metum extorta, oriatur JUSTA obligatio.

Observ.

Observ. II. ad th. 3.

An beneficia, qua minoribus conceduntur, sint ex mero jure Civili?

ITa sentit Grotius: sed rectè ab eo in hoc puncto secedunt Dn. Ziegler & Dn. *Kulpsius*. Nam id certum est, quod NATURALIS ÆQUITAS suadeat, ut succurratur ÆTATI nondum satis providæ ac intelligenti. Hinc rectè Ulpianus l. 1. §. de minor. ait: Cum inter omnes constet, fragile esse & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captivibus suppositum, & multorum insidiis expositum: auxilium eis Prætor, NATURALEM ÆQUITATEM secutus, edicto suo pollicitus est.

Id quidem certum est, quod in *restitutione* pupillorum *jus Civile* certas determinaciones addiderit: ipsa tamen *Restitutio*, ut talis, fundamentum habet in Æquitate naturali.

Observ. III. ad th. 6.

An Regulus Rom. ex obligatione Justitiæ redierit Carthaginem, an verò ex Generositate?

ALbericus Gentilis censuit, gloriose quidem fecisse Regulum, sed non ex obligatione, quod promissum debuisset præstare; cum

cum altera obligatio erga Patriam strictior fuerit, quam erga hostes.

Verum hæc ratio non procedit; captus enim *Regulus* non amplius pars aut membrum erat Civitatis Romæ, eo ipso, dum in absolutam potestatem hostium devenit; nec decorum fuisset Romæ, si exemplum perfidiæ in *Regulo* retento præbuisent. Hinc rectè Cicero l. 3. Off. c. 29. *Regulus non debuit condiciones pactionesque bellicas & hostiles perturbare perjurio.*

Observ. IV. ad th. 7.

An Magistratus cogere debeat privatam ad servandam fidem etiam hosti?

Grotius affirmativè respondet & rectè; nisi quod in eo dissentiamus, quod obligatio hæc descendat tantum ex Jure Gentium, prout opponitur *Juri Naturæ*. Nos enim censemus, quod hæc obligatio à fonte ipsius Naturæ deriveretur. Nam quia fidem servare inter præcipua Juris Naturæ præcepta est, & nihil magis lædit societatem humanam, quam fidei violatio: ideoque Magistratus seu potestas superior civem seu subditum suum adigere tenetur, ut promissa adimpleat; id enim si omittat, tum etiam de *mala fide* participat, quia omittit, quod facere deberet, id quod *Moralistæ Inventionem virtuales* appellant. Qui autem
actum

actum aliquem vitiosum intendit *intentione* vel *formali* vel *virtuali*, reus est, ac se culpa fractæ fidei contaminat.

Buchananus morem apud Anglos & Scotos recenset, qui in praxi est, cum quis fidem ita violavit. Si quis, inquit, ad dictum diem non redeat, pœna est, & in congressibus, qui ob res reperundas fieri solent, qui deceptum se queritur, manus effigiem aut Chirothecam perfidi in hasta oblonga omnibus conspicuam circumfert, quod pro summa apud ipsos infamia habetur, adeo ut qui *fidem violavere*, amicis propinquisque detestabiles fiant.

Observ. V. ad th. 9.

Quanam Regula circa Interpretationem pactorum sit tenenda?

TRes in hoc Paragrapho regulas Interpretationis proponit Grotius, nempe ut à proprietate verborum non recedatur, nisi absurdi vitandi causa, aut si certa alia adsit mentis conjectura, ac denique, ut in dubio magis interpretemur verba contra eum, qui Leges dedit. Prolixior est Grotius in libr. 2. cap. 16. circa hanc materiam.

Id unum jam notasse sufficit, quod contra omnes justæ Interpretationis Regulas egerint Galli in pace *Neomagiensi*, dum contenderunt, quod tum per pacem *Monasteriensem*, tum per

Neom.

Neomagiensem ipsis tota *Alsatia* cum *decem* Urbibus *Imperialibus*, ipsoque etiam *Argentorato*, fuerit concessa.

Exemplum, quod summi est momenti, & quod universam Germaniam in visceribus tetigit & afflixit, meretur, ut totum legatur, ut exinde pateat, quam malè inter Christianos *Fides* servetur. Sistemus autem primo Epistolam Statuum Imperij ad Regem Galliaë, deinde subjungemus Responzionem Gallicam,

EPISTOLA STATUUM IMPERII

Ad Regem Galliaë Ludovicum XIV.

TRigesimus secundus jam agitur annus, quam pax Germaniaë reddita fuerat, neque incognitum est, quantis difficultatibus non modo arduum illud opus, sed & Reg. V. Majestatis satisfactionis conditiones constiterint, tandemque omnium consensu eo conventum fuerit, ut præter Episcopatum Metensem Tullensem & Verodunensem CERTA etiam ALSATIAE PARS, quo magis dicta pax & amicitia inter paciscentes tunc firmaretur, V. Majestati cederetur.

Uti verò multos post annos uterque paciscentium in illo, quod pactum erat, acquievit, neque R. V. Majestatis Ministri quicquam ulterius, præter novum aliquod Homagium à
de-

decem Civitatibus Imperialibus in ALSATIA NON CESSA sitis, exegerunt; quæ tamen causa post ad certos utrinque selectos remissa & decisa fuit: sic pace, non ita pridem Neomagii conclusa & ratificata, præter omnium spem & expectationem mox longe diversum undique postulatum fuit; ac nuper à R. V. Majestatis Metis & Brisaci noviter constitutis Tribunalibus in singulos, in utraque Alsatia sitos Imperii Status eorumque territoria, supremi quoddam & absoluti Domini jus per modum sententiæ attributum, eoque nomine juramentum subjectionis exactum; subditi ab homagio (legitimis Dominis præstito) soluti, novoque erga R. V. Majestatem ligati, atque vi manumque militari ad ejus præstationem, nec non contributionum & subjectionum, ut vocant, solutionem contra expressum tenorem Instrum. Pacis Neomagiensis §. *contributionem* &c. 30. coacti fuerunt. Imo eo jam res erupit, ut, cum sub eodem prætextu magna pars ditionum Sereniss. Domini Electoris Palatini cum earum juribus & appertinentiis, nec non Reverendiss. Domini Episcopi Spirensis & Præpositi Weissenburgensis, cæterorumque Dnorum Comitum Palatinorum Rheni transrhenanæ provinciæ nuper à Gallico milite armata manu occupatæ fuissent, interque alia prædicto Domino Episcopo Spirensi Arx *Madenburg*, contra improvisos ejusmodi insul-

tus jam destinatos non præparata, gravissimis comminationibus extorta, atque castrum Falkenbug eadem lege ad deditionem postularetur; sua Serenitas Electoralis autem illud dedere optima fide renueret: longe sane vehementiori impetu, quam quisquam media pace expectaverat, dictum castrum aggressionem militari & tormentorum vi expugnatum, ejusdemque Serenitatis territoria, oppida, arces, villæ, & alia infestata, subditi spoliati & ad incitas redacti; eodem fere modo fortalitia Hornburg & Birsch à Regiæ Vest. Majestatis milite nuper occupata.

Verum cum adeo acerbæ executiones paci Westphalicæ, (per Neomagensem nuper de novo confirmatæ) directo contrarientur: officii nostri omnino duximus, ad R. V. Majestatem rotam causam decenter referre, atque totius negotii rationem paucis exponere.

Constat enim, pace nuper Neomagii conclusa, lege publica utrinque conventum fuisse, quod pax, Monast. Westphal. conclusa, solidissimum mutæ amicitie tranquillitatisque publicæ esse debeat fundamentum, illaque in omnibus & singulis pristino suo vigori restituenda sit. Si itaque pactio ista solennis huic undiquaque inniti debeat fundamento, uti revera innititur: certe quicquam amplius, quam quod ibi expressè stipulatum reperitur, exigere non poterit.

Ne-

Neque enim qualiscunque alia territoriorum & jurium cessione, quam illa, quæ Monasterii Westphalorum facta, ac Neomagii confirmata fuit, ullo publico documento probari potest; Regiæ etiam Majestatis vestræ nunquam peritura literarum aliaque documenta satis evincunt, ipsam apud tractatus Westphalicos aliisque locis toties atque publice asseruisse, nihil sibi magis curæ esse, quam ut Statibus Imperii sua libertas, immedietatis jura & dominia inconcussa servarentur atque restituerentur.

Testatur insuper abunde pacis Monasteriensis Instrumentum §. primo quod *supremum* &c. 70, præter supra dictos Episcopatus eorumque districtus, nihil amplius cessum, nec aliam paciscentium mentem fuisse, quam ut in R. V. Majestatem translatum supremum dominium omnimodaque jurisdictio eatenus exerceatur, quatenus illa tunc intra districtus illorum Episcopatum obtinuit, atque exercita fuit; neque sub ullius juris Diocesani nunquam cessi aut ullo alio quocunque prætextu ultra dictos districtus propriumque ipsorum territorium, longe minus in ea feuda, quæ Status Imperii ante motus Germaniæ à dictis Episcopatibus forte olim recognoverunt, extendenda sit. Patet quoque Landgraviatus cessione neutiquam universam Alsatiam cessam, imo ne quidem ulli paciscentium adeo-

enormem cessionem in mentem venisse. Quemadmodum enim ibi, scilicet §. *tertio Imperator* &c. 23. quid R. V. Majestati in Alsatia cessionum fuerit, nominatim designatur; nempe oppidum Brisacum, Landgraviatus superioris & inferioris Alsatiæ (non tota Alsatia) Sundgovia, præfecturaque provincialis decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum (non verò ipsæ Civitates Imperiales,) omnesque pagi & alia quæcunque jura, quæ à dicta præfectura (non ab Alsatia vel dictis Civitatibus) dependent; adeoque Alsatiam à Landgraviatu & ejusdem præfectura provinciali maximè semper distinctam fuisse, evidenter probatur: ita subsequenti ac speciali lege, nempe §. *tenetur Rex Christianissimus* &c. 87. notanter conventum atque pactum fuit, quid ab illa Landgraviatus & præfecturæ cessione exceptum & non cessionum fuerit; teneri nempe R. V. Majestatem, non solum Episcopos Argentinensem & Basileensem, cum Civitate Argentinensi, sed etiam reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediate subjectos Ordines, Abbates Murbacensem & Luderensem, Abbatissam Andlaviensem, Monasterium in Valle S. Gregorii, Palatinos de Luzelstein, Comites & Barones de Hanau, Flekenstein, Oberstein, totiusque inferioris Alsatiæ Nobilitatem, item prædictas decem Civitates Imperiales, quæ præfecturam Hagenoensem agnoscunt;

Scunt, in ea libertate & possessione immediatatis erga Imperium Romanum, qua hactenus gavisa sunt, relinquere, ita ut nullam ulterius in eos Regiam Superioritatem præterdere possit, sed iis juribus contenta maneat, quæcunque ad sereniss. Domum Austriacam spectabant, & per tractatum illum pacificationis cessa fuere.

His ita præmissis nulla ratio superest, qua totam Alsatiam cessam fuisse evinci poterit. Ad quid enim opus fuisset, Reverendiss. Dominum Episcopum Argentoratensem, nec non decem Imperiales Alsatiarum Civitates, ac reliquos in illius districtu sitos Status, post pacem Westphalicam in pristinam suam libertatem, immediatatem, jura & regalia plenariè restituisset, militemque Gallicum ex eorum tempore belli occupatis locis eduxisset, ac illa dictis statibus propriis suis præsidiiis custodienda reliquisset? ad quid etiam opus fuisset de libero Gallicarum legionum transitu, de Civitatis Tabernarum neutralitate, de fortalitii Benfeldani demolitione, & similibus in favorem Galliarum nominatim stipulari, si utraque Alsatia ei cessa esset? ad quid denique, de supra dictorum statuum immediatorum restitutione adeo sollicitè transigere, si talia, quæ nunc geruntur, licerent?

Accedit porro, quod nec omnia illa territoria & loca, quæ nunc sub titulo dependen-

tiarum Alfatiaꝝ aut Præfecturæ Hagenoensis à serenissimo Domino Electore Palatino, itemque à sua Serenitate & Reverendissimo Domino Episcopo Spirenſi sub prætextu Weissenburgensium dependentiarum, & ita dicti mandati prætenduntur, & minis & armis occupata sunt; sed nec ipsa quidem præfectura Weissenburgensis in Alfatia sita, nec pro ejusdem parte unquam habita fuerit, idque inter alia ex ipso supra citato. *ſ. teneatur. Rex Christianissimus &c. §. 7.* evidentissimè probatur.

Ur autem de hac & non alia paciscentium intentione posteritati tanto melius constare posset, illa, Imperii omnium statuum consensu eorumque nomine, singulari ac publica declaratione scripto mandata, Regiæque V. Majestati per literas die 28. Septemb. 1648. decenter transmissa fuit, prout præter Instrumenta pacis ad fidem etiam Protocollorum provocamus. Neque enim R. V. Majestatis Ministri huic transactioni unquam contradixerunt, quia potius ultra triginta annos eandem bona fide agnoverunt, nec, præter supra dictum jam decisum Juramentum & Episcopatum, prætensiones ad amicabilem compositionem certosque arbitros jam pridem remissas quicquam postularunt. Imo, quod magis est, R. V. Majestas non solum in literis responsoriis ad sacrum Imperium die 18. Sept. 1665. da-

datis declaravit, velle se Ministris & officialibus suis Regiis in Alsatia demandare, ut in omnibus actionibus suis sese taliter exhibeant, ne ex parte Imperii ulla causa conquerendi superesse possit; sed etiam per evacuationem & restitutionem post pacem Westphalicam & Recessum executionis Norinbergensem abunde testatum fecit, in gravatos modo status Imperii & immediatos nihil tale, quod jam exigitur, prærendisse, quod pace insuper Neomagensi §. *juxta pacem &c.* 27. non modo reperitum, sed etiam ibi conventum fuit, juxta sæpe dictam pacem Monasteriensem, in omnibus confirmatam, omnia loca reciprocè restituenda, eaque bona fide evacuanda, atque hunc in finem Commissarios eodem tempore, quo tractatus utrinque rati habebantur, nominandos esse, quod tamen ex parte R. V. Majestatis executione hætenus caruit. Afferunt quidem nunc demum tribunalia Regia, quæ Metis & Brisaci, & non modo ratione Imperii statuum ac Immediatorum præsertim incompetencia sunt, sed & Judicis & Actoris partes simul, exclusis cæteris compaciscentibus, sustinere conantur, omnia, quæ ante nonnulla retrò secula à dictis Episcopatibus, nec non superiori & inferiori Alsatia, Præfectura Hagenoensi & Præpositura Weissenburgensi dependisse volunt, R. V. Majestati cessa ideoque vindicanda esse.

Quoniam verò nuda ista assertio omni fundamento ac probatione destituitur, ipsaque pacis tabula (ubi sæpe dicti Episcopatus cum eorum districtibus tantum, & Landgraviatus Alsatia cum præfectura Haguenoensi duntaxat; nihil verò extra districtus, neque tota Alsatia cessa deprehenditur) eandem manifeste impugnant, eique contradicunt: R. V. Majestatis totiusque Europæ judicio relinquimus, utrum Tribunalium ista declaratio locum habere, atque sub tali prætextu Electorum, Principum ac Statuum, aliorumque Imperii immediatorum territoria eorumque jura simul absorberi possint, cui ut assentiamur, ipsa sane fides publica, quam Patriæ & posteritati debemus, ipsaque actorum publicorum ratio, prohibet. &c. &c.

Responsio Gallia Regis.

AD justas istas Imperii querelas respondit Gallia Rex, primo se longe aliter intelligere, hoc est, *interpretari* pacem Monasteriensem, nempe quod non pars aliqua Alsatia, sed tota ipsi cessa fuerit cum omnibus dependentiis. Secundo Legatos Cæsareos diu quidem multumque imò in sex usque septimanas litigasse Neomagi, & Regi supremum Dominium in totum Alsatiam disputasse: tandem tamen acquievissent; ne propter inanem
litem

litem totum pacis negotium iterum rumpatur, ubi certissimum fuisset periculum, ut Germania graviores sentiret jacturas. Tertio Regem inprimis etiam ideo cessisse pulcherrima loca & provincias occupatas, ut pax eo firmitior esset, neque ipsi Jura sua vellicarentur. Denique omnem curam adhibuisse, ut summa cum fide omnes articuli & conditiones pacis adimplerentur, eductis ex Imperii provinciis militibus suis. Unde illos ceu pacis, Europae afflictæ tam necessariæ, turbatores non esse audiendos, qui Regi Galliae Alsatiam & supremum in eam Dominium in Controversiam vocare velint.

Hæc summa fuit Responsionis Gallicæ, ex qua satis constat, quam *male fidei* fuerit Interpretatio Pacis Monasteriensis, atque illi superædificatæ pacis Neomagensis, Utinam tandem Christiani Reges crederent, Deo *perfidiam* non in *parvis* tantum, sed & in *magnis* invisam esse. Sed audiamus porro, quid ab Imperio responsum.

IMPERII REPLICA AD REGEM GALLIÆ.

*Serenissime ac Potentissime, Rex
Christianissime, Domine Clementissime.*

Literas Responsorias R. V. Majestatis, ex Arce Versaliensi 10. nuperi Octobris dadas,

tas, ea, qua par est, veneratione accepimus, & ex illis intelleximus, esse, qui R. V. Majestatem ea sinistra opinione imbuant, quod omnia, quæ in Imperio per R. V. Majestatis Officiales de facto & vi militari occupantur, ab Imperio in Pace Westphalica Coronæ Galliæ clarè cessa, & eidem in tractatu pacis Neomagensis, postquam à Cæsareis Legatis præcipua eorum capita in Controversiam revocata fuissent, tandem tamen aut renunciata aut relicta sint. Utrumque certe ita erroneum est, ut æquanimitas & justitia R. V. Majestatis nobis omnino polliceatur; non coneredituram se iis gloriam nominis sui, sanctimoniam publicæ fidei & tranquillitatem Christiani Orbis, si de rei ipsius veritate plene esset informata. Nam, quantum in primis Pacem Westphalicam attinet, si placuisset R. V. Majestati ad ea reflectere, quæ literis nostris 27. Julii nuper prolixius deduximus, cognovisset certe, tantum abesse, ut quicquam eorum Coronæ Galliæ, quæ nunc noviter in Imperio occupat, Pace Westphalica cessum sit, ut pleraque in ipsiusmet Pacis Instrumento ab iis, quæ Galliæ ibidem cessa leguntur, clare potius & nominatim excepta, multa Dominis, quibus ea nunc eripiuntur, virtute ipsius pacis, R. V. Majestate tunc in primis annitente, restituta, multa rigore Recessus Norimbergensis, Pacis Westphalicæ executivi, Imperio reddita, omnia usque ad

po.

postremos motus facta testa conservata sint, iidemque status, in quos R. V. Majestas nunc Regiam superioritatem sibi adstruit, triginta & ultra à Pace Westphalica annis, interrupta nunquam possessione, ad Comitata Imperii vocati, in illis, præsentem nec contradicentem Plenipotentiam R. V. Majestatis, suffragii & sessionis adeoque omnibus IMMEDIATIS juribus semper gavisi sunt, ad collectas Imperii contribuerint, in contentiosis nulla quam Imperii Dicasteria agnoverint. Imo R. V. Majestas cum illismet, tanquam cum immediatis Imperii Statibus, hæcenus semper tractavit.

Æque fragile est alterum fundamentum, quod à tractatu Neomagensi accersitur. Nam uti ex ejusdem actis constat, à R. V. Majestate pro omni conditione restabilienda cum Imperio Pacis solam Restitutionem Westphalicam postulatam: ita ex ejusdem Pacis Instrumento evidens est, sola Friburgi cum Philippiburgo commutatione excepta, in reliquis Pacem Westphalicam jure confirmatam esse. Non ignoramus, tam à Cæsarea quam R. V. Majestatis Legatione articulos hinc inde plures propositos esse, quam Instrumento Pacis postea inserti sint, quo prætextu R. V. Majestas quam maximè inniti, & tam enormem cessionem exinde etiam evincere velle videtur. Sed ea ommissio adeo neutri partium renunciationis instar visa est, ut R. V. Majestas eorum aliquos

quos ab ejusdem Legatis propositos, licet ex tabulis Pacis omitti sint, effective tamen executioni demandarit. Ut taceamus, quod Legatio Cæs. Artic. 8. projecti sui, de controversiis ibi nominatis ad placitum ante hac arbitrium remittendis, non ante nec aliter omiserit, quam postquam Legati R. V. Majestatis, qui hactenus contestati fuerunt, se de eo arbitrio nec informatos nec instructos esse, tandem per Mediationem Anglicam 30. Decemb. 1678. vigore extractus Protocolli, sub Num. 4. expressè declarassent, à R. V. Majestate nihil novi aut aliud juris in Status & loca in prædicto articulo nominata prætendi, quam quod eidem Pace Westphalica acquisitum sit: Quæ cum Pacis Neomagensis fundamentum factura præsupponeretur, articulum omitti posse, & ne locus esset ex ista omissione renunciationem aut qualemcunque desistentiam arguendi, Legatio Cæsarea ante subscriptam Pacem coram Mediatione & ipsismet R. V. Majestatis Legatis verbis & scriptis ex superabundanti interposita protestatione, expressè cavet, statimque post pacem hinc inde ratihabitam inter alia etiam ea ipsa loca, articulo prædicto nominata, à legatis R. V. Majestatis nomine Imperiis inter restituenda & evacuanda repetit, prout ex actis clarum est; ita ut non appareat, quo tandem fundamento ex prædicti articuli omissione tam enormis tot tantorumq;

Sta-

Statuum Cessio inferatur. Nullum certe illius in Instrum. Pacis vestigium est. Et cum ex omni jure constet, ea, quæ ante Transactionem & re adhuc integra inter transigentes dicuntur & aguntur, pro nondictis, acta pro non actis haberi, eaque non ex illis aut antecedentium congressuum d. scriptionibus, sed ex solo tenore Instrumenti secutæ pacis, quid ea tandem transactum sit, doceri oportere: ad illud unum recurrendum est; neque enim quicquam aliud à S. Cæs. Majestate & Imperio aut à R. V. Majestate ratihabitu fuit, quam ipsæ pacis Tabulæ, uti exemplaribus ratificationis verbotenus insertæ sunt, dicunt, & consequenter eæ solæ paciscentes obligant. Jam vero cum in tabulis pacis Neomagensis omnibus & singulis pax Westphalica purè confirmata sit; nisi quatenus eidem per Neomagensem expressè derogatum est: tota res eo redit, ut alterutrum doceri debeat, aut factam esse in pace Westphalicâ Cessionem, quæ prætenditur, aut quoad eam Cessionem per pacem Neomagensem Westphalicæ expressè derogatum esse. Cum autem ex literis nostris 27. Julii nuperi ad R. V. Majestatem datis (quarum contenta in omnibus hic reperuntur) & hisce supra clarè ostensum sit, quam nihil eorum pace Westphalica Coronæ Gallie ab Imperio sit cessum; neque in toto Instrumento Pacis Neomagensis ullum ejus modi Cessionis vestigium
aut

aut mentio, multò minus paci Westphalicæ quoad hæc quicquam expressè derogatum inveniatur, ut potius Artic. 27. ejusdem claris iterum verbis repetatur, simpliciter juxta pacem Westphalicam, in omnibus & singulis Articulo 2. confirmatam, reciprocè omnia bona fide restituenda & evacuanda esse; imo & Dominus Episcopus Argentinensis, unus ex ordinibus immediatis Imperii in Alsatiâ, in ipso tractatu Neomagensi à R. V. Majestate inter amicos & fœderatos habitus, & eadem inprimis urgente, in pristinum Statum, jura, Sessiones, vota & alia quæcunque, quibus ante destitutionem gavisus fuerat, restitutus sit: consequens est reliquos in Instrum: Pacis Westphalicæ, sub eadem dispositione verbis & Ræcomprehensos, eadem quoque restitutione, immedietate & juribus frui debere; adeoque R. V. Majestatem de ejusmodi prætenâ cessione aut desistentia, utpote quæ neutra pace adeoque nullo prorsus fundamento nititur, nimis sinistre sane informatam esse. Id autem minus capimus, quod dictæ Cessioni aut desistentiæ adstruendæ, in præfatis R. V. Majestatis literis Sacræ Cæs. Majestatis & Imperii ratificatio allegetur; cum in Senatus Consulto Statuum Imperii, R. V. Majestatis Legatis una cum exemplari ratificationis Cæsareæ, quæ ad illud se expressè etiam refert, extradito, interposita à Legatio-

RE

ne Cæsarea prædicta protestatio & reservatio clarissime reperita sit. Non immerita certè laus & gloria est, quam R. V. Majestas in suis-
met literis Imperatori & Imperio adscribit, ob Religionem in observanda, uti ea ratiha-
bita est, pæce. Neque enim quisquam hacte-
nus exitit, qui ab illis vel in eâ observanda bonam fidem, vel in exequenda promptitu-
dinem desideraverit, cui si eadem bonâ fide & promptitudine à R. V. Majestatis ministris responderetur, non forethisce, cum ante hac deductis tum novis & quotidie in Imperio ingravescentibus, querimoniis locus. &c.

Ex quibus omnibus satis cernitur, quam *malus sit interpret* pactorum **AMBITIO**; quam-
quam frequens sit illud Antigoni, *Optime de
suis disputat, qui gladio prævalet*; sed ta-
lia apud Christianos non deberent audiri;
quin facta ejusmodi, quæ contra *fidem & In-
ramenta* suscipiuntur, Historiam deinceps Re-
gum & Principum infamant, ut constat ex
Historia Ferdinandi Catholici. Ac sanè si Gal-
lia Ambitionem & dominandi libidinem cohi-
bere potuisset: à multis retrò seculis non ha-
buisset **REGEM MAJOREM**, & splendidioribus
virtutibus Regis ornatum, quam **LUDOVICUM
XIV**, ac qui omni Jure titulum **MAGNI** gerere
posset ob maximas Virtutes & summas re-
gendi artes, quas omnes sæpe non servata **FIDE**
vitiavit,

SUM-

SUMMA
CAP. VIGESIMI QUARTI
LIBRI TERTII.

De fide tacita.

I.

Ostendit Grotius, quod etiam per silentium sive tacite aliquis obligari possit.

II. Exemplum ponit in eo, qui in tutelam recipi a Rege vel populo experit; talis enim tacite se obligat, quod nihil adversus eum statum, in quo præsidium petit, moliri velit.

III. Sic etiam qui colloquium aut postulat aut admittit, tacite promittit, collocutoribus id innoxium fore.

IV. Huic tamen, dum collocutori non noceat, integrum esse res suas promovere; id enim pertinere ad dolum bonum.

V. Porro asserit Grotius, quod etiam signa quædam muta dentur, ex consuetudine significantia; sic olim vittas & ramos Olivarum signum fuisse deditiois.

VI. Sic & in sponse tacitam dari approbationem.

V. In remissione pænæ non esse sufficiens signum ejus dissimulationem, sed alia requiri.

Observ.

Observ. I. ad th. I.

An silentium possit etiam esse nota consensus?

Communiter dici solet, quod qui tacet consentire videatur; & Cicero in lib. 1. de inventione ait, *taciturnitatem imitari Confessionem*, & Javolenus l. 51. §. locat. inquit, silentio quædam conveniri: non ergo tantum voces & literæ aut nutus, sed etiam silentium capax est ad Jus transferendum.

Observ. II. ad th. 5.

Quando intelligatur pœna remissa?

Grotius asserit, quod pœna non intelligatur remissa, etiamsi dissimuletur; id quod tum in foro divino, tum in humano obtinet. In divino, sæpe enim in Codice S. legimus, quod Deus differat pœnas, neque illas statim exigat, sed quasi dissimulet; ac hæc tarditas non dicit remissionem, sed potius est invitatio ad pœnitentiam, vel eam postea aggravat: in humano res etiam est liquida, nam sæpe is, qui puniendi Jus habet, pœnam non exequitur,

SUMMA CAPITIS XXV.

Claudit Grotius Librum suum per egregium monitum ad FIDEM & ad PACEM, quod sanè exulceratis hisce temporibus, ubi PERFIDIA non amplius infamis aut in vitio est, sed

pro specie singularis prudentiæ colitur, monitum hoc summè necessarium est.

Et quæso, quam turpe est in Principe *FIDEM* non servare; quæ si, nullibi, in Principe tamen *vices Dei* tenente reperiri deberet. Illa enim est *vinculum*, per quod Societas magna inter homines cohæret; hanc qui ex *Ambitione* & regnandi cupidine rumpit, summi sceleris atque infinitarum cædium reus est.

Quid enim hodie Europa nostra est, quam cruentum quoddam Theatrum, in quo *Ferinum* in modum homines inter se defæviunt; ubi plerunque rota odii materia ac fomes est immensa illa dominandi libido, Pests illa Generis humani, & Christiani Principis æterna & non nisi infernali igne eluenda macula. Nam æterna veritas est, contra quam nulla valet exceptio, quod omnis in ambitioso bello effusus sanguis vindictam clamet ad Deum; quod non tantum privatorum homicidia subsint iræ Divinæ, sed etiam *PUBLICA*, quæ in bello temere suscepto per tantas strages committuntur; quod denique incendia Urbium, ruinæ templorum, vastationes agrorum atque expilationes pauperum, furta, sacrilegia, imo latrocinia sint in Oculis Divinis, pro quibus vana est pœnitentia, nec datur *REMISSIO*, nisi fiat *RESTITUTIO*.

INDEX.



I N D E X.

Rerum præcipuarum & Verborum.

Abdicatio Regiminis Principem reddit pri-
vatum p. 178. quod Ollander negat 178.

179.

Abraham non proprio motu armâ sumisit con-
tra Grotium. 97, 98

Absolutio à juramento 359.

Acceptum ob turpem causam restitui debet
316. 317.

Acquisitio Originaria duplex 217.

- - in personas triplex. 242.

- - derivativa duplex 257 altera fit per
translationem vel Testamentum

257. 258 .altera rursus fit
modo triplici 274.

Actio humana indifferens non datur 540.

Actus malus esse potest sine cognitione mali-
tiae 508. 511.

Adamus fuit Caput nostrum morale 69. 70.

Adultera quomodo liberos legitimos indemnes
servare debeat 417. 422. an spurium obli-
gare possit, ut sibi credat 422. 425.

A 22 2

Ad-

I N D E X

- Advocatus** causam injustam tueri non potest
 533. 537. 538. nec minus probabilem contra
 Dianam 535. 536. bene tamen dubiam
 533.
- Æqualitas** in contractibus requiritur. 342.
- Æquatorium Jus.** 10.
- Equipollens** an facere liceat in mandatis 401.
 402.
- Æquivocationibus** uti non licet 564. - 567.
- Alapa** quomodo Jus ad cædem infligentis det.
 188.
- ALIENATIO**, de qua frustra disputatur sec. Gro-
 novium 265. 266. quomodo penes sum-
 mum Imperantem 135. penes populum con-
 tra Osiandrum 261. 262. & penes partem
 alienandam sit 263. ad sui essentiam secun-
 dum Pufendorf. jure Naturæ non requirit
 traditionem contra Feldenum 258. cum
 Auctoris decisione 260. num sit genus Te-
 stamenti sec. Grotium 273.
- Allodialia** bona & regna 275. 288. 289.
- Americani** ex inani Pontificis prætextu inju-
 stis armis oppugnati fuere 488.
- AMOR** erga Deum sec. Tamburinum 88. noster
 erga proximum non æqualis esse debet con-
 tra Grotium 145. &c. aliter obligat ac justi-
 tia contra Zieglerum 411. 414. latior est
 juris Regula. 648. 649. 650.
- Analogiæ** omnis fundamentum 398.
- Antecessores** obligare possunt Successores sub
 di-

distinctione 371. 372. etiam in foederibus
juramento firmatis. 400.

Aptitudo 10. in ea distributiva justitia est. 11.

Arbiter quid 702. 703. à Mediatore differt.

701. & à Judice 704. pessimus fuit Lega-
tus Pontificis in bello Ryswicensi 703.
ejusque officium 703.

Arbor scientiæ boni & mali omnes homines
obligavit 69. 70.

Arbores in bello non excidendæ sunt 640.

In Assècuratione quæ observanda 333.

Athei omnem evertunt Religionis vim 664.

Augusti titulus quando Germaniæ Imperatori-
bus collatus sit. 304. 307.

B.

BELLUM quid 9. 10. in tractatione cur à Gro-

tio paci permittatur, 9. 10. nulli legi repu-
gnat 131. 133. dividitur 133. 187. priva-

rum esse potest certo casu 134. publicum,

quod aliter Grotius, aliter Bœclerus definit

136. est vel solenne vel minus solenne 133.

indicit Magistratus non minor nisi certo

casu, sed summus 134. mixtum datur con-

tra Zieglerum 137. contra Superiorem

quandoque potest esse licitum 171. 172.

quandoque non item contra Paræum 173.

inferri potest Vicino cum molitione subju-

gandi alios crescenti 196. 484. non item

si mali nil molitur 195. pœnale 475. ex

causa dubia inferri non potest. 513. 514.

- § 19. ad injustum cogi civis non potest § 20.
 eo non semper injuria vindicanda est § 12.
 ejus causa justa 187.
- Beneficia Minoribus concessa non saltim ex
 jure Civili fluunt 717.
- Bona naufragorum inique fisco adjudicantur
 276. 277. paraphernalia quæ 418.
- Bonifacius VIII. ridicula absurditate verba
 Christi & Petri pro se explicat 488. 489.
- Bruta non sunt subjectum Juris Naturæ 13.
 hinc Hugo de Roy refutatur. § 5. § 6.

E.

- Capere in bello licet usque ad debiti compen-
 sationem 653.
- Capra justo bello victori cedunt 497. 598.
 600. si sint hostis 599. an singulis an Impe-
 ranti cedant disquiritur. 602. 605.
- Capti stricto jure Gentium non fiunt servi 606.
 nec eorum posterii 607. injusto bello fugere
 608. 609. & res suas subducere possunt.
 609. 610. 611.
- Castitas etiam cæde invasoris salvari potest.
 188. 191.
- Catholici titulum quis primus inter Hispania
 Reges usurparit 713.
- Catonis elegans de furibus dictum 597.
- Certitudo Mathematica in moralibus non da-
 tur 492. 493.
- Christus ut Salvator non est novus Legislator

107, 108. hinc Grotius cum Maldonato
rejicitur 109. 110. &c.

Circumvenire alterum an naturaliter liceat
334. 342.

CIVES ad militiam offensivam in bello injusto
cogi non possunt §20. innocentes pro salu-
te publica in mortem tradi possunt; & se tra-
dere debent §16. &c. an si de justitia belli
dubitent, militare debeant, §25, in bello vel
sunt rei vel innocentes 651.

Civitas an damnum civium resarcire teneatur
698.

Clarigatio in bello defensivo necessaria non
est §76, quomodo alias fiat §78. cur fue-
rit introducta §79.

Clericus invasorem occidere non debet 143.

Cœlibatus suo modo conjugio perfectior est
§82.

Commeandi Jus 706.

Communio Pufendorffii negativa explicatur
203. 204. an fuerit ante lapsum 90, 202.
208.

Commutatio Juramenti 360.

Commutativa justitia 11. cum suo Objecto
442.

Compensatio quomodo locum habeat 684.
occulta certo casu licita est contra Osiandrum
278. 279. 280. Sanchezii sententia
refutatur 281. 282.

- Concubinitus an sit contra Jus naturæ 100
101. & Patriarchis peccatum fuerit 101.
106. disquiritur.
- Conductus saluus 706.
- Confœderati. vid. Socii.
- Conjecturarum Regulæ Grot 388 390.
- Conscientia erronea operans semper peccat
494. dubiâ nil agendum 496.
- Conservatio sui non est principium & Regula
Juris Naturæ. 16. 17. 21. 22.
- CONTRACTUS sec. Pufendorf. definitur, & stri-
ctior est quam pactum 334 triplex 334
sec. Rom. Jctos quadruplex 335. civiliter
est vel nominatus vel innominatus 335. in-
nominatus appellari potest ludus 338. requi-
rit omnimodam in foro interno æqualita-
tem 330. 331. 341. 342.
- Conventiones pacis quomodo interpretandæ
sint 698. ubi Romanensium odium in nos
ostenditur. 699.
- Conversio Judæorum generalis an adhuc fu-
tura sit disquiritur 122. 126.

D.

- Damnum Civium an Civitas 698., belli an
injuste belligerans 699. resarcire teneatur,
illatum quodnam sec. Grotium Jus det 403.
406.
- DEBITA Imperantium solvere debent Su-
bditi ex æquitate naturali 568. 569. 571.
non

non tamen promiscua 570. nisi gloriam
quærant 571. Argentoratensibus aliena
Rex Galliæ remittere non potuit 599. pri-
maria & subnascencia 647. 648.

DEFENSIO SUI cum cæde invaloris num sit licita
140. argumenta Pufendorffii pro affirmativa
141. & negativa 142. 143. proferuntur,
Clerico denegatur à Nicolao 143. & Laico
conceditur cum magna cautela 144. an cum
cæde innocentis licita sit 187. inculcata tria
essentialia requisita habet. 188. 189. 190.

Delicta dant jus in personas sine consensu 244.
publica quomodo punienda sint 256. du-
plicem inferunt delinquenti obligationem
406. 407.

Demonstratio quid sit 492.

DEUS an cum homine societatem habeat 24.
quomodo in N. Test. lenior sit 461. 462.
peccatorem non potest non punire con-
tra Twissum 446. Dominium in nos
immediatè non ex ὑπεροχῆ sed beneficiis
habet 542. 545. nec annihilare nec æter-
num torquere innocentem potest 543.

Διαθήκη quid 128.

Dispensatio circa juramenta 359. an & quo-
modo Magistratui possibilis 359. 363.

Distributiva justitia II. cum suo objecto 442.

DIVISIO non fuit facta jure naturali, uti vult
Bœclerus 211. 213. nec divino sec. Theo-
logos 212. 213. nec Civili 214. sed Gentium

INDEX

communi 214. cum cautela duplici 214.
215. & fundamento quaestionem decidendi
212. quomodo facta sit sec. Grotium 208.
209. alios, quibus nec Auctor repugnat
210. 211.

Divortium an contra Jus Naturæ sit 100. 101.
& ei faveat locus *Dent.* 24. 1. 110. 112. 113.

Dolus an ex se malus sit 551.

Dolis uti in bello non gloriosum judicatur
550.

DOMINIUM dividitur in plenum & minus ple-
num 11. non fuit in statu primævo ante la-
psum 90. 203. 215. 216. quod Osiander,
Kulpifius & Bœclerus negant 90. 204.
208. distinguitur ab Imperio 217. compe-
tit suo modo etiam infantibus 217. 221.
224. originariè etiam acquiri potest per
divisionem contra Muelium 218. haberi
potest etiam in flumina 224. an habeatur
sine traditione 258. 260. Dei unde resul-
tet in nos 542. internum ex injusta causa ac-
quiri nequit. 665. 666.

Dominus Jus vitæ ac necis in servos sine cau-
sa non habet 655. 656.

Dona ad officium rite peragendum accepta
num restitui debeant 314. 316.

Dormitio præscriptionis 240.

Dubium duplex 231. tollit præscriptionem li-
gitam. 231.

Du-

Rerum præcipuarum & Verborum.

Duces belli an cum obligatione S. Potestatis
pacisci possint 711. 712.

Duello duo mortem commæriti à Magistratu
committi possunt sec. Grot. 188.

E.

Eminens Jus 11, melius ita vocatur, quam jus
Imperii contra Zieglerum 697. an detur
28. & cum Osiandro contra Vitriarium af-
firmatur, 28. 29. cum limitata decisione 29.
30. pro fundamento habet necessitatem pu-
blicam 30.

Emtio Venditio permutatione non est antiqui-
or, quod negat Osiander 336. absolvitur solo
contractu sec. Grot, 332.

Emtor rem furtivam vero Domino restituere
debet 310. 313.

Evangelium fidem præcipere à Zieglero &
Wölfflino affirmatur 93. 94. ab Osiandro
negatur 94. 95. sed genuina decisio sub-
ministratur 95. 96. pœnas non dicit 451.
454. tantum justificationem docet & dat,
460. 461.

Evangelicum fœdus. vid. fœdus.

Expulsis debetur habitatio 201.

F.

Facultas quid 10. & dividitur in Jus eminens
& vulgare 11.

Falsiloquium omne, quod dicit dissonantiam
mentis & Oris, est illicitum 552. 558.

Fa

Favorabilia sec. Grotium 388. quomodo exponenda 389.

Feræ quo jure Principum sint. 294.

Ob feram captam nemo interfici potest 298.

Feudalis nexus tollit summam Potestatem 135.

Fidei bonæ possessor quomodo ad restitutionem teneatur 308. 309.

emptor rem furtivam furi cum receptione sui pretii restituere nequit 310. 313.

Fides an in lege an in Evangelio præcipiatur 93.

an in V. Test. generalis tantum fuerit 117.

FIDES bona describitur 230. minorum potestatum in bello 710. privatorum hosti data jure à Magistratu exigitur 718. semper hosti servanda est 677. 681. etiam latroni & prædoni 682.

Filius Dei non fuit ipse Melchisedech 98. 99. 100.

Filius est instrumentum Patris contra Felde-
num 186.

Flumen potest occupari vi Jurisdictionis non juris eminentis 224.

FOEDUS Gratæ ter prædicatum fuit universaliter 14. habet Deus cum hominibus 24. duplex tantum non triplex Deus nobiscum pepigit contra Grotium, Amyraldum & Placæum 64. 67. unum in utroque Testamento est 116. novum an novum Test. recte vocetur 126. 130. legale & Evangelicum mul-

Rerum præcipuarum & Verborum

- multum differunt 127. 128. inæquale s. potestatem tollit 169. 170. à sponſione differt 374. 378. idem objectum cum Jure Naturæ habere potest contra Pufendorf sec. Obrechtum 379. 380. defensivum iniri potest cum infidelibus 381. 384. etiam juxta Grotium 375. 376. Antecessoris stringit etiam Successorem 400.
- Fœminas occidi posse in bello ex *Pf. 136. 9.* non probari potest 586, fieri tamen jure posse aliquot casus sunt 635. 636.
- Furem facultatum mearum interficere licet in statu naturali 188. 192. 192. in civili leges civiles decidunt 194.
- Furtum melius alio modo quam vita punitur 199 463.
- Fürstenberg, etsi Legatus, in custodiam missus est 429.

G.

- Galliæ Rex fidem non servavit in pace Neomagenſi & Monasterienſi 720.
- Germani quo jure Imperium Rom. sibi vindicent. 303.
- Gonsalvus perfidus 680. 712.
- Gradus prohibiti in Jure divino fundantur in naturali verecundia sec. Grot. 243.
- in lege civili invalidum conjugium non faciunt

243.

H. Ha-

H

Habitatio debetur expulsis 201.

Hæres ex intestato 275. deficientibus liberis 275.

Homicidium ut morte plectatur est Jū is Naturæ 132.

Honestum quomodo in puncto consistat 87. 88.

Hosti ne quid subministretur an & quomodo impediri possit 545. fides servanda semper 677. cum ratione addita 686.

I.

Ignorantia quandoque excusat factum in humanis, sed non in Jure Nat. & divino 634.

Immutabilitas Juris Naturæ, vid. Jus Naturæ.

IMPERANTES SUMMI quid possint circa suas actiones & promissa juxta Grotium 363. 364. 365. an læsi se ipsas possint restituere 366. 367. 368. an & quomodo per Contractus cum subditis obligentur 369. ex patrimonio tenentur ad contractus antecessorum 371. an beneficia sua aliis concessa revocare possint 373. 374. an capti adhuc Reges sint 614.

IMPERIUM SUMMUM an minuat per pacta & juramenta 159. fœdere inæquali tollitur 170. licet dissentiat Grotius 135. 170. 171. Romano-Germanicum non habet statum absolute Monarchicum, sed Aristocratia temperatum 166. 169. Romanum an rectè titu-

titulo & re habeant Germani 303. 308. exercere, capto Rege, penes quem sit 691. capto Rege non transit ad hostem 612. 614. non nimium extendi, sed modo teneri utile est 662. 663.

Indifferentia actionum humanarum non datur 540.

Induciarum descriptio varia 705. 707. Grotii à Zieglero castigata 706. termini quomodo numerandi 708. 709. tempore nihil immutandum contra Pufend. 709. 710.

Infantes sunt etiam subjectum Domini 221.

Integritatis status an dominiorum distinctionem habuerit. 90.

Interficere in bello justo non quemvis licet. 632. 633.

Interpretatio vocibus utitur nunc vulgariter nunc technice 394. 395.

INTERPRETATIONIS Regulæ in pactis 719. materia utilis 393. divisio triplex 394. modus in vocibus ambiguis 396. conjunctæ descriptio 397. & ejusdem divisio Grot. in eam, quæ ex loco & lex Origine est 397. analogicæ fundamentum, legalis definitio 398. 399. strictissimæ sunt mandata divina 402.

Invasorem vitæ 140. pudicitie 190. etiam rerum mearum 192. an occidere liceat.

Inventor artis monetariæ quis 337.

Joannes novam doctrinam non proposuit contra Grotium, Sec. & Armin. 115.

Irris

Irritatio Juramenti 359.

Israëlitæ non soli obligati fuere lege Mosaiçâ
90.

Judæorum gens an adhuc se conversura sit
122. subjectio recte ex Nummo collecta fuit
183.

Extra Judaismum non fuit salus contra Gro-
tium & Tesmarum 75. 76.

Judex ab arbitro differt 704.

Judicia publica sunt à Deo non hominum insti-
tuto 130. 139. ubi Grotii sententia explica-
tur 139. 140.

JURAMENTA an Principes & Reges obligent
159 sunt duplicia 353. tria requisita vel co-
mites habere debent, quæ explicantur 352.
353. assertoria etiam habere debent justitiam
354. per solum Deum fieri possunt contra
Grotium 354. 355. quæ per S. Evangelium
fiunt, dextre explicantur contra Balduinum
& Osiandrum 356. vi extorta obligant ob
Deum 323. 324. 357. 358. 715. 716. Re-
gum an ab ipsis Regibus possint irritari
368. antecessorum stringunt successores
400. an & quomodo dispensationem, irrita-
tionem, commutationem, relaxationem,
absolutionem admittant cum adjuncta ho-
rum terminorum explicatione 359. 360.
361. 362.

Jurisdictio quid 136.

Jus universale 9. tripliciter accipitur 10. in-
ter

Rerum præcipuarum & Verborum

ter æquales & inæquales; æquatorium, Rectorium; facultatis, aptitudinis 10. eminent & vulgare 11. parentum in liberos non derivatur ex potentia, cui primo subsint, contra Hobbes. 245. nec ex alimentatione & salutis cura contra Pufendorf. 247. sed ex generatione sec. Grot. & communicatione divina 245. 246. 248. in personas triplex fundamentum habet 242.

Jus NATURÆ est immutabile 12. fontem habet non immutabilitatem Voluntatis Dei contra Vitriarium 48. 51. 52. nec tantum decretum non mutandi Naturam hominis contra Pufendorf. 49. 52. sed in Deo justitiam, sanctitatem, veritatem 12; 49. & in Objecto intrinsicam & essentialem convenientiam 12. 49. 50. 51. cum objectionum resolutione 53. 54. bruta non habet pro subjecto contra Hug. de Roy 13. 55. 56. cognoscendi regula Grotii 13. 57. 58. Bæcleri approbatur 17. 62. sed socialitas Pufendorfi 16. 20. 60. 62. Grotio rectè explicato 15. & Hobbesii Conservatio sui 16. 17. 21. 22. castigatur, definitum à Grotio 12. 43. & Vitriario 44. 45. rejicitur, & aliter describitur 46. 47. 48. quomodo pœnas determinet 298.

Jus Gentium 13. in quo distinguatur à Jure Naturæ 427. 646. æquivoce vel intetnum vel externum est 581. 645.

Bbb

Jus

INDEX

Jus Voluntarium 13. est mutabile, & dividitur in humanum & divinum 13.

Justitia æquivoce est vel interna vel externa 645. &c.

K.

Kapers quid 674. & quid ex præda petere jure possint 675.

L.

Latitudo honesti quid 87.

LEGATI quæ sec. Grotium habeant jura 225. 226. inviolabilitatem suam habent ex jure Gentium contra Pufendorf 426. 427. mitti possunt ab iis tantum, qui jure Majestatis gaudent 427. an etiam à Statibus Imperii, quæritur 428. ob varias rationes non admitti possunt 429.

Legatum Jacobi Josepho adscriptum 600. 602.

Legislator an Christus sit. 106.

LEX fidem non præcipit contra Osiandrum 93. 97. *paradisiaca* & *Mosaica* sub distinctione omnes homines obligarunt 69. 74. *moralis* quomodo à Jure N. differat 34. & abrogata sit 14. 77. 78. an formaliter Adamo inscripta fuerit 93. & intendi vel perfici à Christo potuerit 106. *Ceremonialis* abrogata est 14. sed cum mora 78. 79. nec est revocabilis 79. 80. *Forensis* abrogata est cum limitatione 14. 80. 82. *positiva*

Rerum præcipuarum & Verborum.

rationem non semper dat, 399. fundatur in-
Voluntate 42, *Evangelica* strictè non datur
45 I. laxè sumta Jus N. quoad justiciam inter-
nam restituit 673. *pœnalis* 470. *præceptiva*
470. *permissiva* non datur 647.

LIBERI Parentibus subsunt ex variis causis
244. secundum ætatem varie tractandi
sunt 247. 248. 249. oppignorari possunt à
parentibus 349. & ab iisdem ali debent
contra Hobbes. 282. 285. etiam propter pa-
rentum culpam puniri possunt 477. 479.

Licitum tripliciter dicitur 582.

In Locatione quæ observanda sint 332.

Ludus in se moraliter malus non est contra
Hæberlinum 339. 340.

M.

Magistratus gravius, quam Lex Mosaica de-
finivit sec. Kulpis. 197. 198. furtum verò
melius alio modo, quam morte punire,
199. & duellum certo casu sec. Grot. per-
mittere potest 188. ad fidem verò hosti
servandam privatum cogere debet 718.
Summus describitur 134. cum suo subje-
cto communi & proprio sec. Grot. 134.
Originem habet Divinam 134. 149. 159. cui
resistere an liceat inquiritur 171. 173. *Minor*
contra summum male regnantem insurge-
re non potest contra quosdam 173. 178.

Majestas vid. potestas summa.

Bbb a

Male

I N D E X

- Maleficium quid 406.
Mandata an per æquipollens impleri possint
401. 402. divina sunt strictissimæ inter-
pretationis 402. non servans fortuna infe-
lix esse potest apud Romanos 402.
Manus nobis ad defensionem datæ sunt 185.
Mare proprium fieri nequit 200.
Matrem an præ patre partus sequatur 252.
ipsam liberos non lactare illicitum est 286.
Matrimonium ad sui valorem requirit conten-
tum parentum contra Grotium 243. invali-
dum non faciunt gradus lege civili prohibiti
243. postponendum est suo modo cœliba-
tui 582.
Media sunt triplicia 540. quæ non semper æ-
stimationem suam intrinsecam à fine acci-
piunt 540. 541.
Mediator quid 702.
Melchisedech non fuit Filius Dei contra Tes-
marum, 99. nec Sem contra Epiphanium,
100. sed homo tum notus 100.
Mendacium est omnis discrepantia oris & men-
tis 553 & illicitum 552. 558.
Merces meretricia restitui debet 316. 317.
Militibus an prædas exigere liceat 670.
Mixtus in Repl. status esse potest 165.
Moderamen est duplex 189. inculpatæ tutela
tria habet essentialia requisita 189. 190.
Monopolia non sunt illicita. 332.

Mo-

MORALITAS ambiguitatem habet 32. à Pufend. definitur 32. certitudinem mathematicam non habet 492. antecedens non existit prior Voluntate Dei 12. 13. pro fundamento primò in Lege Naturæ non habet impositionem Pufendorffii 33. 35. non indifferentiam Szydlovii 40. 41. non Legem Petri ab Alliaco 41. 42. non immutabilitatem Voluntatis divinæ Vitriarii 48. 51. 52 : sed in Deo sanctitatem & justitiam, in Subjecto Libertatem, & in Objecto intrinsicam rei naturam 35. 39. In Legibus vero positivis Voluntatem Dei & hominum 39. 42. Obrechtii de his observatio 42.

Mortuus testari potest rem suam 267. 268 sed non ex ratione ab Anonymo prolata 268. 269. 271.

Circa Mortuos quid nostri sit officii 430. 432. Romani quid fecerint 431.

N.

Naufragorum bona inique Fisco adjudicantur contra Caramuelem 276. 277.

In Negotiatoria societate quæ observanda. 333.

Neutrius partis qui sunt, à neutra affligi possunt, casu necessitatis excepto 669.

Noah non peculiarem à Deo salvandi modum accepit 65. 66. 68.

Nummus Christo verum argumentum fuit subjectionis Judæorum. 183.

B b b 3

Nutrices conducere sine gravi causa illicitum est 286. 287.

O.

Obligatio ex delicto est vel ad reparationem vel ad pœnam 406. sec. JCos vel criminalis vel forensis 406.

Obsides nec male tractari nec occidi possunt, etiam si fidem fregerint eos mittentes 636. Württembergiæ à Galliæ Rege inique tractati sunt. 637. 638.

Occupatio vid. **Dominium**.

Odiosa 388. quomodo explicanda 389.

Oeconomia N. Test. est mitior, quam Veteris 461. 462.

OFFICIA, maxime sec. Grotium, **CIRCA** belli causas & sui defensionem 187: ea, quæ communiter nobis competunt 199, & specialiter 217: præscriptionem 225: acquisitionem Juris in personas 241. & Res per factum 257. per legem 274. & Jus Gentium 293. 301: ea, quæ ex dominio oriuntur 308. promissa 318: **Contractus** 330: **Juramentum** 348: Imperantium circa sua promissa, contractus & juramenta 363: **Fœdera & Sponsiones** 374: Interpretationem 387: **damnum injuria datum** 403: **Legationes** 425: **Sepulturam** 430: **Pœnas** 435: **Pœnarum Communicationem** 476: **Causas injustas** 482. **dubias** 491. suscipiendum bellum 511. pro aliis 515. à subditis,

ris, si putent esse injustum 520: hostem interficiendum 539. 580. 631: subditorum circa Imperantium debita 568: bellum justum 574: Res vastandas & eripiendas 589. 638: Retentionem captorum 596. 605. 612. 644. 652. 660: Postliminium 619. 664: Bellum injustum 624: Medios 669: Privatim in bello militantes 671: Fidem hosti servandam 675: Pacis pactioem aliaque concurrentia 685: Inducias, Commearum & Captivorum Redemptionem 705: Fidem Minorum Potestatum in bello 710: Fidem privatam 713: & tacitam 736.

Onera Regni an Successor declinare possit 287. 288. sub distinctione deciditur 289.

Ad Opera publica melius damnantur fures & ferarum clandestini Insectatores quam ad capitalia supplicia 463. 464.

P.

Pacisci in Civitate potest major pars 695. sub duplici exceptione 695. 696.

Pacta quid sec. Pusendorf. 334. Ducum militarium an & quomodo obligent S. potestatem 710. privata in bello qualia sint 713. captivorum 714. metu injusto extorta non obligant 715. 716. Vid. Promissio.

Paraphernalia bona 418.

Parentes liberos in s. necessitate oppignorare possunt 249. 250. addito remedio 251:

I N D E X

- servi gignunt servos contra Vitriarium 254.
debent liberos alere 282.
- Parentes sequitur partus, non ventrem contra Pufendorf 252. 253. nec ex jure Naturæ strictè id fit 253. 254.
- Parlamenta cur sint. 235.
- Pars major in Judiciis & Repl. sequenda est 695.
- Pax an violata sit, si Subditi alterius sub hoste militent 701. ab uno violata an omnes socii violasse censendi sint 700. 701.
- Pacis conventiones quomodo interpretandæ 698.
- Peccatum primum in quo consistat 95. Parentum peccata puniuntur in liberis 477.
- Permutatio Emptione Venditione antiquior est 336. 337.
- Pharisæi quam antiqui sint 109. III. I 12.
- Pius II. Mahometo titulum Imperatoris Orientalis obrulit 487.
- Plantæ quomodo solo cedant 295. 300.
- POENÆ IRROGATIO à natura determinatur genericè secundum æquitatem 258. 300. non tantum licita est per naturam 437. 438. humanæ non tantum pro principio habet defensionem sui contra Burmannum 438. pertinet ad justitiam vindicativam 440. 443. penes quem sit etiam Natura dicitur 443. 444. etiam penes æquè nocentem esse potest 445. apud Deum pro fundamento habet

bet non arbitrii libertatem contra Twissum
nec supremum Dominium, sed sanctam ju-
stitiam 446. 450. 451. ab Evangelio non
dictatur 451. 454. optimum habet finem
contra Grotium 457. 460. capitalis an mu-
tari possit in damnationem ad opera publica
463. 464. capitalis etiam delictum conan-
tibus decerni potest 468. 469. sit æqua &
delicto conformata 473. etiam infligitur
propter parentum culpam 477. 479. quin
etiam hæredibus 481. TAXA triplex habet
fundamentum 464. 469. & varium expri-
mendi modum 470. 471.

Pœnalis Lex describitur 470. à præceptiva
differt 470. & etiam juxta Aristotelem
necessaria est 471. 472.

Pœnali bello abutuntur plerumque Principes
475.

Punivit Deus per pestem non populum sed
Davidem contra Osiandrum 481. 482.

Polygamia an sit contra Jus Naturæ discepta-
tur 100. 101. quod Grotius negat 243.
Patriarcharum num fuerit peccaminosa 101.
106.

Pontifex sibi sæpe arrogavit Jus in regna tem-
poralia 486. 487. sed optime respondit
Philippus pulcher 487. nam Jus nullum ha-
bet 488. nec Americanis bellum inferendi,
unquam concedere potuit 489.

Populus an capto Rege imperet 691.

Possessionem sequi quid sit 180. in rebus fidei non licet 181.

Possessio ex Usucapione est etiam in conscientia tuta 226. sed cum dubitatione superveniente tuto non stat 231. titulum tantum præsumptum requirit 236.

Possessor bonæ fidei quomodo ad restitutionem teneatur 308. 309.

Postliminii *definitio* Grotiana & Salmasiana 620. 621. *Jura* ad redeuntem redeunt contra Zieglerum 621. 622. an etiam Reipl. competant 522.

Potentia crescens per se belli causam non dat 195. 484. nisi mala molliatur 188. 195. 485.

POTESTAS SUMMA an sit penes eum, qui fœdere inæquali tenetur 135. 169. 170. diversimode habetur & administratur 134. 135. quam habeat Originem in varias sententias inquiritur 139. 149. - 157. & temperamento deciditur 158. 159. & Senatus provincialis l. parlamenta non, sunt impossibiles 135.

Præscriptio vid. Usucapio, possessio.

Princeps an partem aliquam alienare possit 135. an promisso vel juramento obligetur 159. 160 an per pacta & juramenta S. Imperium minuat 159. - 164. abdicatione regiminis privatus est contra Osiandrum 169.

Privatus censetur Rex imperium deponens 178. in re dubia possessionem sequatur 180. non aucto-

auctoratus contra hostes jure Naturæ nil agat 672. nec Voluntarius, si agat, interne ritus est 672.

Probabile ex intrinseco & extrinseco 498.

PROMISSIO an Reges obliget 159. 162. triplex 318. perfecta tria habet requisita 318. 319. obligat in conscientia 319. 322. sub suis circumstantiis requisitis 33. 326. metu aut dolo extorta, tantum juramento firmata stringit 323. 324. 715. 716. furiosi & infantis est nulla 318. 323. mentalis an & quomodo obliget 326. 329.

Proprium duplici modo habemus 199. aliquid fieri potest 200. acquisitum cessat in casu necessitatis cum cautela 200. etiam in aliis casibus 200. 201.

Πρώτα Ἰνσ Φύσεως an admitti possunt 82. an bellandi facultatem probent 83. ubi Grotius vindicatur.

Publica delicta quomodo punienda sint 256.

Pudicitiam salvare licet cum cæde invasoris 188. quod Augustinus & Osiander negant 190. maxime violavit Tillius 587. sed defendit Scipio &c. 588. etiam in corpore consistere asseritur 191.

Pueros in bello occidi posse ex Pl. 136. 9. non probari potest, quanquam casus liciti dentur 635. 636.

Punctum Grotii in honesto 87.

R. Ratio

R.

- Ratio sumitur dupliciter 45. & est animæ identificata 45.
- Regulus Carthaginem redire debuit 717. 718.
- Relatio Juramenti 360.
- RELIGIO non sequitur majorem partem 696.
- non prohibet fœdera defensiva cum infidelibus 381. etiam juxta Grotium 375. 376.
- non in 4. punctis Grot. & Cherb. consistit 474. 475. non potest cogi 489. Lutheranæ, Calvinianæ, Arminianæ & Pontificiæ non saltim sententiis & ritibus differunt 642. 644. cuiuslibet libera concedatur 664.
- Repressaliæ in jure quidem fundatæ sunt 572. sed non faciliè exercentur 573.
- Res alterius sine injuria perdi posse tres sunt rationes 591.
- Reservationes mentales sunt illicitæ 559. 563.
- Resistere quandoque licet superiori 171. 172. 683. 684. sed Paræi &c. sententia non probatur 173.
- Respublica datur mixta 135. 165.
- Restitutio *donorum* ad officium rite peragendum acceptorum an necessaria 314. *damni* etiam fieri debet ab efficaciter mandante 414. & omnibus, qui aliquid contulerunt 628. 629. 667. *rapti* etiam fieri debet à bonæ fidei possessore 630. 631. nec per præscriptionem tolli potest 668.

Rex

Rerum præcipuarum & Verborum

Rex an partem regni alienare possit 135. an debita Antecessoris declinare possit 287. captus an nihilominus imperare possit 691. exul sub distinctione pacta & pacem facere potest 693.

Regnum, capto Rege, non etiam captum censetur 612. 616.

S.

Sabbathum non demum institutum fuit tempore Israelitarum 657. 660.

SACRA violare nec jure Gentium licet 589. 641. nec Deus inultum dimittit 590. peculiari modo Dei sunt contra Kulpis. 592. 593. ad ea Grotius refert sepulchra 595.

Salus an extra Judæismum fuerit in V. Test. 75. 76.

Sepulchra non violemus 595.

Sepultura ex quo jure oriatur 430. 432. Osiander statuit, ex divino 431. facinorosis recte denegatur 433. etiam Imperatoribus denegata fuit apud Romanos 434. denegata an justam ad bellum causam det 434. 435.

Servitus captorum unde 607.

Servus servum generat contra Vitriarium 254. 255. sed non ex consensu sec. Grotium 244. nomen an ab injuria acceperit 626. 627. ex bello & ex delicto valde differunt 654. 655. sine causa occidi nequit 655. 656.

Simulacra non facile violentur 594.

Sinai-

I N D E X

Sinaiticum fœdus annon fuerit Evangelicum
64. &c.

Socialitas non est Juris Naturæ principium
& regula 16 - 20. strictior est quam Mora-
litas 493.

Societas datur inter Deum & homines contra
Zieglerum 24. 26. negotiatoria varia esse
potest 333.

Socii non semper in culpam alterius trahendi
sunt 700. armis defendi debent 519.

Solo an plantata cedant 300.

Sponsio & fœdus differunt 378. si ab Impe-
rante improbetur, ad quid sponsores ob-
liget 384. 386. Posthumii de ejus magnani-
mitate & Lentuli æquitate testatur 385. 386.

Status Integritatis an habuerit Dominiorum
distinctionem 90. 92. Reipl. an detur mi-
xtus 165. qualis sit in imperio Romano
166. Imperii an Legatos mittere possint
427.

Stuprationes in bello nullo jure interno per-
missæ sunt 587. tantum apud immodera-
tiores non puniuntur 581.

Συμφωνία quid 128.

Subditus est instrumentum principis contra Fel-
denum 186. legatus non mittatur 479. ad
belli injusti militiam cogi non potest 520.
innocens pro aliis tradi potest 616. si de ju-
stitia belli dubitet, num militare possit 523.
etiamsi dubitet de justitia Tributorum, sol-
vere

Rerum præcipuarum & Verborum.

vere debet 527. 532. secundum æquitatem naturalem debita Imperantium solvere debet 568. 569. non tamen promiscua 570. 571.

Successio ab intestato 275.

Successor an debita Antecessoris declineare possit 287. regni an vivo Rege & à quo determinari possit 290. 292. ad fœdera juramento etiam firmata tenetur 400.

Supplicia capitalia in quibusdam mutare licet in opera publica 463.

Suspensi è patibulo cur eodem die sepeliri debuerint 433.

T

Thesaurus naturaliter inventori cedit 294.

TESTAMENTUM *Vetus* etiam habuit Evangelium 115. *novum* non habuit perfectiores Leges 206. an convenienter appelletur fœdus novum 127. 130. est lenius Veteri 461. 462. *utrumque* idem fœdus habuit 116. eandem etiam fidem & salutem 117.

Testamenti definitio Grotiana 273. à Puffendorfio castigata 273. 274.

Testandi potestas est Juris naturalis & civili 266. 272.

Tirini explicatio Prov. 16. 4. p. 456.

Titulus quid 235. duplex 235. 236.

Translatio an ad Dominium & alienationem requiritur 258.

Translatio sit per signa externa 257. imperii

tan-

I N D E X

- tantum in regno patrimoniali absoluta esse potest 257.
- Tributa solvenda sunt, etiamsi de justitia exactionis dubitemus 527. § 32.
- Tutior pars 499. eligenda est semper 499. 525.
- U
- Vastatio in bello quæ justa sit 339.
- Venandi Jus jure naturæ omnibus competit 295. legibus vero civilibus restringi potest 296. præcipue Principibus concessum est 297. Ob Venandum nemo interficiatur 298. 463.
- Ventrem sequi quid sit 252.
- Verba significationem habent vulgarem & technicam 394. 395. dantur ex se ambigua 396. non tantum institutionis humanæ sunt in sua significatione 547. 549. æquivoca usurpare non licet 564. - 567.
- Victor quale in populum victum 615. & in eum, qui se dedit, acquirat imperium. 618 619.
- Vindictiva justitia quid, & ejus objectum 442.
- Usucapio est in Consuetudine tuta 226. justa tollitur per dubitationem supervenientem 231. habere potest saltem titulum præsumtum 236. contra Principis jura locum non habet, sed in contractibus 237. objectum habet varium 239. 240. quando dormiat 240. quomodo interrumpatur 241.
- Usuræ suo modo licitæ sunt 343. 348. Grotii sententia & rationes 332. 333.

. F I N I S .

